F. THOMÆ MARIÆ CERBONI

ORDINIS PRÆDICATORUM

IN COLLEGIO URBANO DE PROPAGANDA FIDE
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS

DE THEOLOGIA REVELATA

LIBRI TRES

TOMUS II.





ROMÆ MDCCLXVIII.
IN TYPOGRAPHEO S. MICHAELIS AD RIPAM
SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI BIBLIOPOLÆ, ET PAULI JUNCHI HEREDIS
BIZZARRINI TYPOGRAPHI, ET PROVISORIS LIBRORUM S. R. E.
IN BIBLIOTHECA VATICANA.



SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

THEOLOGIÆ REVELATÆ

INDEX LIBRORUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM II. TOMI.

LIBER III.

Prop.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus Jord. Archiep. Antioch. Vicesg.

IMPRIMATUR,

F. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Præd. Sacri Palatii Apost. Magister.

DE THEO-



LIBER III.

DE DIVINA REVELATIONE CONTENTA IN IIS LIBRIS, QUI NOVUM TESTAMENTUM APPELLANTUR.



RÆCLARISSIMA, atque evidentissima argumenta divinitatis earum Sacrarum Scripturarum, quæ componunt Novum Testamentum, S. Augustinus Epist. 137. ad *Volusianum* num. 16., alias epist. 3. pro suo more luculenter complexus fuit. „ Venit & Christus (inquit S. Doctor), compleutur in ejus ortu, vita, dictis, factis, passionibus, „ morte, resurrectione, ascensione, omnia præconia Prophetarum. Mittit Spiritum Sanctum, implet fideles una in domo congregatos, & hoc ipsum promissum orando, & desiderando expectantes. Impleti autem Spiritu Sancto loquuntur repente linguis omnium gentium, arguunt fidenter errores, prædicant saluberrimam veritatem, exhortantur ad pœnitentiam præteritæ culpabilis vitæ, indulgentiam de Divina gratia pollicentur. Prædicationem pietatis veræque religionis signa congruentia, & miracula consequuntur. Excitatur adversus eos sæva infidelitas, tolerant prædicta, sperant promissa, docent præcepta. Numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persequutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitissimis, ex abjectissimis, ex paucissimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur: præclarissima ingenia, cultissima eloquia, mirabilesque peritias acutorum, facundorum, atque doctorum subjugant Christo, & ad prædicandam viam veritatis salutisque convertunt. Alternis adversitatibus, & prosperitatibus rerum patientiam, & temperantiam vigilanter exercent: mundo declinante in extrema, fessisque rebus ætatem ultimam protestante, multo fidentius, quia & hoc prædictum est, æternam civitatis cœlestis felicitatem expectant. Atque inter hæc omnia contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremit: evincit illa patiendo, & inconcussam fidem inter obsistentium sævitiam profitendo. Revelatæ veritatis, quæ diu promissis mysticis velabatur, sacrificio succedente, illa sacrificia, quibus hoc figurabatur, Templi ipsius eversione tolluntur. Reproba per infidelitatem gens ipsa Judæorum a sedibus extirpata per mun-

„ dum usquequaque dispergitur, ut ubique portet Codices Sanctos, & sic
„ Prophetiæ testimonium, qua Christus, & Ecclesia prænunciata est, ne ad
„ tempus a nobis fictum existimaretur, ab ipsis adversariis proferatur, ubi
„ etiam ipsos prædictum est non fuisse credituros. Templa, & simulacra dæ-
„ monum, ritusque sacrilegi paulatim, atque alternatim secundum prædicta
„ Prophetica subvertuntur. Hæreses adversus nomen Christi, sub velamento
„ tamen nominis Christi, ad exercendam doctrinam sanctæ Religionis, sicut
„ prænunciatæ sunt, pullulant. Hæc omnia sicut leguntur prædicta, ita cer-
„ nuntur impleta, atque ex his jam tot, & tantis, quæ restant, expectantur
„ implenda. Tandem mens avida æternitatis, vitæque præsentis brevitate per-
„ mota contra hujus Divinæ auctoritatis lumen, culmenque contendat „ ?

Num. 17. „ Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet Philosophorum,
„ quæ leges quarumlibet civitatum, duobus præceptis, ex quibus Christus di-
„ cit totam legem, Prophetasque pendere, ullo modo sunt comparandæ: *Di-*
„ *liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &*
„ *ex tota mente tua: & diliges proximum tuum tamquam te ipsum?* Hic Phy-
„ sica, quoniam omnes omnium naturarum caussæ in Deo sunt. Hic Ethica,
„ quoniam vita bona, & honesta non aliunde formatur, quam quum ea, quæ
„ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus, &
„ proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis, nonni-
„ si Deus est. Hic etiam laudabilis Reipublicæ salus: neque enim conditur,
„ & custoditur optime civitas, nisi fundamento, & vinculo fidei, firmæque
„ concordiæ, quum bonum commune diligitur, quod summum, ac verissimum
„ Deus est, atque in illo invicem sincerissime se diligunt homines, quum
„ propter illum se diligunt, cui, quo animo diligant, occultare non possunt„.

Num. 18. „ Modus autem ipse dicendi, quo Sacra Scriptura contexitur,
„ quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis. Ea, quæ aper-
„ ta continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum,
„ atque doctorum. Ea vero, quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio su-
„ perbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, qua-
„ si pauper ad divitem, sed invitat omnes humili sermone, quos non solum
„ manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod
„ in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta de-
„ siderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intiman-
„ tur. His salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna
„ oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel erran-
„ do eam nescit saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam „. Sanctitas ergo doctrinæ, mirabiles effectus, qui ad prædicationem Evangelii consequuti fuere, miracula, atque prophetiæ, teste S. Augustino, immo ipsa evidentissima ratione suadente, certa, atque manifesta argumenta sunt, quæ dubitare non sinunt de Divinitate Sacrarum Scripturarum Novi Testamenti. Hæc vero sunt, quæ & nos quoque in hoc libro prosequemur, atque fusius explicabimus, ut certo constare possit, quam non solum impie, sed etiam omnino irrationabiliter Revelationem Novi Testamenti Deistæ rejiciant.

Duo autem sunt, quæ in hoc libro uti certa supponimus: prius est; doctrinæ sanctitatem, miracula, atque prophetias, Divinæ inspirationis argumenta evidentissima esse, sicuti quæst. 2. lib. 2. jam demonstravimus: alterum vero;

ro; de iis dubitari non posse, quæ morali evidentia constant, quemadmodum initio libri præcedentis pluribus lemmatibus jam evicimus.

QUÆSTIO I.

DE ARGUMENTIS, QUÆ IN SE HABET SUÆ DIVINITATIS REVELATIO NOVI TESTAMENTI.

EUm ordinem, quem sequuti sumus in demonstranda veritate Divinæ Revelationis, quæ in Veteri Testamento continetur, etiam in hac quæstione sequendum esse putamus. Sacras ergo Scripturas Novi Testamenti divinitus inspiratas esse ex earum sanctitate doctrinæ, exque eventu etiam, quem prædicatio Evangelica habuit, in primo articulo evincemus, in secundo ex miraculis, in tertio ex prophetiis rem eamdem ostendemus.

ARTICULUS I.

NUM OB DOCTRINÆ SANCTITATEM CONSTET DE DIVINITATE NOVÆ LEGIS; ET QUÆ AD EJUS PROMULGATIONEM CONSEQUUTA FUERE EAMDEM ILLIUS DIVINITATEM EVINCANT.

QUoniam non unum, aut alterum tantum, sed plura argumenta occurrunt, quibus hoc, de quo disputamus, constare summa cum evidentia potest, ideo, ut alibi quoque fecimus, hunc articulum in nonnullos paragraphos dividere constituimus. 1. ergo Divinitatem Evangelicæ Legis ex recta institutione hominis, quæ per eam fit, expendemus: 2. ex conformitate, quæ inter eam est, & naturam hominis: 3. ex sanctitate, atque excellentia finis: 4. tandem ex iis, quæ ad promulgationem ejus consequuta fuere.

§. I.

DE RECTA INSTITUTIONE HOMINIS, QUÆ FIT PER LEGEM EVANGELICAM.

QUoniam institutio hominis tum quoad Deum, tum quoad se ipsum, tum quoad alios spectari potest, ideo quam perfecte fieri potest, hominem quoad Deum, se ipsum, atque alios recte per Evangelicam Legem institutum esse, tribus propositionibus demonstrabimus.

Propositio I. Est quidem homo quoad Deum per Legem Evangelicam quam rectissime institutus.

Prob. prop. Ut homo quoad Deum recte institutus dici possit, tria requiruntur: 1. ut de ipso Deo recte sentiat: 2. ut piis affectibus eumdem prosequatur: 3. ut exteriores quoque ejus actus respondeant piis affectibus, atque summam erga Deum observantiam referant. Hæc vero omnia sunt, in quibus homo per legem Evangelicam instituitur. Nam primo per hanc Divinam legem sublimitas Divinæ naturæ, quantum fieri potest, nobis innotescit: Deus namque omni præcipuarum præcellentiumque perfectionum genere præditus in ea exhibetur; quà enim omnium supremum ens, quod a se ipso existit, at-

quæ rerum omnium principium eſt; quà cui nemo præcellere, aut coæquari poſſit; qua cujus dominio cuncta ſubſunt, & qui ea, quæ fecit, conſervat atque moderatur; quà qui nihil non poſſit, nihilque non longe videat, & proſpiciat, nihil non ſapientiſſime curet; qua ſumma ſanctitate, juſtitia, æquitate, & miſericordia admirabilis; quà exquiſitiſſimo cultu dignus, & honoribus; quà omnium actionum, immo & cogitationum noſtrarum ſupremus Judex: a quo & cuncta bona habemus in hac vita, multoque majora in altera habere poſſumus, ſi modo, ut par eſt, morem illi geramus, & multa mala tam in præſenti, quam in altera vita metuere debemus, ſi ejus Divinæ legi non humiliter obtemperemus; quà demum (& in hoc quidem ſanctitas Evangelicæ legis, atque divinitas quam maxime elucet) ut omnium noſtrum pater amantiſſimus nobis repræſentatur, qui & noſtra amanter curat, & ſuæ gratiæ donis nos confirmat, atque corroborat, noſque precantes libenter audit. Unde Joannes: (a) „ Videte, *inquit*, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei „ nominemur, & ſimus „ Et Apoſtolus Paulus: (b) „ Quoniam autem eſtis „ filii, miſit Deus ſpiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater. „ Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius: quod ſi filius, & hæres per Deum „. Et apud Matthæum legitur: (c) „ Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ „ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. Nonne „ anima plus eſt, quam eſca, & corpus, pluſquam veſtimentum? Reſpicite „ volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in „ horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis il„ lis „? His autem Matthæi verbis aſſiduam, quam de nobis Deus curam habet, pulcherrime teſtatam eſſe, nemo non videt. Neque etiam minus conſtat de ſumma in nos Dei largitate, qua ſua beneficia nobis tribuit: nam præcipue in Epiſtolis Apoſtoli Pauli nihil ſæpius repetitum occurrit, quam abundantia divitiarum gratiæ Dei in nos, nihil quoque magis in Sanctis Evangeliis nobis inſinuatum legitur, quam ut opem ejus imploremus, quia paterno nos amore proſequitur.

Hæc ergo, quæ brevi calamo recenſuimus, ſi in Evangelica Lege de Divina natura nobis vel ſola inſinuata legerentur, talia eſſe quiſque perſpicit, per quæ de Divina natura recte ſentire poſſemus: quum vero multa alia æque ſublimia proponantur, uti tum Evangelia, tum Epiſtolas Apoſtolicas legenti conſtabit: omnino nos per Divinas litteras, quanta hominis capacitas eſt, de Dei natura inſtructos eſſe, fatendum eſt.

His autem præconceptis de Deo ſententiis, & quæ erga ipſum debentur, in animo noſtro piæ affectiones oriuntur, iiſdemque ad bene agendum incitamur, & de utroque in Sacris litteris aperte monemur. 1. quidem interna adoratio ſuadetur, quia (d) *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant Deum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*. Ex hac autem interna adoratione, qua ipſo Deo quaſi replemur, illud conſequitur, ut celebrare Dei laudes, curæ ſimul, atque voluptati nobis eſſe debeat. 2. Divinæ juſtitiæ timor exoritur: [e] „ Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occi„ dere; ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus mittere in „ ge-

(a) Cap. 3. v. 1.
(b) Ad *Galat.* 4. v. 6.
(c) Cap. 6. v. 25.
(d) *Joan.* 4. v. 24.
(e) *Matt.* 10. v. 28.

„ gehennam „ . Hinc summa erga Deum, & præcepta illius veneratio nascitur. 3. In Dei opem summa fiducia : (a) „ Quodcumque petieritis Patrem „ in nomine meo, hoc faciam ; ut glorificetur Pater in Filio . „ Et „ [b] Petite, „ & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei ? Si ergo vos quum sitis mali, nostis bona dare „ filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se „. Inde autem & frequentia precum nostrarum ad Deum, & vota sæpius repetita, ac devotæ oblationes veluti sua sponte oriuntur. 4. Dei voluntati subjectio, humilisque devotio : (c) *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra* : proindeque fit ut & supremum Dei dominium agnoscatur, & colatur potestas, atque majestas. 5. Demum pro acceptis beneficiis grati animi sensus, & amor valde dulcis, ac suavis, ex quibus omnium exercitia virtutum profluant : (d) „ Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, „ & in tota anima tua, & in tota mente tua : hoc est maximum, & primum mandatum : „ quia (e) „ Finis præcepti est charitas „ & (f) Deus „ charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo „.

Hic autem amor publica confessione fidei primo sese prodere debet, quia (g) „ Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem „. 2. diligenti observatione Divinorum mandatorum : (h) nam „ Hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus „ & [i] „. Si diligitis me mandata mea servate... si quis diligit me, sermonem meum servabit „ 3. celebratione Divinæ gloriæ : (k) „. Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, „ omnia in gloriam Dei facite „ & [l] „ Omne quodcumque facitis, in „ verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo per ipsum „. Unde etiam legitur : [m] „ Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est „. 4. imitatione Divinæ perfectionis (n) „ : Estote „ ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est „ & (o) „ Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi „ 5. ipsius Dei laudibus, atque actione gratiarum [p] : „ Per ipsum ergo (hoc est Christum) offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini „ ejus „ & (q) . „ Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi „ 6. demum, ut multa alia omittam, exultatione in Deum [r] : „ Gaudete in Domino semper ; iterum dico, gaudete... „ Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum „ actio-

(a) *Joan.* 14. v. 13.
(b) *Matt.* 7. v. 7. & seq.
(c) *Matt.* 6. v. 10.
(d) *Matt.* 22. v. 38.
(e) I. ad *Timot.* 1. v. 5.
(f) I. *Joan.* 4. v. 16.
(g) *Roman.* 10. v. 10.
(h) II. *Jon.* v. 6.
(i) *Joan.* 14. v. 15. & 21.
(K) I. *Corint.* 10. v. 31.
(l) *Ephesio* 3. v. 17.
(m) *Matt.* 5. v. 16.
(n) *Matt.* 5. v. 48.
(o) *Ephesio.* 5. v. 1.
(p) *Hebræor.* 13. v. 5.
(q) *Ephesior* 5. v. 18.
(r) *Philipp.* 4. v. 4. & seq.

„ actione petitiones vestræ innotescant ad Deum; & pax Dei, quæ exuperat „ omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu „.

Quapropter per Legem Evangelicam non minus effici, ut de Deo recte sentiamus, quam ut eum tum piis affectibus, tum debito honore, atque cultu prosequamur, nimis manifesta res est.

Dices cum impiis. Quæ in Evangelica Lege de Deo proponuntur, talia sunt, ut per ea quis facile induci possit ad credendum Deum non existere: falsum ergo est, hominem per Evangelicam Legem recte quoad Deum institutum esse. Prob. ant. Deus erga nonnullos misericors, erga alios autem severus, & sine misericordia in ea exhibetur: quosdam salvare velle dicitur, non item omnes: modo aliquibus bona tribuere, aliis autem mala rependere significatur; sed hæc talia sunt, ut per ea quis facile induci possit ad credendum Deum non existere: ergo [a].

R., hæc ab impio quoque Juliano objecta fuisse, uti apud S.Cyrillum Alexandrinum lib. 5. contra eumdem legere est: „ Opinatur quidem, ut dixi (sicut S. Cyrillus Juliano, ita & nos quoque ejusdem verbis Auctori *Philosophicarum Cogitationum* respondendum esse censemus) summam, & incorruptibilem naturam, & affectiones in singulis rebus non multum differre a „ nostris actionibus. Dicantur ergo, si placet, etiam humano more tales esse, „ & non aliæ, quales in nobis ipsis sunt, nominataque in Deo sit ira: fortassis & exæstuatio acerba, impotensque motus cordis accidere illi putetur: „ ut quum dicitur Zelotes, eadem ferre, quæ homines, & invidentiæ flammis comprehendi non dedignetur. Atqui ita sentire hominis esset stupidi, „ ac attoniti, ignorantisque prorsus, quid Divinæ proprium sit naturæ. Excelsa enim est, & super omnia non locali eminentia, sed naturæ præstantia, & incomparabili excellentia. Juxta istum modum, opinor, transit omnes nostras caussas, & extra omnem affectionem intelligitur, & submittentibus quidem tractabilem jugo ipsius cervicem summa bonorum dispensat fastigia: ceterum cor durum, & siccum habentibus minores, quam oportet, „ pœnas infert. Non enim dicimus in æquali honore habendos bonos, & malos, sed neque nimia patientia eos, qui velint deficere, fovendos, ut ad „ quodlibet, & ad quæ fas non est, sine reprehensione abeant, quasi transilientes ab eo, & his, in quibus beatius erat immorari, dicto vale, rapi „ ad deteriora. Ubi enim omnino bonus omnium opifex, nisi providerit creaturis suis, & eos reverentia erga bonum inferiores, adjutorio validiores efficiat: eos autem, qui sacra præcepta prophanant, & minoris faciunt, modestiores reddat, timorisque catena attrahat, optima castigationum subsidia „ addens.

„ Quando igitur definit contra prævaricatores quosdam pœnam, tunc a „ nobis irasci dicitur, quamvis iracundiæ affectionem ferre nequeat: quando „ quosdam bonos a familiaritate erga se abstrahi non vult, nec patitur, ut eos, „ qui non sunt Dii, adorent: æmulari ipsum dicimus, verbo nobis familiari „ rem significantes, & virtutem amoris, qui in illo est, aliter enunciare non „ valentes. Non enim exultat, si qui pereant: vult autem magis sibi subdi-

„ tos

(a) Ita cum aliis Deistis *Philosophicarum Cogitationum* Auctor §. 9. & Rousseaus tom. 3. in suo *Emilio* paulo ante Dialogum.

„ tos virtutum dignitatibus fieri conſpicuos, immo etiam omnes, qui ſuper „ terram ſunt „.

Cur ergo *Cogitationum Philoſophicarum* Auctor (a) una cum aliis Incredulis e medio ſublata eſſe doleat ſcripta eorum, qui Religionem Chriſtianam oppugnarunt, intelligi facile poteſt: non contentus iis, quæ remanſerunt, alia quoque ſibi ſuppetere vellet, unde, ſi poſſet, Chriſtianam Religionem perverteret. Quamquam ſuam hac in re ignorantiam ſimul, ac calumniandi libidinem Deiſtæ omnes manifeſte produnt. Quid? anne multa eorum, quæ Ethnici adverſus Chriſtianam Religionem ſcripſerunt, etiam non modo ſuperſunt? Profecto ſi S. Juſtini, atque Irenæi opera legantur, in illis objectiones Tryphonis Judæi, quibus prophetias in Chriſto adimpletas non fuiſſe demonſtrare contendit, in iſtis ſyſtemata hæreticorum una cum iis momentis, quibus innitebantur, nobis occurrunt. Origenes autem nonne verba & ratiocinationes Celſi, quem ſibi confutandum ſuſcepit, ſumma ſinceritate refert? Et re quidem vera quæ *Spiritus Fortes* noſtri temporis nobis opponunt, quamvis eorum ſe inventores eſſe credi velint, tamen a Celſo maxima ſaltem ex parte fuiſſe mutuatos non manifeſtum ei eſſe non poterit, qui libros Origenis adverſus Celſum legerit. Inde vero eſt, ut id, quod Origenes Celſo quondam repoſuit, nos quoque nunc temporis Deiſtis, ſicuti ſæpe fecimus, reponere debeamus. Tertulliani opera præcipua ſi quis legat, quæ Ethnici tum temporis opponebant, non minori ſinceritate relata, quam acutiori ſagacitate confutata fuiſſe, noſcere facile poterit. Quæ autem Tertulliani ratio fuit, eadem eſt Minutii Feliciis, Arnobii, Lactantii, ac Teophili Antiocheni. In Euſebio Cæſarienſi Porphyrii longiora teſtimonia, quo nemo acrius pro Paganiſmo pugnavit, in Sancto Cyrillo objectiones Juliani Imperatoris, in Sancto Auguſtino ſophiſmata Manetis contra Evangelium occurrunt. Demum Apologiſtarum Chriſtianæ Religionis nemo eſt in quo vel Ethnicorum longiora teſtimonia, vel ſaltem quæ opponebant, legi non poſſint. Deiſtas ergo ſuam ignorantiam prodere, dum ſcripta eorum, qui contra Chriſtianam Religionem pugnarunt, periiſſe dolent, nimis manifeſtum eſt.

Calumniandi quoque libidine agi, dum induſtria Chriſtianorum factum fuiſſe effutiunt, ut multa opera hujus generis perierint, non minus comperta res eſt. Qua enim ratione in hoc tendere Chriſtiani poterant, ſi non ſolum quæ Ethnici opponerent, ſed etiam teſtimonia eorum, & quandoque integros libros ſolliciti fuerunt mandare memoriæ poſterorum?

Si autem quærant, qua factum ratione fuerit, ut hujuſmodi libri Ethnicorum ad nos uſque integri non pervenerint, plura ſunt, quæ reſpondere poſſumus: 1. quidem familiare eſſe, ut oblivione deleantur, quæ ſemel omnino confutata ſint, quorumque nullus ſit, qui defenſionem ſuſcipiat: 2. quæ manifeſte falſa ſunt, ipſa vetuſtate aboleri: 3. Eccleſiæ Patres, peracta confutatione Ethnicorum, in confutandis hæreticis ſeſe occupaſſe, indeque factum fuiſſe, ut Ethnicorum opera amplius non curaverint: 4. irruptione Barbarorum plura hujuſmodi opera periiſſe: quamvis enim per eam non minus detrimenti etiam noſtris illatum fuerit: tamen illa nemo fere fuit, qui curaret, iſta autem propter doctrinæ veritatem, atque ſanctitatem, quam continebant, ſtudio plurimorum ſervata fuerunt. Verum non eſt, cur Deiſtæ plura opera Ethnicorum periiſ-

(a) §. 44.

periisse doleant: ex iis enim, quæ usque modo supersunt, qualia illa fuerint, quæ perierunt, conjicere facile possunt.

Cont. In Sacris libris, inquiunt, talia generatim continentur, quibus Deistæ contra Atheos, Deistæ, & Athei contra Christianos, Christiani, Judæi, Deistæ, & Athei contra Musulmanos, variæ sectæ Christianorum contra se invicem decertare possunt: ergo generatim per Sacras litteras quoad Dei naturam homo haud recte instructus est (a).

R. cum Origene lib. 4. de *Principiis* nu. 7. „ Quemadmodum providentia „ apud eos, qui eam probe perceperunt, nihil quidquam detrimenti capit ob „ ea, quæ non comprehenduntur; ita neque Scripturæ Divinitati per eam to- „ tam diffusæ quidquam detrahitur ex eo, quod ingenii nostri imbecillitas in „ unaquaque dictione minime possit pervenire ad arcanum sententiarum splen- „ dorem in humili, & abjecta loquutione delitescentem, *Habemus* enim *thesau-* „ *rum ex vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis Dei* fulgeat *& non* putetur es- „ se *ex nobis* hominibus (b). Nam si tritæ inter homines demonstrationum „ viæ nostris libris insertæ convertissent humanum genus, merito quis suspica- „ ri potuisset fidem nostram in humana sapientia, & non in virtute Dei si- „ tam esse. Nunc vero cuilibet oculos attollenti perspicuum est sermonis, & „ prædicationis vim in multitudinem non in persuasibilibus positam fuisse sa- „ pientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis „.

„ Multi autem errores (ita Origenes prosequitur laud. lib. num. 8.) & „ lapsus ex eo contigerunt, quod viam multi non invenerint, qua esset in „ sancta lectione insistendum. Duri enim corde, & idiotæ, qui e circumci- „ sione sunt, prophetiarum, quæ de Christo loquuntur, dictionem sequi se „ existimantes in Christum non crediderunt.... Hæretici autem legentes: „ *ignis exarsit ex ira mea* (c) & infinita propemodum his similia, negare „ quidem eas esse Dei Scripturas non ausi sunt, sed illius, quem Judæi co- „ lunt, creatoris eas esse rati, quasi imperfectus esset, nec bonus ille con- „ ditor, arbitrati sunt advenisse Salvatorem, qui perfectiorem annunciaret „ Deum, quem dicunt non esse mundi opificem, in varias ea de re abrepti „ sententias... Quin etiam simpliciores nonnulli, qui se de Ecclesia esse „ gloriantur, creatore quidem nullum majorem existimant, sanam hac in re „ amplexi sententiam, verum ea de ipso suspicantur, quæ ne de homine qui- „ dem crudelissimo, & injustissimo cogitare fas sit „. Hinc, ut recte monet S. Augustinus *Enarrat: in Psalmum* 48. *Serm.* 1. num. 1. „ Omnia Divina elo- „ quia salubria sunt bene intelligentibus; periculosa vero his, qui ea volunt ad „ sui cordis perversitatem detorquere, potius quam suum cor ad eorum re- „ ctitudinem corrigere. Hæc est enim in hominibus magna, & usitata per- „ versitas, quia quum debeant vivere ipsi secundum voluntatem Dei, Deum „ volunt vivere secundum voluntatem suam: & quum ipsi nolunt corrigi, il- „ lum volunt depravari; rectum non arbitrantes, quod ille vult, sed quod „ ipsi volunt „.

Si quando autem quæ homini conveniunt, etiam Deo in Sacris litteris tribuantur, (d), propter utilitatem nostram hoc factum esse, negari non potest:

(a) Ita Auctor *Cogitationum Philosophicarum* §. 61.

(b) II. *Corint.* 4. v. 7.

(c) Ierem. 15. v. 14.

(d) Hoc vero est, quod contra divinitatem Sacrarum litterarum urget Auctor inscripti operis, *Examen de la Religion.* cap. 2. nu.

test: „ Quoniam autem postea Celsus quædam Scripturarum loca (inquit Ori-
„ genes *contra Celsum* lib. 4. num. 71.) quæ minime intellexit, deridet, id-
„ que ob eas caussas, quia ibi Deo tribuuntur, quasi humani affectus, dum
„ verbis iracundis adversus impios utitur, & peccatoribus intentat minas, re-
„ spondendum est: quemadmodum nos quum pueros parvulos alloquimur, no-
„ stram dicendi vim non adhibemus, sed demittimus nos ad infirmum illorum
„ captum, dicentes facientesque quod ad illos erudiendos, emendandosque
„ conducere videtur; ita Dei verbum providisse, ut Scripturæ audientium ca-
„ ptui congruerent, & illarum excellentia in illorum utilitatem cederet „.

Præclare quoque hac de re S. Cyrillus *adversus Antropomorphitas* lib. unico cap. 1. ita disserit: „ Si vero partium, sive membrorum Sacra Scriptu-
„ ra meminit, de rebus Divinis ad nos loquens; sciendum est, quod ex iis,
„ quæ in intellectum nostrum cadunt, & ex quibus constare solemus, nobis-
„ cum loquitur. Neque enim aliter fieri poterat, ut res Divinas intelligere-
„ mus. Vera igitur caussa, atque occasio, cur Scriptura Divino Spiritu affla-
„ ta corporaliter de Deo nobiscum loquatur, est & intellectus, & linguæ in
„ nobis inopia „. Sicuti vero recte observat S. Thomas 1. 2. quæst. 13. art.
3., in nominibus, „ Quæ Deo attribuimus, est duo considerare, scilicet per-
„ fectiones ipsas significatas, ut bonitatem, vitam, & hujusmodi, & modum
„ significandi. Quantum igitur ad id, quod significant hujusmodi nomina,
„ proprie competunt Deo, & magis proprie, quam ipsis creaturis; & per
„ prius dicuntur de eo. Quantum vero ad modum significandi, non proprie
„ dicuntur de Deo: habent enim modum significandi, qui creaturis competit „.

Nihil ergo quum sit, quod malitia hominum perverti non possit, mirandum non est, si ii quoque auctoritate Sacrarum Scripturarum pugnare audeant, qui easdem rejiciunt, atque contemnunt. Verum hoc non Sacrarum Scripturarum, quasi Divinam naturam non satis distincte explicent, sed male utentium vitio tribui debet: nam ut ait S. Cyrillus *contra Julianum* lib. 7. inspiratarum Scripturarum de Dei natura sermones sunt. „ Subtiles, accurati, sublimes, &
„ supra id omne, quod creatum est, initiatorum animum evehunt, eoque lo-
„ ci unam illam, & supremam naturam quodammodo statuunt, ut ultra id om-
„ ne, quod cum sensu est opinabile, aut scientia, vel mente, comprehen-
„ dim, hoc est ultra creaturam omne visibilem, aut invisibilem concipiatur
„ esse: ei autem soli velut eximium quiddam, ac præcipuum munus, immo
„ vero propriam, ac naturalem illius dignitatem, nullique alii innatam cum
„ primis illa tribuit, nempe rebus ceteris dominari, creare, & in ortum edu-
„ cere, quæ nusquam sunt „.

Propositio II. Homo quoad se ipsum per Evangelicam Legem recte instituitur.

Prob. Quæ spectant ad peculiarem institutionem hominis, vel ad mentem ejus, vel ad corpus referri possunt, ita ut mens omni genere præceptorum imbuatur, indeque fiat, ut etiam corpus regi possit ea ratione qua debet. Utrumque autem Lex Evangelica omnino præstat. Et quidem quoad mentem attinet, quemadmodum, superiori propositione demonstravimus, cognitione Di-

2. nu. 6., indeque impie, atque inepte infert, Dei ideam magis veram nos acquirere per rationem, quam per Christianam Religionem, quia hæc nobis repræsentat Deum, uti hominem.

vinæ naturæ, infinitarumque perfectionum illius primo informat, deinde vero quænam hominis conditio sit, quam sublimis, atque præcellens, sive origo ejus spectetur, sive finis, detegit, atque manifestat. „ An nescitis (inquit A-„ postolus, (a)) quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui „ in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? Empti enim estis „ pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Vos enim „ estis [prosequitur idem Apostolus (b)] templum Dei vivi, sicut dicit Do. „ minus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illo-„ rum Deus, & ipsi erunt mihi populus... Et ego recipiam vos; ero vobis „ in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus Omnipo-„ tens. [c] Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab „ omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timo-„ re Dei „. Hisce vero constitutis, generatim jubet, (d) „ Ut quæcumque „ pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque bonæ famæ, si „ qua laus disciplinæ, hæc „ cogitemus. Tam ergo illa, quæ ad cultum corporis, quam quæ ad animum pertinent, per Legem Evangelicam recte constituta sunt. Verum nonnulla peculiariter expendamus.

1. Itaque statuit, ut nos Deo omnino devoveamus, atque cœlestia solummodo consectemur. „ Nostra conversatio (inquit Apostolus, (e)) in cœlis est; „ unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui „ reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, se-„ cundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia „ Et Christus: „ „ Nolite, *inquit*, [f] thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & „ tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate vobis the-„ sauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non „ effodiunt, nec furantur; ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum... „ Non potestis Deo servire, & mammonæ; ideo dico vobis, ne solliciti sitis „ animæ vestræ, quid induamini... Quærite primum regnum Dei, & justi-„ tiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis „.

2. Ut Deo subjiciamur, & hominibus, nullaque in re propriam gloriam quæramus. Hinc illud Apostoli: (g) „ Quis enim te discernit? Quid autem „ habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quare gloriaris, quasi non „ acceperis „? *Lucæ* autem 17. v. 10. ait Christus: „ Quum feceritis omnia, „ quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus fa-„ cere, fecimus „. Et *Matt.* 20. v. 26. „ Quicumque voluerit inter vos ma-„ jor fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit „ vester servus „. Et cap: 6. v. 1. & seq. „ Attendite, ne justitiam vestram „ faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Quum autem facis eleemo-„ synam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & „ in vicis, ut honorificentur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mer-„ cedem suam „.

3. Ut animi puritatem cum castimonia corporis conjungamus. Hac de causa *Matt.* 5. v. 8. dicitur: „ Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt „.

Et

(a) I. *Corint.* 6. v. 19. & 20.
(b) II. *Corint.* 6. v. 16. & seq.
(c) Idem Apostolus laud. epist. cap. 7. v. 1.
(d) *Philipp.* 4. v. 8.
(e) *Philip.* 3. v. 20.
(f) *Matt.* 6. v. 19. & seq.
(g) I. *Corint.* 4. v. 7.

Et v. 27. Audiſtis ," quia dictum eſt antiquis : non mœchaberis : ego autem „ dico vobis , quia omnis , qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam , „ jam mœchatus eſt eam in corde ſuo . „ Et Apoſtolus : (a) „ Fornicatio autem , *inquit* , & omnis immunditia nec nominetur in vobis , ſicut decet ſanctos , aut turpitudo , aut ſtultiloquium , aut ſcurrilitas , quæ ad rem non pertinet ; ſed magis gratiarum actio „ .

4. Ut adverſa patienter , & æquo animo feramus . Nam (b) „ Beati pauperes ſpiritu , quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum ... Beati , qui lugent , „ quoniam ipſi conſolabuntur ... Beati , qui perſequutionem patiuntur propter „ juſtitiam , quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum „ . Et Apoſtolus : (c) „ . „ Quem enim diligit Deus , caſtigat .... omnis diſciplina in præſenti quidem „ videtur , non eſſe gaudii , ſed mœroris : poſtea autem fructum pacatiſſimum „ exercitatis per eam reddet juſtitiæ „ .

5. Ut ſemper vigilando curemus , ne quid contra officii noſtri rationem agamus ; idque omne , licet chariſſimum , amoveamus , quod nobis offendiculo eſſe poſſit „ . Dico autem vobis , *ait Chriſtus* , (d) quoniam omne verbum o„ tioſum , quod loquuti fuerint homines , reddent rationem de eo in die judi„ cii (e) . Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te , erue eum , & projice „ abs te ; & ſi dextera manus tua ſcandalizat te , abſcinde eam , & projice „ abs te : expedit enim tibi , ut pereat unum membrorum tuorum , quam to„ tum corpus tuum eat in gehennam „ .

6. Ut omni converſatione noſtra ſancti ſimus „ . Quaſi filii obedientiæ [in„ quit S. Petrus , (f)] non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis : „ ſed ſecundum eum , qui vocavit vos , Sanctum , & ipſi in omni converſa„ tione ſancti ſitis . (g) Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, „ ut in eo , quod detrectant de vobis , tamquam de malefactoribus , ex bonis „ operibus vos conſiderantes , glorificent Deum in die viſitationis „ .

Verum nimis longum eſſet , ſi omnes ſanctiſſimas præceptiones perſequi vellemus , quæ ad dirigenda officia hominum in Lege Evangelica conſtituta ſunt . Nihil enim in ea omiſſum eſt , quod ad quemcumque vitæ ſtatum , atque conditionem pertinere poſſit : nam quæ Principum , & ſubditorum , uxorum , & virorum , filiorum , & parentum , liberorum , ſervorum , atque dominorum, quæ virginum , viduarum , ſeniorum , adoleſcentum , & ſacerdotum officia ſint , Divina prorſus ratione in Lege Evangelica ſancitum eſt , adeo ut vel ſapientiſſimorum quorumvis philophorum præcepta de moribus , & officiis hominum cum præceptis Evangelicis comparata , nihilo plus ſint , quam informia rudimenta collata cum ſapientiſſima totius diſciplinæ explicatione , & rivuli exigui ac turbulenti cum pleniſſimo , & limpidiſſimo flumine comparati . Atque eſt quidem pulcherrima ad cernendum res , & Revelationi , quam ſequimur , glorioſa , ruſticum hominem , & mulieres , idiotas , ac exigui temporis adoleſcentes hac Revelatione inſtructos , multo certius accuratiuſque officia vitæ humanæ noſſe , quam philoſophi veteres noverint , in maximis rebus ſæpe errantes , quorum , ut unum exemplum commemorem , ſapientiſſimus Plato eo uſque deſipuit, ut uxorum communitatem in ſua Republica conſtituerit.

 Illud

(a) *Epheſior*. 5. v. 3.
(b) *Matt*. 5. v. 3. & ſeq.
(c) *Hebræor*. 12. v. 6. & ſeq.
(d) *Matt*. 12. v. 36.
(e) *Matt*. 5. v. 29.
(f) Epiſt 1. cap. 1. v. 14. & ſeq.
(g) Eadem epiſt. cap. 2. v. 12.

Illud ergo unum ad perfectam uniuscujusque instructionem tantum superérat, ut moneremur, unde nam contingat, quam semper experimur, in nobis ipsis colluctationem esse, & modo ex una parte ad ea quoque trahi, quæ a natura rationali abhorrent, ex altera autem illa consectari, quæ recta sunt. Hoc vero etiam est, quod per Legem Evangelicam perspicue edocemur. „ Propterea (inquit Apostolus, [a]) sicut per unum hominem peccatum in hunc „ mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors „ pertransiit, in quo omnes peccaverunt [b]. Invenio igitur legem volenti „ mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi „ Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris „ meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, „ quæ est in membris meis (c) Qui enim secundum carnem sunt; quæ carnis „ sunt, sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt; quæ sunt spiritus, sentiunt. „ Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus, vita, & pax. Quo„ niam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec „ enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt... Ergo „ fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus „. Tandem S. Jacobus: [d] „. Nemo, *inquit*, quum tentatur, dicat, quoniam a Deo ten„ tatur, Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. U„ nusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus. Dein. „ de concupiscentia, quum conceperit, parit peccatum: peccatum vero, quum „ consummatum fuerit, generat mortem (e) „. Mirabile est autem quomodo Cicero, vir profecto maximo ingenio, & in philosophorum libris exercitatissimus, sese torserit lib. *de Legibus* ad detegendam caussam corruptionis humani cordis, quam tamen cum omni sua eruditione, & vi ingenii reperire non potuit, quum Revelationis lumine destitueretur.

Dices. Si lex Evangelica cum doctrina Morali Paganorum, atque Essenorum potissimum comparetur, maximam similitudinem inter se habere deprehendemus; sed tum Paganorum, tum Esseniorum doctrina Divina non fuit, quamvis quoad institutionem hominis eadem fere præcepta, ac in Lege Evangelica, in illa continerentur: ergo.

R., hujusmodi comparationem non solum omnino impiam, sed etiam ineptam prorsus absurdamque esse „. Itaque quum ejusmodi Ethnicorum omnium „ superstitiones essent (uti Mamachius *Originum*, *& Antiquitatum Christianarum* lib. 2. cap. 3. §. 4; pro suo more cum summa perspicuitate, atque orationis „ vi agit, postquam de Deorum colendorum turpi, & ridicula apud Ethnicos ra„ tione superiori §. disseruerat) excitare neminem valebant ad colendam virtutem „ atque sanctitatem morum. Dii, Deæque, quibus sacrificia offerebantur, „ quoniam homines insignes flagitiis fuerant, si ad rem ullam, ad vitia quidem

(a) *Roman.* 5. v. 12.
(b) Ejusdem epist. cap. 7. v. 21. & seq.
(c) Ejusdem epist. cap. 8. v. 5. & seq.
(d) In sua epist. cap. 1. v. 13. & seq.
(e) Christianæ simplicitati, humilitati, atque charitati illud non obstat, ut per Sacras litteras de eo etiam istruamur, unde nam sit, quid magnum in nobis inesse, quo ad superiora sublevamur, atque quid miserum, quo ad inferiora deprimimus. Inde vero est Auctorem *Epist. Philosophicarum* ep. 1. num 1, ad simplicitatem, humilitatem, & charitatem Christianæ Religionis inepte recurrere, ut evincat, necesse non esse per veram Religionem nobis detegi, unde proveniat, ex una parte nos erigi ad sublimiora, ex alia vero deprimi ad inferiora, quum neutrum eorum per solam rationem, prout necesse est, assequi possimus.

„ dem certe, atque improbitatem exemplo suo inducere mortales poterant; „ Sacrorum antistites, qui sceleratis moribus erant, neque auctoritate, neque „ praeceptis, neque monitis quemquam hortabantur ad recte instituendam vitam. „ Quae de poenis praemiisque sempiternis disputabant, partim referta fabulis „ erant, partim excogitata ad alendam improbitatem, Ergo qui sapientiores „ videri volebant, haec omnia, quae sunt de felicitate, cruciatibusve sempi- „ ternis, & sine quibus consistere pietas non potest, rejiciebant. Quamobrem „ ut apud Romanos, ita apud exteros majori parte homines omni vitiorum „ genere implicabantur. Qui ingenii facultate praestabant, cognorant Deorum „ religionem inanem, & plenam superstitionum esse. His, ut ab sententia „ deterrentur, ostenta primum atque prodigia sacrorum Praesides opponebant, „ quae in templis, & ad statuas Deorum quotidie evenire praedicarent. Ad „ oracula deinde, divinationemque confugiebant, qua futura, quae sine nu- „ mine Deorum immortalium prospici nequire dicerent, hominibus manifesta- „ ri nugabantur. Sed oracula vel fraude Sacerdotum, vel malorum Daemo- „ num artibus fundi solebant. Quocirca ludibrio a philosophis quibusdam ex- „ ponebantur „. Leges autem Ethnicorum & pravas, & inter se dissentien- tes esse etiam Apologistae Christianae Religionis observarunt: „ Quapropter [in- „ quit Tatianus *in Oratione contra Graecos* nu. 28.] vestras quoque legum in- „ stitutiones contempsi. Unam enim esse oportebat, & communem vivendi „ formam. Nunc autem quot civitates, tot legum institutiones, ita ut quae „ apud nonnullos turpia sunt, apud alios sint praeclara. Graecis nimirum fugien- „ dum videtur, ne quis cum matre conjungatur: at id praeclarissimum apud „ Persarum magos institutum. Puerorum amor a barbaris damnatur, a Roma- „ nis autem praerogativa donatur, qui puerorum greges, instar equorum gre- „ galium, cogere student.

Verum enimvero quoniam Deistae hoc quoque calumniae genus contra Chri- stianam Religionem a Juliano & Celso pro suo more mutuati sunt, quid il- li S. Cyrillus, isti autem Origenes reposuerit, modo videamus. „ Audi coe- „ lum (ita clamat S. Cyrillus lib. 7. *contra Julianum* tanta impietate, atque „ absurditate opinionis obstupefactus], & auribus percipe terra. En Raptacis „ linguam iterum contra Dei majestatem laxat [& injustitiam in excelsum lo- „ quitur), sicut scriptum est; neque melius quidquam putat, ut videtur, „ quam hac linguae prurigine nos appetere. Ceterum Divina Scriptura suffi- „ cit, ut sapientes, ac probi, ac plenissima prudentia praediti evadant, qui „ in ea educati sunt, nec ad illud prorsus egemus doctoribus peregrinis.... „ Litteras igitur graecas praelambentes, ut illius verbis utamur, multaque frau- „ de in iis reperta, tum sane vehementius sacros divinosque sermones, hoc „ est, divinitus inspiratam Scripturam admiramur. Quid enim utilitatis non „ illa complectitur „ ? Hoc vero est, quod pluribus deinde demonstrat. „ Multa enim a Platone (ita Origenes contra Celsum insurgit lib. 6. num. „ 1.], maxime proponit, ut ostendat ea etiam ex scripturis, quae vel acutum „ auditorem permovere possunt, nobis cum aliis esse communia: affirmatque „ *hac ipsa melius a Graecis dicta fuisse, & quidem sine illis a Deo Filiove* „ *Dei minis, & promissis*. Ad quod haec nostra responsio est: si veritatis do- „ ctores id sibi proponunt, humanitatisque esse ducunt, ut quam possunt plu- „ rimis prosint, & ad veritatem adducant quemcumque, tardum, intelligentem,

Grae-

„ Græcos, Barbaros (eximiæ, autem humanitatis est lucrari Deo vel rusticos, „ & imperitos) perspicuum est eam illis usurpandam esse orationem, ac stylum, „ qui popularis sit, & ad omnium captum accomodatus: qui verò simplices, „ & illitteratos, eo quod ad assequendam sermonis seriem non essent idonei, „ nihili fecerunt, de iis autem solis cogitarunt, qui sunt in litteris innutriti, „ eos certe publicæ utilitatis studium angustis admodum terminis circumscripsis„ se. (Num. 2.) Atque hæc mihi dicta sunt, ut a Celsi aliorumque cri„ minationibus defenderem Scripturarum simplicitatem, quæ cum sermonibus „ arte elaboratis collata ab illorum splendore obscurari videtur, quoniam no„ stri Prophetæ, & Jesus, & ejus Apostoli curarunt, ut sua prædicandi ratio „ esset hujusmodi, quæ non solum vera doceret, sed etiam vulgi alliceret a„ nimos, donec singuli hortationibus inducti ad arcana sub verbis in speciem „ simplicibus latentia pro suis quisque viribus conniterentur. Ac si libere lo„ qui oporteat, paucis utilitatem attulit, si tamen ullam attulit, comta hæc, „ & accurata Platonis aliorumque similiter loquentium oratio, præ illa simpli„ ciori eorum, qui docendo, & scribendo se ad vulgi captum demiserunt. „ Itaque Platonem videre licet a solis litteratis legi; contra Epictetum admi„ rationi esse etiam vulgo lectorum, qui se ejus præceptis meliores effici sen„ tiunt, modo sint ad fructum ex illis capiendum comparati. Hæc autem di„ co non ut Platoni faciam injuriam: multis enim in artibus utiliter laborem „ posuit, sed quo innotescat, quæ mens eorum fuerit, qui dixerunt: (a) *Sermo meus*, „ *& prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in o*„ *stensione spiritus, & virtutis, ut fides nostra non sit in sapientia hominum*, „ *sed in virtute Dei*. Divina Scriptura testatur non satis esse ad persuaden„ dum accomodate, nisi virtus quædam a Deo dicendi detur, nisi dicta flo„ rescant gratia, quæ gratia non sine Dei nutu insita est efficaciter dicenti„ bus. Prophetæ verba sunt in Psal. 67. *Dominus dedit verbum evangelizan*„ *tibus virtute multa*. Ut ergo demus quædam Græcorum dogmata eadem esse, „ quæ Christianorum; certe non eadem vis est ad animas adducendas eo, ut „ ex illis mores conforment. Quocirca Jesu discipuli, licet Græcanicæ philo„ sophiæ rudes, & imperiti, multas terræ gentes peragrarunt, & eas pro sin„ gulorum auditorum captu ad id pertraxerunt, quod præcipiebat doctrina; „ ita ut quantum quisque ad virtutem amplectendam habebat liberi arbitrii sui pro„ pensionem, tantum proficiebat „. Ex hisce vero omnibus non solum constat maximum discrimen esse inter Sacras litteras & scripta Philosophorum, sed etiam illud perspicuum est, quam inepte quondam Celsus in Divinis Scripturis dicendi simplicitatem reprehenderet, quamque etiam imperite, atque impie idem nunc faciant quidam Deistæ recentiores (b).

Du-

(a) I. *Corint.* 2. v. 4.

(b) Contra hos autem ita pro suo more præclare disputat etiam S. Augustinus epist. 137. *ad Volusianum* n. 18. alias epist. 3. „ Modus autem ipse dicendi, *inquit*, quo Sancta Scriptura contexitur, quam omnibus „ accessibilis, quamvis paucissimis. Ea, quæ „ aperta continet, quasi amicus familiaris si„ ne fuco ad cor loquitur indoctorum, at„ que doctorum. Ea vero, quæ in myste„ riis occultat, nec ipsa eloquio superbo eri„ git, quo non audeat accedere mens tar„ diuscula, & inerudita, quasi pauper ad di„ vitem, sed invitat omnes humili sermone, „ quos non solum manifesta pascat, sed etiam „ secreta exerceat veritate, hoc in promptis, „ quod in reconditis habens. Sed ne aper„ ta fastidirentur, eadem rursus operta deside„ rantur, desiderata quodammodo renovan„ tur, renovata suaviter intimantur. His sa„ lu-

Duplici autem de caussa quædam dogmata Philosophorum sunt eadem ac Christianorum. 1. quia & ipsi quoque quum lumen rationis sibi inditum haberent, eâ assequuti sæpe fuerunt, quæ per rationem cognosci possunt: 2. quia ab ipsis Sacris litteris nonnulla aliquando mutuati fuere. Hoc autem utrumque est, quod Apologistæ Christianæ Religionis Ethnicis opposuerunt: „ Meque profiteor laudi ducere (inquit S. Justinus *Apologia* 1, nu. 44.), ac dimicatione omni contendere, ut Christianus reperiar: non quod aliena sint a Christo instituta Platonis, sed quod non omnino similia, ut nec etiam aliorum Stoicorum scilicet, poetarum, & historicorum. Ut quisque enim disseminatæ rationis divinæ partem aliquam sibi cognatam videbat, præclare loquutus est. Qui autem secum ipsi in rebus longe gravissimis pugnarunt, ii nec scientiam sublimiorem, nec cognitionem, quæ refelli non possit, assequuti videntur „. A Prophetis autem ea accepisse tum Philosophos, tum Poetas, quæ ab iisdem de pœnis, atque præmiis post mortem tradita sunt memoriæ posterorum, affirmat S. Justinus *Apologia* 1. nu. 44. „ Atque omnia, *inquit*, quæcumque de immortalitate animæ, vel pœnis post mortem, vel cœlestium rerum contemplatione, vel similibus sententiis tum philosophi, tum poetæ dixerunt, sumpto ex Prophetis argumento, & intelligere res illas potuerunt, & exposuerunt. Hinc omnibus videntur inesse veritatis semina. Sed minus accurate ab illis cognitam fuisse ex eo liquet, quod contraria sibimetipsis dicant „. S. Theophilus lib. 2. *ad Autolycum* num. 12. postquam loquutus fuit de opere **sex dierum** a Moyse descripto, de philosophis, atque poetis ethnicis ita habet: „ Ac multi quidem, *inquit*, Scriptores illud imitati sunt, & de his rebus narrare aggressi, sed quamvis adjumenta inde sibi sumerent mundi creationis, & naturæ hominis explicandæ; tamen ne tenuem quidem veritatis scintillam assequi potuerunt. (Num. 37.) Tum etiam de mundi conflagratione volentes nolentes [Ethnici] consentanea Prophetis dixerunt, quamvis multo juniores natu fuerint, atque ex lege, & Prophetis hæc suffurati sint „. Tandem, ut alios omittamus, Tertullianus in *Apologetico* cap. 47. „ Quis poetarum, *inquit*, quis sophistarum, quis non omnino de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur philosophi sitim ingenii sui rigaverunt, ut quæ de nostris habent, ea nos comparent illis „. Hæc autem alia in præcedenti *Apologetici* cap. de philosophis habet, & recte quidem habet: „ Mimice philosophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant: Christiani eam necessario appetunt, & integre præstant, ut qui saluti suæ curant, adeo neque de conscientia, neque de disciplina, ut putatis, æquamur „.

Esseni autem quamvis multa religiose servarent, quæ laude digna essent, tamen plura quoque, quæ a recta ratione aliena sunt, in eorum doctrina continebantur, & ritibus superstitiosis addicti erant. Nam, uti Josephus tradit *Antiquit. Judai.* lib. 13. cap. 5. num. 9., omnia in potestate fati posita esse, *nec quidquam hominibus præter fati decretum accidere*, Esseni arbitrabantur. De futuro quoque vitæ statu non recte sentiebant, (a) & nuptias aspernabantur, (b) quamvis eorum quoque nonnulli essent, qui nuptias in malis non habe-

„ lubriter & gravia corriguntur, & parva „ nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. „ Ille huic doctrinæ inimicus est animus, „ qui vel errando eam nescit saluberrimam, „ vel odit ægrotando medicinam. „

(a) Josephus de *Bello Judaico* lib. 2. cap. 8. num. 11.

(b) Idem laud. cap. nu. 2.

haberent [a]. *Labis autem instar oleum habent*, inquit Josephus, (b) *& si quis vel invitus unctus fuerit, corpus abstergit; nam squallere honori ducunt, & veste candida semper indui*. Tanta autem erga suas lustrationes superstitione tenebantur, ut in templis Sacra non facerent, quia illas illis sanctiores haberent, & *hac de caussa*, inquit Josephus, (c) *communi delubro arcentur, & sacra sua seorsim faciunt*. Multa quoque alia quoad lustrationes superstitiose servabant, quemadmodum de *Bello Judaico* lib. 2. cap. 8. n. 5. Josephus tradit, atque peccatum apud eos cum summa crudelitate puniebatur [d]. Impiam ergo simul, & ineptam esse comparationem, quam Deistæ inter Legem Evangelicam & doctrinam Moralem Ethnicorum, atque præcepta Essenorum instituunt, nemo non videt.

Propositio III. Per Legem Evangelicam etiam quoad alios homo recte instituitur.

Prob. prop. Quamvis omnis humana societas duabus potissimum virtutibus, hoc est justitia, & charitate contineatur; tamen secundum Legem Evangelicam charitas omnia complectitur etiam justitiam, sicut Apostolus hisce verbis explicat: (e) „ Qui diligit proximum, legem implevit. Nam non „ adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non „ concupisces; & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: di„ liges proximum tuum, sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non ope„ ratur: plenitudo ergo Legis est dilectio „.

Charitatis enim proprietates tales sunt, ut in se ea omnia officia complectatur, quæ in favorem alterius exercere possumus: „ Charitas (inquit idem „ Apostolus I. *Corint*. 13. v. 4. & seq.) patiens est, benigna est: charitas „ non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non „ quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super „ iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia „ sperat, omnia sustinet „.

1. Ergo charitas patiens est. Unde Christus: (f) „ Audistis, *inquit*, quia „ dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autem dico vo„ bis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam „ tuam, præbe illi & alteram; & ei, qui vult tecum contendere, & tuni„ cam tuam tollere, dimitte ei & pallium „ & Apostolus: [g] „ Induite „ ergo vos, *ait*, sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, „ benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, „ & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut „ & Dominus donavit vobis, ita & vos „.

2. In omnes, atque etiam in ipsos inimicos benigna est. Unde Matt. 5. v. 4. dicitur: „ Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram „. Et (h) „ Di„ ligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro per„ sequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis „ est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super ju„ stos, & injustos „. 3. Non

(a) Idem laud. cap. num. 13.
(b) Laud. cap. nu. 3.
(c) *Antiquit. Judaic*. lib. 18. c. 1. nu. 5.
(d) Josephus nu. 8. mox laud. cap.
(e) *Roman*. 13. v. 8. & seq.
(f) *Matt*. 5 v. 38. & seq.
(g) *Colossen*. 3. v. 12. & seq.
(h) Eodem cap. v. 44. & seq.

3. Non æmulatur, neque perperam agit; ideoque Apostolus (a) omnes ita monet: „ Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. „ Sicut in die honeste ambulemus... non in contentione, & æmulatione „. Et [b] „ Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt... contentiones, æ- „ mulationes, iræ „. Servat quoque charitas justitiam, & æquitatem; hoc est, neque damnum, neque injuriam alteri inferri patitur; fidelitas in promissis, in sermone ingenuitas vult ut attendatur. Quapropter Apostolus omnes ita monet: (c) „ Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bo- „ nitate, & justitia, & veritate. Probantes quid sit beneplacitum Deo „. Et (d) „ Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, „ quoniam Deus vindex est de his omnibus „.

4. Non inflatur, neque ambitiosa est, nec quærit, quæ sua sunt. Hinc Scribas, & Pharisæos reprehensos fuisse legimus, (e) quia & salutationes in foro, & ab hominibus Rabbi vocari exoptarent, simulque constitutum, qui se exaltaverit, humiliatum iri; & qui se humiliaverit, exaltatum iri. Omnis autem, quæ de superbia exultatio concipitur, *maligna est*, (f) & *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. [g]

Quia vero charitas non quærit, quæ sua sunt, & pro salute proximi sollicita est: „ Rogamus autem vos, fratres, (inquit Apostolus, [h]) corri- „ pite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes esto- „ te ad omnes „; & in bonam aliorum ædificationem cedit: (i) „ Omnis „ sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificatio- „ nem fidei, ut det gratiam audientibus „; & liberalis est, atque hospitalitatem servat: (k) „ Qui petit a te, da ei; & volenti mutuari a te, ne „ avertaris „; ac (l) „ Hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim la- „ tuerunt quidam, Angelis hospitio receptis „; tandem & est clemens, atque misericors: (m) „ Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimit- „ tet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis „ hominibus peccata eorum; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra „.

5. Non irritatur, neque malum cogitat. Inde autem est, ut præceptum legamus: (n) „ Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die con- „ versus fuerit ad te dicens: pœnitet me, dimitte illi „. Et „ (o). Si offers mu- „ nus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid „ adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconci- „ liari fratri tuo, & tunc veniens, offeres munus tuum „. Omnis quoque de aliis mala cogitatio a mente nostra juxta præceptum Christi Domini avertatur oportet: [p] „ Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides „?

(a) *Roman.* 13. v. 12. & seq.
(b) Ad *Galatas* 5. v. 19. & 20.
(c) *Ephesior.* 4. v. 8. & seq.
(d) *I. Thessalon.* 4. v. 6.
(e) *Matt.* 23. v. 7.
(f) *Jacob.* 4. v. 16.
(g) I. *Petri* 5. v. 5.
(h) I. *Thessalon.* 5. v. 14.
(i) *Ephesior.* 4. v. 29.
(k) *Matt.* 5. v. 44.
(l) *Hebræor.* 13. v. 2.
(m) *Matt.* 6. v. 14. & seq.
(n) *Lucæ* 17. v. 4.
(o) *Matt.* 5. v. 23.
(p) *Matt.* 7. v. 1. & seq.

Tandem Charitas „ non gaudet super iniquitate, congaudet autem veri-
„ tati; omnia suffert, omnia credit &c. Quam enim gratiarum actionem (in-
„ quit Apostolus, (a)) possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio,
„ quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum „? Unde & ajebat „ [b].
„ Nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœni-
„ tentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum
„ patiamini ex nobis „. Et (c) „ Rogamus autem vos, fratres, corripite in-
„ quietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad
„ omnes. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod
„ bonum est, sectamini in invicem, & in omnes. Semper gaudete „. Ac
tandem (d) „ Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia
„ vestra in charitate fiant „.

His autem charitatis officiis, quæ usque modo recensuimus, aliisque sane multis, quæ recenseri possent, homines erga se invicem ita esse institutos, ut nihil divinius excogitari valeat, res ipsa clamat, ut nihil opus sit verbis: ergo per Legem Evangelicam etiam quoad alios homo recte instituitur.

Dices. Christus hæc omnibus servanda præcepit: (e) „ Si quis venit ad
„ me, & non odit patrem suum, & matrem, uxorem, & filios, & fratres,
„ & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus „:
sed contra humanam societatem peccat, qui parentes suos, uxorem, aut fratres, & sorores odio habet: ergo.

R. nunquam voluisse Christum, ut parentes, filios, atque propinquos odio haberemus, quum etiam dilectionem inimicorum nobis præceperit, sed solum ut ne tanti eos faceremus, ut ob amorem illorum quæ Dei sunt, aut esse debent, a nobis negligerentur. Hunc suorum verborum sensum esse, ipse Christus *Matt.* 10. v. 37. hisce verbis confirmat, „ Qui amat patrem, aut
„ matrem plus quam me, non est me dignus „. Hinc recte S. Thomas 2. 2.
quæst. 34. art. 3. ad 1. Parentes, *inquit*, quantum ad naturam, & affinitatem,
„ qua nobis conjunguntur, sunt a nobis secundum præceptum Dei honorandi.
„ Odiendi autem sunt quantum ad hoc quod impedimentum præstant nobis ac-
„ cedendi ad perfectionem Divinæ justitiæ „; & quæst. 101. ar. 4. ad 1. ait:
„ Quod parentes, quos adversarios in via Dei patimur, odiendo, & fugien-
„ do nescire debemus. Si enim parentes nostri nos provocent ad peccandum,
„ & abstrahant nos a cultu Divino, debemus quantum ad hoc eos deserere,
„ & odire. Jacobus autem, & Joannes laudantur ex hoc, quod sunt sequuti
„ Dominum, dimisso parente, non quia eorum pater eos provocaret ad ma-
„ lum, sed quia aliter æstimabant ipsum posse vitam transigere, eis Christum
„ sequentibus „. Vult ergo Deus, ut nemo in amore sibi præponatur: & quidem jure optimo, quum supremum dominium supra nos obtineat, (f) nihilque non ab ipso acceptum, atque etiam servatum non habeamus (g). Quia vero officia charitatis, quæ erga nos invicem exhibere debemus, neque firma, neque eadem apud omnes esse possunt, si in aliquo immutabili princi-
pio

(a) II. *Thessalon.* 3. v. 9.
(b) II. *Corint.* 7. v. 9.
(c) *Thessal.* 5. v. 14. & seq.
(d) I. *Corint.* 16. v. 13. & seq.
(e) *Luca* 14. v. 26. & seq.

(f) *Theol. Natural.* lib. 2. qu. 11. ar. 1. & 2.
(g) Eodem lib qu. 8. ar. 1., & seq., ac quæ. 10. art. 1., & seq.

pio suum fundamentum non habeant, a quo & originem ducant, & ad illud ultimo referantur; ideo per hoc quod Deus nihil sui amori præponendum esse statuerit, certa principia charitatis etiam erga alios simul constituit. Nam quum cujusvis dilectionis principium, ultimusque finis ipse esse jure optimo voluerit, consequens inde est, ut omnibus una eademque, & quidem immutabilis, diligendi ratio esse debeat.

Dices II. Quum Christiana Religio præcipiat, ut passiones deprimamus, inde futurum esse, ut & studium bonarum artium extinguatur, & opera virtutum omnino deficiant; sed tum studium bonarum artium, tum præclara opera virtutis plurimum humanæ societati prodesse, nemo negaverit: ergo falso dicitur, hominem etiam quoad alios per Legem Evangelicam recte esse institutum [a]. Deinde, addunt impii, nonne propter despectum divitiarum, quem Christiana Religio imperat, negotiatio destruitur, quæ humanæ societati valde prodest? (b) quis ergo non videat Religionem Christianam humanæ societati infestam esse? Postremo, inquiunt, in Christiana Religione homines inertes inde redduntur, quia contemptus divitiarum, & venia injuriæ acceptæ ab ea inspirantur (c), & propter spiritum Christianismi homines ad omnia inepti evadunt, quia per eum solvuntur a curis terrestribus, ut contemplationi vacare possint. (d) Tandem nonne, ajunt, maxima quoque similitudo est inter Christianam, & Mahometanam Religionem (e)?

R., contra experientiam omnium sæculorum summa cum audacia eum aperte mentiri, qui ita ratiocinatur. Quid? an ne viri sapientes, atque omni genere doctrinarum summopere commendabiles in Ecclesia Christianorum aliquando defuerunt? anne studium liberalium artium per Christianam Religionem sublatum, atque extinctum omnino fuit? Profecto nullum est disciplinæ genus, in quo etiam viri sanctissimi omni tempore sese non exercuerint, nullaque doctrina, in qua se esse valde instructos rebus ipsis non probaverint. Studium vero artium liberalium etiam apud religiosiores quanto semper in honore fuit? quam impense illud coluerunt, atque ab aliis colendum curarunt? Hujus rei manifestæ testes non necessarios non est, cur afferamus: nam sanctos viros una cum pietate, quam ab Evangelica Lege hauserunt, studium quoque litterarum artiumque liberalium simul conjunxisse, nemini non perspectum est, quum multa opera eorum, quæ modo etiam leguntur, hac de re dubi-

(a) Auctor *Philosophicarum Cogitat.* §. 1. suum impium Opusculum ita auspicatur.

(b) Ita ineptit Auctor inscripti Operis *Examende de la Religion.* chap. 5. Idem effutierat etiam Bælius Tom. 3. Oper. par. 1. *Continuation des Pensees diverses* §. 197.

(c) Per Nazarenam Religionem effici homines inertes, quia ab ea inspiratur contemptus divitiarum, & venia acceptæ injuriæ, calumniatur Auctor *Epistolarum Judaicarum* epist. 48. Ipse idem tamen epist. 142. Christianam Religionem laudat uti conformem æquitati, utilem societati, atque continentem ea præcepta, quibus potissimum animos extollitur, concluditque verum Nazarenum perfectum esse Philosophum. Verum non solum hac in re, sed etiam in aliis multis sibi sæpe contradicit, uti mos est hujusmodi Philosophorum, qui Religionem oppugnant. Ita, ut alios sane plures omittam, Rousseaus in suo *Emilio* pag. 179. modo dicit nihil esse sanctius Evangelicis præceptis, modo ea ipsi rationi repugnare affirmat.

(d) Auctor Opusculi inscripti: *Code de la Natura* par. 2. p. 82. spiritu Christianismi effici homines ineptos inde obtrudit, quia per eum solvuntur a terrestribus curis, ut contemplationi vacare possint.

(e) Auctor *Epistolarum Persicarum* hujusmodi comparationem impie instituit. In *Judaicis* quoque, *Cabalisticis*, & *Sinensibus* epistolis vel hujusmodi comparatio sæpe instituitur, vel Mahometana Religio valde extollitur.

dubitare non ſinant. Quid vero non præclarum ab iis omni tempore geſtum eſt, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur? Nullum autem genus actionum quamvis fuerit, in quibus non omnes alios longe vicerint; tamen quoad eas potiſſimum, quæ in aliorum utilitatem cedere poterant, quamdam divinitatem aſſequuti fuiſſe videntur. Quid non fecerunt, ut aliorum infirmitati providerent? quid ut egeſtati proſpicerent, erroribus occurrerent, ſalutem procurarent, commodis conſulerent, atque etiam felicitatem promoverent? contra vero quid per Legem Evangelicam unicuique non prohibetur, quod alteri noxium eſſe poſſit? Verum quod admirationem omnium commoveat oportet, illud eſt, quod per Legem Evangelicam non uni, aut alteri tantum, ſed omnibus, qua fieri ratione poſſit, benefaciendum, & non ab unius, aut alterius tantum, ſed ab injuria omnium prorſus abſtinendum eſt. Quo fit, ut utilitati cunctarum gentium perfectiſſime proviſum ſit. „ Inſpicientes igitur ſcripta Græcorum (ita „ S. Cyrillus lib. 7. *contra Julianum* rem fere eamdem objicientem, ac Au- „ ctor *Philoſophicarum Cogitationum*) verborum compoſitionem laudamus, & „ concinnitatem orationis, ſed, eorum placitis repudiatis, ad Sanctas potius „ Scripturas convertimur, in quibus elucet veritatis decus, & accurata dogma- „ tum cognitio cumulate continetur, & omne genus bonorum documentorum, „ per quæ omni virtute plenus quis ſtatim evadat, & recte factorum gloria „ conſpicuus „.

Verum & Originem quoque, qui Celſum Chriſtianæ Religioni imperitiam objicientem ita refellit, audiamus: „ Jam vero [inquit ipſe, lib. 3. *contra* „ *Celſum* num. 45.] doctrinæ noſtræ mentem eſſe, ut ſapientiæ navemus ope- „ ram, probandum eſt quum ex veteribus Judæorum ſcripturis, quibus & „ nos utimur, tum ex iis, quæ poſt Jeſum ſcriptæ ſunt, quaſque Divinas „ eſſe credunt Eccleſiæ. Ac primo David in pſal. 50. fundens ad Deum pre- „ ces: *incerta*, inquit, *& occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*. Ac ſi quis „ pſalmos verſaverit, librum hunc quamplurimis ſapientibus præceptis refer- „ tum eſſe deprehendet. Salomon quoque flagitavit ſapientiam, & obtinuit, „ ejuſque ſapientiæ veſtigia in ejus ſcriptis videre eſt, & expreſſas paucis „ verbis ſublimes ſententias. Illic multis laudibus animadvertas celebrari ſa- „ pientiam, & ad eam acquirendam homines incitari... Et Daniel, iique, „ qui cum illo redacti fuerant in ſervitutem, tantum in diſciplinis, quas apud „ Regem Babylonicum ſapientes profitebantur, profecerant, ut decuplo ſu- „ perarent ceteros. Unde apud Ezechielem Princeps Tyri, qui de ſapientia „ gloriabatur, audit: (a) *an tu ſapientior es Daniele? Omne ſecretum non eſt* „ *oſtenſum tibi* „.

Num. 46. „ Nunc ſi ſumpſeris in manus libros poſt adventum Jeſu ſcri- „ ptos, ibi turbis fidelium parabolas narrari invenias, quaſi extra eſſent, & „ his ſolum extraneis ſermonibus dignæ; diſcipulis autem privatim parabo- „ las explicari. Privatim enim ſuis diſcipulis Jeſus ediſſerebat omnia, turbis „ anteponens eos, qui ſapientiæ ejus deſiderio tenebantur. Pollicetur etiam „ ſe ad eos, qui in eum crederent. miſſurum ſapientes, & ſcribas: (b) *ec-* „ *ce ego*, inquit, *mitto ad vos ſapientes, & ſcribas, & ex illis occident,* „ *& crucifigent*. Et Paulus gratias enumerans, quæ Deum auctorem habent, „ in primo loco *Sermonem Sapientiæ*, in ſecundo, ut inferiorem, *ſermonem* *ſcien-*

(a) *Ezechiel.* 28. v. 3.

(b) *Matt.* 23. v. 34.

„ *scientiæ* reponit :... Item Stephanus multiplicem Moysis eruditionem te-„ statur in Actis Apostolorum, id quod ex veteribus, nec vulgo cognitis li-„ bris hauserat: (a) *eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum*.

Num. 47. „ Verisimile est, quæ Paulus in priori sua ad Corinthios, (b) „ Græcos scilicet græcanica sapientia inflatos, scripsit, ea movisse quosdam, „ ut sapientes a nostra religione excludi crederent. Qui sibi hoc induxit ani-„ mum, discat quemadmodum illic reprehendens improbos homines, eos, ait „ Apostolus, non in his esse sapientes, quæ solius intelligentiæ sunt, quæ sub „ sensus non cadunt, quæ æterna sunt, sed quum in solis sensibilibus occu-„ pentur, in iisque reponant omnia, sapientes esse hujus mundi „.

Num. 48. „ Fortasse etiam opinioni eorum, qui eruditum, aut sapien-„ tem, aut prudentem arbitrantur in nostram societatem non recipi, locum „ dederit hic alius Pauli locus: (c) *videte autem vocationem vestram, fratres,* „ *quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi no-* „ *biles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes*. At „ non dictum est, nemo sapiens secundum carnem; sed: *non multi sapientes* „ *secundum carnem*. Certe Paulus describens quibus dotibus ornatum esse opor-„ teat, quem vocat Episcopum, jubet eum esse *doctorem*; ait enim oporte-„ re, *ut potens sit eos, qui contradicunt, arguere*, & sua sapientia os ob-„ struere *vaniloquis & seductoribus*... Injuste igitur Celsus in nos insurgit, „ quasi diceremus: *nemo eruditus, nemo sapiens, nemo prudens ad nos acce-* „ *dat*. Immo accedat eruditus, sapiens, prudens, quum voluerit. Sed acce-„ dat nihilominus stolidus, ineruditus, puer. Pollicetur enim nostra doctrina „ se & illos homines sanaturam, si accesserint, quippe quæ omnes Deo di-„ gnos efficit „.

Et re quidem vera si litterarum studium Christiani neglexissent, nulla caussa fuisset, cur Imperator Julianus juberet. „ Ut ne quis nostrum in scho-„ lis oratores, poetas, & philosophos veteres Græcorum explicare auderet. „ Quum enim multa inde a Christianis peti videret, quibus Ethnicorum su-„ perstitio everteretur, veritus, ne his subsidiis, quin detrimenti aliquid ca-„ peret, societas Christiana majores progressus faceret, suosque fines amplifi-„ caret, dejiciendos nostros ex eo præsidio esse judicavit (d) „.

Lege autem Evangelica passiones non ut extinguamus, sed ut rationi sub-jiciamus, nobis præcipitur. Semel autem ac rationi subjectæ fuerint, longe perfectius est bonum, quod operamur. „ Quum enim bonum hominis, (ut „ advertit S. Thomas 1. 2. quæst. 23. art. 3.) consistat in ratione, sicut in „ radice; tanto illud bonum erit perfectius, quanto ad plura quæ homini con-„ veniunt, derivari potest. Unde nullus dubitat, quin ad perfectionem mora-„ lis boni pertineat, quod actus exteriorum membrorum per rationis regulam „ dirigantur. Unde quum appetitus sensitivus possit obedire rationi, ad perfe-„ ctionem moralis, sive humani boni pertinet, quod etiam ipsæ passiones ani-„ mæ sint regulatæ per rationem. Sicut igitur melius est quod homo & velit „ bonum, & faciat exteriori actu: ita etiam ad perfectionem boni moralis „ pertinet, quod homo ad bonum moveatur, non solum secundum volunta-

„ tem

(a) *Actorum* 7. v. 22.
(b) I. *Corint.* 1. v. 18. & seq.
(c) I. *Corint.* 1. v. 26. & seq.
(d) Mamachius *Originum, & Antiquit. Christian.* lib. 2. cap. 3, §. 2. n. 11.

,, tem, sed etiam secundum appetitum sensitivum ,, . Unde fit, ut per Legem Evangelicam nostræ passiones amittant quidquid vitii in se habere possunt, novamque perfectionem acquirant.

,, Non est nunc necesse (ita ad rem nostram S. Augustinus de *Civitate Dei* ,, lib. 9. cap. 5.) copiose, ac diligenter ostendere, quid de istis passionibus ,, doceat Scriptura Divina, qua Christiana eruditio continetur. Deo quippe il- ,, lam ipsam mentem subjicit regendam, & juvandam, mentique passiones ita ,, moderandas, atque frenandas, ut in usus justitiæ convertantur. Denique in ,, disciplina nostra non tam quæritur, utrum pius animus irascatur, sed quare ,, irascatur; nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed ,, quid timeat. Irasci enim peccanti, ut corrigatur; contristari pro afflicto, ,, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat; nescio, ut quispiam sana con- ,, sideratione reprehendat ,, .

Quænam autem in lege Evangelica quoad divitias præcipiantur, primo videamus, postea vero talia esse evincemus, ut communi societati neque magis consentanea, neque magis utilia esse possint. Esse ergo in Evangelica lege præceptum, ut renunciemus omnibus divitiis nemo dixerit. ,, In ipso No- ,, vo Testamento (inquit S. Augustinus *contra Adimantum* nu. 1.) cujus præ- ,, mium, & hæreditas ad novum hominem pertinet, tamen & Dominus iis- ,, dem ipsis, quos vult esse rerum temporalium contemptores, ut in Evange- ,, lio sibi serviant, promittit multiplicationem rerum in hoc sæculo centies tan- ,, tum, in sæculo autem venturo vitam æternam (a) ,, . Nonnulla autem testimonia Novi Testamenti, quæ possessioni divitiarum contraria esse videntur, postquam exposuit, num. 2. ita recte concludit: ,, Quis hic non intelligat non ,, esse culpabile habere ista, sed amare, & spem in eis ponere, & ea præ- ,, ferre, aut etiam conferre veritati, justitiæ, sapientiæ, fidei, bonæ conscien- ,, tiæ, charitati Dei, & proximi, quibus omnibus anima pia dives est in ,, secretis suis coram oculis Dei ,, ? Hac eadem de re etiam in epist. 157. *ad Hilarium* num. 13., alias epist. 89., ita pro suo more præclare disserit: ,, Audi jam pauca de divitibus, quod in epistola tua sequitur inquirendum. ,, Hoc enim posuisti illos dicere: *divitem manentem in divitiis suis regnum* ,, *Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit, nec ei prodesse, si forte* ,, *ex ipsis divitiis mandata fecerit*. Evaserunt istorum disputationes patres no- ,, stri Abraham, & Isaac, & Jacob, qui tanto ante ex hac vita migrarunt. ,, Habebant quippe hi omnes non paucas divitias, sicut fidelissima Scriptura ,, testatur: multos tamen venturos ab Oriente, & Occidente (b) & non su- ,, pra ipsos, vel extra ipsos, sed cum ipsis recubituros in regno cœlorum, ,, ille ipse, qui propter nos factus est pauper, quum vero dives esset, vera- ,, cissima promissione prædixit. Et quamvis superbus dives, qui induebatur ,, purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide (c), mortuus apud in- ,, feros torqueretur, tamen si pauperis ulcerosi, qui ante januas ejus contem- ,, ptus jacebat, miseratus fuisset, mereretur & ipse misericordiam. Et si pau- ,, peri illi meritum esset inopia, non justitia, non utique ab Angelis in Abra- ,, hæ gremium, qui dives hic fuerat, tolleretur. Sed ut nobis ostenderetur, ,, nec in isto paupertatem per se ipsam divinitus honoratam, nec in illo di- ,, vitias fuisse damnatas, sed in isto pietatem, in illo impietatem suos exi-

,, tus

(a) *Matt.* 19. v. 29. (b) *Matt.* 8. v. 11. (c) *Lucæ* 16. v. 22.

„ tus habuisse: sic suscepit impium divitem cruciatus ignis, ut tamen pium „ pauperem susciperet sinus divitis. Qui sane quum hîc dives viveret, divi- „ tias sic habebat, & eas præ Dei præceptis tam parvi pendebat, ut etiam „ ipsius filii immolatione nollet offendere Deum jubentem, quem suarum di- „ vitiarum & sperabat, & optabat hæredem „. Hac quoque in epistola deinde exponit multa testimonia Divinarum Scripturarum, quibus possessio divitiarum damnari videtur. (a)

Consuli ergo, non vero præcipi renuntiationem divitiarum, allato hoc testimonio Matt.19. v. 21. *Vade, vende omnia, quæ habes, da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni, sequere me*, num. 25. idem S. Doctor ita evincit: „ Cui enim Dominus hæc præcepit? Profecto illi diviti, qui vitæ „ æternæ consequendæ consilium quærebat accipere. Hoc enim Domino di- „ xerat: *quid faciam, ut vitam æternam consequar?* Ille autem non ei re- „ spondit: si vis venire ad vitam, vade, vende omnia, quæ habes: sed *si* „ *vis venire ad vitam, serva mandata*. Quæ juvenis quum sibi a Domino ex le- „ ge commemorata se servasse dixisset, & quæsiisset, quid adhuc sibi deesset, responsum accepit: *si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ ha-* „ *bes, & da pauperibus*. Et ne se illa, quæ multum amabat, hoc modo per- „ dere existimaret: *& habebis*, inquit, *thesaurum in cœlis*. Deinde addidit: „ *& veni, sequere me*... Magister bonus mandata legis ab ista excellentio- „ ri perfectione distinxit. Ibi enim dixit: *si vis venire ad vitam, serva man-* „ *data*: hic autem: *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes* „. Quapropter non divitias, sed earumdem inordinatum affectum, & pravum usum damnari in Evangelica Lege, ab eaque consuli tantum, non vero præcipi, ut divitiis renunciemus, tam manifestum est, quam quod maxime.

Per hoc autem quod in Evangelica lege & inordinatus affectus, & pravus usus divitiarum prohibeatur, humanæ societati recte consultum esse contendo, vel ea conjunctim spectetur, vel attendatur ad ejus singula membra „. Dicendum (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 118. art. 2. ad 2.), quod avaritia „ potest importare immoderantiam circa res exteriores dupliciter. Uno modo „ immediate quantum ad acceptionem, & conservationem ipsarum, ut scilicet homo plus debito eas acquirat, vel conservet. Et secundum hoc est „ directe peccatum in proximum, quia in exterioribus divitiis non potest unus „ homo superabundare, nisi alteri deficiat, quia bona temporalia non possunt „ simul possideri a multis. Alio modo potest importare immoderantiam circa interiores affectiones, quas quis ad divitias habet: puta quod immoderate aliquis divitias amet, aut desideret, aut delectetur in eis: Et sic avaritia „ est peccatum hominis in seipsum, quia per hoc deordinatur ejus affectus „. Et re quidem vera anne societatis hominum quam maxime non interest, ut unusquisque divitiis, quas habet, utatur, prout decet? ut alienæ pecuniæ non invideat? ut eum damno aliorum non studeat sibi comparare divitias? ut subveniat aliis, prout sui status conditio patitur? ut communi bono propriam utilitatem non anteponat? ut opportuno tempore erga alios liberalitate utatur? ut

(a) Vitium non inesse in divitiis, sed vel in ordinato affectu, vel in pravo usu earum unanimiter sancti Ecclesiæ Doctores ex Sacris litteris evincunt. Legatur S. Gregorius Papa lib. 20. in cap. 12. Job. num. 49., S. Ambrosius in *Expositione Evangelii secundum Lucam* lib. 5. nu. 69. & lib. 8. num 13., & 85., & S. Joannes Chrisostomus in cap. 48. *Genesis* homil. 66. num. 4.

ut demum suum finem non reponat in divitiis? Hæc vero sunt, quæ unusquisque explere facile potest, si erga divitias ea ratione sit affectus, qua in Lege Evangelica præcipitur. Nam inordinato appetitu divitiarum semel sublato, non solum quisque alienas appetere divitias, aut usurpare non quæret, sed etiam opportune in utilitatem aliorum suis uti gaudebit (a).

Consilium quoque, quod de renuntiandis divitiis in Lege Evangelica insinuatur, tantum abest, ut communi societati obesse possit, quin potius quam maxime prodest. Quid? Anne communi societati damnum affert, ut qui divitiis instructus est, nullamque ob conditionem sui status peculiarem obligationem habet, easdem iis distribuat, qui maxima necessitate laborant, vel in usum earum rerum impendat, quæ communi societati valde prodesse possunt? Sed hujusmodi opera virtutum peragenda ab iis, qui divitiis renuntiant, in Lege Evangelica proponuntur: consilium itaque, quod de renuntiandis divitiis in Lege Evangelica insinuatur, publicæ utilitati quam maxime prodest.

Quoniam vero quod Deistæ nostri temporis quoad negotiationem nobis objiciunt, jam antea Ethnici primis Christianis objecerunt, quid iisdem Tertullianus in *Apologetico* cap. 42. reposuerit, modo videamus: „ Sed alio quoque, „ *inquit*, injuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur. Quo „ pacto homines vobiscum degentes, ejusdem victus, habitus, instructus, e„ jusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanæ, aut Gymnosophi„ stæ sumus, Silvicolæ, & exules vitæ. Meminimus gratiam debere nos Deo „ Domino Creatori. Nullum fructum operum ejus repudiamus; plane tempe„ ramus, ne ultra modum, aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non „ sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, „ ceterisque commerciis cohabitamus hoc sæculum. Navigamus & vos vobiscum

(a) Præclare sane Hugo Grotius de hujus Evangelici præcepti sanctitate, & æquitate *de Veritate Religionis Christianæ* l. 2. §. 14. ita disserit: „ Christiana lex non modo „ omne injustitiæ genus, & in quosvis prohi„ bet, sed & vetat nos studium nostrum „ rebus illis caducis impendere; quia scili„ cet non sufficiat animus noster ad duo se„ dulo curanda, quæ singula hominem to„ tum requirant, & sæpe in contraria con„ silia nos trahant: deinde vero & in quæ„ rendis, & in servandis divitiis sollicitudo „ servitutem quamdam, & cruciatum se„ cum ferat, quæ ipsam voluptatem, quæ „ ex divitiis speratur, corrumpant; ea ve„ ro, quibus natura contenta est, & pauca „ sunt, & facile sine magno labore, aut „ impendio parentur. Quod si quid tamen „ Deus ultra indulserit, non hoc in mare „ projicere jubemur, ut Philosophi quidam „ imprudenter fecerunt, neque detinere inuti„ le, sed supplere inde hominum aliorum „ inopiam, sive donando, sive dando mu„ tuum id rogantibus, ut decet eos, qui „ se non dominos harum rerum, sed Dei „ summi Parentis procuratores, ac dispen„ satores credant: bene enim locatum bene„ ficium thesaurum esse bonæ spei plenum, „ in quem nec furum, improbitati, nec ca„ suum varietati quidquam liceat. Cujus „ veræ non fucatæ liberalitatis exemplum „ admirabile præbuerunt Christianorum pri„ mi, quum usque ex Macedonia, & Achaja „ ea mitterentur, quæ Palestinorum egesta„ tem sublevabant: non aliter quam si or„ bis totus una esset familia. Atque hic il„ la quoque cautio in Christi lege additur, „ ne qua repensationis, aut honoris spes be„ neficentiam deflores; cujus apud Deum „ perit gratia, si aliud præter Deum respicit. „ Ac nequis, ut fieri solet, obtendat tena„ citati suæ velum, quasi metuat, ne ipse „ olim senex, aut a calamitate aliqua de„ prehensus, suis rebus opus habeat, promit„ tit lex curam specialem pro his, qui „ illa præcepta servaverint; & quo magis „ confidant, in mentem illis revocat con„ spicuam Dei providentiam in alendis fe„ ris, ac pecudibus, & in ornandis herbis „ floribusque: rem vero fore indignam si „ Deo tam bono, tam potenti, tamquam „ malo nomini non credamus ultra quam dum „ pignori incumbimus „.

„ cum, & militamus, & rusticamur, & mercatus proinde miscemus. Artes „ operas nostras publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur nego- „ tiis vestris, cum quibus, de quibus vivimus, non scio „. Quum vero quæ Tertullianus reponebat Ethnicis, nos Deistis ad ipsam experientiam appellantes reponere possimus; sicut Ethnicos calumniandi libidine hæc quondam Christianis opposuisse constat, ita Deistas eadem libidine incitatos eadem rursus Christianis objicere, nullus relinquitur dubitandi locus [a].

Est tamen advertendum, quod duplex genus negotiationis distingui potest: unum, quod exercetur vel per commutationem unius rei cum alia, vel per commutationem pecuniæ cum rebus ad subveniendum vitæ necessitatibus: hoc autem genus negotiationis revera non pertinet ad negotiatores, sed ad eos, qui civitatis politicam, & domus œconomicam curam gerunt: alterum vero, quod consistit vel in commutatione pecuniæ cum pecunia, vel in commutatione quarumcumque rerum cum pecunia non ad subveniendum necessitatibus vitæ, sed ad captandum lucrum: & hoc quidem simpliciter pertinet ad negotiatores. Illud non laudabile esse non potest, & civitatibus domibusque non necessarium: istud autem in se nihil habet, unde laudem mercatur, sed potius quamdam turpitudinem continet, quia, quantum est ex sui natura, ad lucri cupiditatem deservit, quæ nunquam expletur. Licet autem lucrum, quod est finis hujusce negotiationis aliquid in se honestum, aut necessarium non habeat; tamen ex sui ratione nihil etiam vitiosum continet, aut virtuti contrarium. Quapropter potest illud referri ad aliquem necessarium finem, aut honestum; & tunc negotiatio nullam in se turpitudinem continebit: puta si lucrum honestum ordinetur vel ad sustentationem familiæ, vel ad subveniendum indigentibus. Erit quoq. honesta negotiatio, si ordinetur ad publicam utilitatem, ne res necessariæ desint civibus, & lucrum expetatur non quasi finis, sed ut stipendium laboris [b]. Prius genus negotiationis, quod in se laudabile est, etiam Christianis exercere licet, si ad vitæ sustentationem necessarium omnino sit: alterum autem nemo secundum institutionem suæ vitæ magis juste, atque

ad

(a) Hoc idem calumniæ genus, quo Christiani, ut: *Hebetes*, *stolidi*, *fatui*, *obtusi*, & *bruti* per summam injuriam ab Ethnicis traducebantur, depulsum vide etiam apud Arnobium *adversus Gentes* lib. 1. „ Nos hebetes, *inquit*, stolidi, fatui, obtusi pro- „ nunciamur & bruti, qui dedimus nos Deo, „ cujus nutu, & arbitrio omne, quod est, „ constat, & in sententiæ suæ perpetuitate „ defixum est „. Libro quoque secundo hoc calumniæ genus iterum iterumque depellit.

(b) „ Dicendum (inquit S. Thomas 2. 2. „ quæst. 77. art. 4.), quod ad negotiatores per- „ tinet commutationibus rerum insistere. „ Ut autem Philosophus dicit in I. *Politico-* „ *rum*, est duplex rerum commutatio: una „ quidem quasi naturalis, & necessaria, per „ quam scilicet fit commutatio rei ad rem, „ vel rerum, & denariorum propter necessi- „ tatem vitæ. Et talis commutatio non „ proprie pertinet ad negotiatores, sed ma- „ gis ad œconomicos, vel politicos, qui „ habent providere vel domui, vel civitati „ de rebus necessariis ad vitam. Alia vero „ commutationis species est, vel denariorum „ ad denarios, vel quarumcumque rerum „ ad denarios, non propter res necessarias „ vitæ, sed propter lucrum quærendum. Et „ hæc quidem negotiatio proprie videtur ad „ negotiatores pertinere secundum Philoso- „ phum (I. *Politic.* cap. 6.) Prima autem „ commutatio laudabilis est, quia deservit „ naturali necessitati. Secunda autem juste „ vituperatur, quia quantum est de se, de- „ servit cupiditati lucri, quæ terminum ne- „ scit, sed in infinitum tendit. Et ideo ne- „ gotiatio secundum se considerata quam- „ dam turpitudinem habet, in quantum non „ importat de sui ratione finem honestum, „ vel necessarium. Lucrum tamen, quod est „ negotiationis finis, etsi in sui ratione non „ importet aliquid honestum, vel necessa- „ rium

ad communem ſocietatem magis utiliter, quam Chriſtianus, ſi tamen, prout debet, obtemperet præceptis Evangelicæ legis, exercere poteſt. Quid? Nonne iſta negotiatio ut evadat honeſta, oportet, quod lucrum ab ea intentum ad finem aliquem neceſſarium, & honeſtum dirigatur? nonne inde quoque honeſta evadit, ſi exerceatur ob publicam utilitatem, ne res neceſſariæ civibus deſint, & lucrum expetatur non quaſi finis, ſed ut ſtipendium laboris? Ii ergo potiſſimum, quibus præceptum eſt, ut ſuorum, & maxime domeſticorum curam habeant (a), ne infidelibus deteriores evadant, ut pauperibus ſubveniant, (b) ut inordinatum affectum non habeant erga divitias, ſemel ac in hoc genere negotiationis ſeſe exerceant, in eo ſane ſeſe exercebunt, ut lucro, quod ex eodem comparatur, ſuæ domus aliorumque neceſſitati proſpiciant, vel negotiationi eum in finem incumbent, ne civibus deſint, quæ neceſſaria ſunt, lucrum vero expetent non quaſi finem, ſed ut ſtipendium laboris. Sed paucioribus, quod volo: maximum in negotiatione periculum ineſt, ne fraus aliqua committatur, aut per eam non intendatur aliquid neceſſarium, & honeſtum, ſed cupiditas divitiarum vel accendatur, vel foveatur: ergo ii potiſſimum, qui etiam ex peculiari ſui inſtituti ratione in negotio fratrem ſuum nullo modo circumvenire, (c) quique omni affectui divitiarum renunciare debent, ut evadant æterna mala, ſemel ac negotiationi incumbant, ea, qua par eſt, ratione incumbent, ſi tamen ſervent præcepta Chriſtianæ Religionis, quam profitentur; ſed quod mercatura qua par eſt ratione exerceatur, communi ſocietati quam maxime prodeſt: ergo quum Chriſtiana Religio non ſolum præcipiat, ut qua par eſt ratione exerceatur, ſed etiam talia ſint plura præcepta illius, ut inducant ad eam exercendam prout debet, & quidem ſub comminatione pœnarum æternarum, & jactura bonorum æternorum, dicendum eſt Chriſtianam Religionem ex hoc quoque capite humanæ ſocietati valde utilem ſalutaremque eſſe. Inde ergo etiam utilitas Chriſtianæ Religionis quoad humanam ſocietatem evidentiſſime conſtat, unde Deiſtæ eidem ſocietati eam noxiam eſſe per ſummam audaciam effutiunt (d).

Quaſi vero homines, ſemel ac divitiis comparandis, & augendis diligentius, atque omni ſtudio non incumbant, continuo ſequatur, ut turpi otio marceſcere debeant, nihilque humanæ ſocietati utile, atque commodum agere poſſint, inde quoque Deiſtæ calumniari audent, quod inertia in Chriſtiana Religio-

„ rium, nihil tamen importat de ſui ratione „ vitioſum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem „ finem neceſſarium, vel etiam honeſtum, „ & ſic negotiatio licita reddetur. Sicut „ quum aliquis lucrum moderatum, quod „ negotiando quærit, ordinat ad domus ſuæ „ ſuſtentationem; vel etiam quum aliquis „ negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne ſcilicet res neceſſariæ ad vitam patriæ deſint. & lucrum expetit non „ quaſi finem, ſed quaſi ſtipendium laboris „.

(a) „ Si quis autem ſuorum (inquit „ Apoſtolus Paulus I. *ad Timoth.* 5. v. 8.) & „ maxime domeſticorum curam non habet, „ fidem negavit, & eſt infideli deterior „.

(b) Verumtamen, quod ſupereſt (in„ quit Chriſtus *Lucæ* 11. v. 41.), date ele„ emoſynam „ & cap. 12. v. 33. „ Vendite „ quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. „ Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, „ theſaurum non deficientem in cœlis „. & Joannes Apoſt. in ſua 1. epiſt. cap 3. v. 17. „ „ Qui habuerit, *inquit*, ſubſtantiam hujus „ mundi; & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua „ ab eo; quomodo charitas Dei manet in „ eo „?

(c) „ Et ne quis ſupergrediatur, ne„ que circumveniat in negotio fratrem ſuum „ inquit Apoſtolus I. *Theſſal.* 4. v. 6.

(d) Conſulantur quæ de negotiatione præclare diſſerit S. Auguſtinus *Enarrat. in Pſal.* 70. *Serm.* 1. nu. 17. & ſeq.

ligione foveatur, quia in ea præcipitur, ut divitias contemnamus. Verum, ut nunc omittamus, ex contemptu divitiarum plura consequi, quæ humanæ societati valde utilia sunt: hac enim de re satis usque modo disseruimus; illud eis reponimus, vel ipsis Ethnicis hominibus perspectum fuisse ea genera officiorum, in quibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, præ ceteris aliis magis honesta esse: mercaturam vero, quæ ad divitias augendas deservit, si sit tenuis, sordidam esse; sin magna, & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impartiens, non esse admodum vituperandam: & tunc laudari posse, si satiata quæstu, vel contenta potius, in agros possessionesque sese contulerit. „ Quibus autem artibus (inquit „ Cicero *Officiorum* lib. I.) aut prudentia major inest, aut non mediocris uti„ utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honesta„ rum, hæ sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestæ. Mercatura autem, „ si tenuis est, sordida putanda est: sin magna, & copiosa multa undique „ apportans, multisque sine vanitate impartiens, non est admodum vituperan„ da. Atque etiam, si satiata quæstu, vel contenta potius, ut sæpe ex alto in „ portum, sic ex ipso portu se in agros possessionesque contulerit, videtur ju„ re optimo posse laudari „. Et re quidem vera quam multa præclara munera sunt, quibus quispiam cum Reipublicæ utilitate vacare potest, & quidem eo majori, quo animum magis alienum a divitiis habuerit? Quid? Qui aliquam præfecturam in Republica gerunt, qui præsunt foro, atque judiciis, qui invigilant publicæ tranquillitati, qui curant, ne Respublica aliquod detrimentum subeat, qui aliis instituendis in vario genere disciplinarum diligentissimam operam navant, qui demum, ut prope infinita alia munera, quæ cum maxima Reipublicæ utilitate exercentur, nunc omittam, studio litterarum incumbunt, iisque refutandis serio intendunt, quæ licet falsa, mentes tamen imbecilliorum facile corrumpere possent, hi nonne sua opera maximam Reipublicæ utilitatem afferunt, & quidem eo certius, atque securius, si propter appetitum divitiarum a suo munere non distrahantur, neque avertantur, nec impediantur? Tantum ergo abest, ut Christiani propter contemptum divitiarum turpi otio marcescere debeant, quin potius propter eam ad præclara Reipublicæ munera obeunda, quæ ut recte obeantur, ipsius Reipublicæ quam maxime interest, expeditiores, paratiores, diligentioresque evadunt.

Verum enimvero, quoniam, uti sæpius jam monuimus, quæ Ethnicorum adversus Christianam Religionem calumniandi libido fuit, eadem est etiam Deistarum nostri temporis: ideo mirandum non est, si Deistæ contemptum divitiarum ipsis Christianis vitio vertant. Nam etiam Ethnici Christianos *Seminudos* per ludibrium vocare consueverunt, uti apud Minucium Felicem legitur in *Octavio*. Hinc est, ut Tertullianus in *Apologetico* cap. 39. illud Ethnicis merito objecerit, Christianis solemne esse uti divitiis in commune bonum: „ Etiam si quid arcæ genus est, *inquit*, non de ordinaria summa, quasi re„ demptæ Religionis, congregatur: modicam unusquisque stipem menstrua die „ vel quum velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed „ sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, non „ potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, human„ disque, & pueris, ac puellis re, & parentibus destitutis, jamque domesti„ cis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel

„ in custodiis, dumtaxat ex caussa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt. „ Sed ejusmodi dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam „. Quum ergo ob contemptum divitiarum non solum Tertulliani tempore, & antecedentibus, sed etiam multo magis subsequentibus temporibus, quibus creverunt res Christianorum, factum fuerit, ut publicæ quovis modo egentium calamitati a Christianis prospiceretur, indeque non parum utilitatis in rempublicam redundaverit; quanta sit impietas Deistarum, dum ex eo quoque capite Christianos ut inertes, & Reipublicæ infructuosos traducunt, quia divitias contemnunt, nemo non videre non potest.

Non minus autem impium, atque omnino irrationabile est, quod de venia injuriæ acceptæ Christianæ Religioni opponunt, sicuti etiam Ethnici faciebant „. Nam quum hominum vis tanta (ita recte Arnobius lib. 1. *adversus* „ *Gentes*), magisteriis ejus acceperimus, ac legibus, malum malo rependi non „ oportere: injuriam perpeti, quam irrogare esse præstantius: suum potius fundere, quam alieno polluere manus, & conscientiam cruore: habet a Christo beneficium jam dudum orbis ingratus, per quem feritatis mollita est rabies, atque hostiles manus cohibere a sanguine cognati animantis occœpit. „ Quod si omnes omnino, qui homines esse se non specie corporum, sed rationis intelligunt potestate, salutaribus ejus pacificisque decretis aurem vellent commodare paulisper, & non fastu, & supercilio luminis suis potius „ sensibus, quam illius commonitionibus crederent, universus jam dudum orbis „ mitiora in opera, conversis usibus, ferri, tranquillitate in mollissima degeret, & in concordiam salutarem, incorruptis fœderum sanctionibus, conve- „ niret „. [a] Et re quidem vera quidnam communi bono utilius fingi, aut excogitari potest, quam ut inter se omnes consentiant, cunctorumque animi mutuo amicitiæ vinculo inter se conjuncti, atque colligati sint? Hoc vero est quod habetur, semel ac injuria accepta dimittatur, quemadmodum in Lege Evangelica præcipitur. Quod sane eo magis mirandum est, quia semel posita observantia Evangelici præcepti, non per unum, aut alterum tantum, sed prorsus per omnes id utilitatis in commune bonum redundat, sicuti Athenagoras ipsis Ethnicis exprobabat: „ Apud nos autem reperietis (ita ipse in *Legatione* „ *pro Christianis* num. 11.), imperitos homines, & opifices, & anus, „ si minus verbis præstare possint eam, quæ ex doctrina nostra percipitur, utilitatem, at factis eam, quæ ex animi inductione proficiscitur, de- „ demonstrare. Neque enim verba declamitant, sed recte facta exhibent, per- „ cutientem non repercutere, rapienti litem non scribere, petentibus dare, „ proximum ut se ipsum diligere „.

At vero ista de re pro suo more acute disserentem, & confutantem eos, qui dicebant per Evangelicum præceptum de condonanda injuria contrarium esse bono Reipublicæ, S. Augustinum audiamus. „ Nunc denique vi- „ deamus [ita S. Doctor epist. 138. num. 9., alias epist. 5.], quale sit illud, „ quod in epistola tua sequitur. Adjecisti enim eos dicere, *quod Christi prædicatio*, *atque doctrina reipublicæ moribus nulla ex parte conveniat*, *cujus* „ *hoc constet esse præceptum*, *ut nulli malum pro malo reddere debeamus*, & „ *per-*

(a) Etiam Celsus Christianos inde calumniabatur, quia apud illos erat *hujusmodi sententia*; *non ulciscendum esse*, *qui infert injuriam*: *si quis tibi maxillam alteram percusserit*, *præbe illi & alteram*, uti apud Origenem legere est lib. 7. *contra Celsum* n. 58.

,, *percutienti aliam præbere maxillam* (a), *& pallium dare ei, qui tunicam au-*
,, *ferre perstiterit, & cum eo, qui nos angariare voluerit, ire debere spatio*
,, *itineris duplicato. Quæ omnia reipublicæ moribus asseruntur esse contraria.*
,, *Nam quis*, inquiunt, *tolli sibi ab hoste aliquid patiatur, vel Romana pro-*
,, *vinciæ deprædatoribus non mala velit belli jure reponere?* Hæc atque hu-
,, jusmodi verba obtrectantium, sive non obtrectando, sed quærendo talia
,, loquentium, operosius fortasse refellerem, nisi hæ disceptationes haberen-
,, tur cum viris liberaliter institutis. Unde quid opus est, ut diutius labore-
,, mus, ac non ipsos potius percontemur, quomodo poterant gubernare, at-
,, que augere rempublicam, quam ex parva, & inopi magnam opulentamque fe-
,, cerunt, qui, accepta injuria, ignoscere, quam persequi malebant? Quo-
,, modo Cæsari administratori utique reipublicæ mores ejus extollens Cicero
,, dicebat, quod nihil oblivisci soleret, nisi injurias. Dicebat enim hoc tam
,, magnus laudator, aut tam magnus adulator: sed si laudator, talem Cæsa-
,, rem noverat: si autem adulator; talem Cæsarem esse debere ostendebat
,, principem civitatis, qualem illum fallaciter prædicabat. Quid est autem non
,, reddere malum pro malo, nisi abhorrere ab ulciscendi libidine? quod est,
,, accepta injuria, ignoscere malle, quam persequi, & nihil nisi injurias obli-
,, visci.

Num. 10. ,, Hæc quum in eorum leguntur auctoribus, exclamatur, &
,, plauditur; describi, atque prædicari mores videntur, quibus dignum esset,
,, exurgere civitatem, quæ tot gentibus imperaret, quod accepta injuria igno-
,, scere, quam persequi malebant. Quum vero legitur, præcipiente auctori-
,, tate Divina, non reddendum malum pro malo, quum hæc tam salubris ad-
,, monitio congregationibus populorum, tamquam publicis utriusque sexus, at-
,, que omnium ætatum, & dignitatum Scholis de superiori loco personat, ac-
,, cusatur religio tamquam inimica reipublicæ. Quæ si, ut dignum est, audi-
,, retur, longe melius Romulo, Numa, Bruto, ceterisque illis Romanæ gen-
,, tis præclaris viris, constitueret, consecraret, firmaret, augeretque rempu-
,, blicam. Quid enim est respublica, nisi res populi? Res ergo communis,
,, res utique civitatis. Quid est autem civitas, nisi multitudo hominum in quod-
,, dam vinculum redacta concordiæ? ..

Num. 11. ,, Quanta vero præcepta concordiæ non humanis disputationi-
,, bus exquisita, sed Divina auctoritate conscripta in Christi Ecclesiis lecti-
,, tantur, quis vel ab illa religione alienus, ita surdus est, ut ignoret? Ad
,, hoc enim & illa pertinent, quæ malunt exagitare, quam discere, alteram
,, percutienti præbendam esse maxillam, volenti auferre tunicam dandum &
,, pallium, cum angariante duplicandam viam. Hoc quippe fit, ut vincatur
,, bono malum, & homo liberetur a malo, non exteriore, & alieno, sed in-
,, timo, ac suo, quo gravius, & perniciosius, quam cujusvis hostis extrinse-
,, cus immanitate vastatur. Qui ergo vincit bono malum, patienter amittit
,, temporalia commoda, ut doceat, quam pro fide, & justitia contemnenda
,, sint, quæ ille nimis amando fit malus; ac sic injuriosus ab eo ipso, cui fe-
,, cit injuriam, discat, qualia sint, propter quæ fecit injuriam, atque in con-
,, cordiam, qua nihil est utilius civitati, pœnitens acquiratur, victus non sæ-
,, vientibus viribus, sed benevolentia patientis. Tunc enim recte fit, quum
vide-

(a) *Roman.* 12. v. 17. *Matth.* 5. v. 39.

videtur ei profuturum esse, propter quem fit, ad operandam in eo correctionem, atque concordiam...

Num. 12. „ Alioquin si verba attenderimus, eorumque proprietati serviendum putaverimus, non est præbenda maxilla dextera, si sinistra fuerit „ percussa. Quoniam (a) *si quis te*, inquit, *percusserit in maxillam dexteram, præbe illi & sinistram*. Magis autem sinistra percutitur, quod ad dexteram ferientis facilior ictus est. Sed sic intelligi solet, ac si dictum esset: si quis in te „ meliora fuerit persequutus, & inferiora ei præbe, ne vindictæ potius, quam „ patientiæ studens contemnas æterna pro temporalibus, quum potius temporalia præ æternis contemnenda sint, tamquam sinistra pro dextris....

Num. 13. „ Denique ista præcepta magis ad præparationem cordis, quæ „ intus est, pertinere, quam opus, quod in aperto fit, ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis „ videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus, hinc liquido ostenditur, „ quod ipse Dominus Jesus exemplum singulare patientiæ, quum percuteretur in faciem, respondit: (b) *si male dixi, exprobra de malo: si autem bene, quid me cædis?* Nequaquam igitur præceptum suum, si verba intueamur, implevit. Neque enim præbuit percutienti alteram partem, sed potius prohibuit, ne, qui fecerat injuriam, augeret: & tamen paratus venerat non solum in faciem percuti, verum etiam pro his quoque, a quibus „ hæc patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce pendens: (c) *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*....

Num. 14. „ Sunt ergo ista præcepta patientiæ semper in cordis præparatione tenenda, ipsaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est. Agenda sunt autem multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius utilitati consulendum est, quam voluntati; quod in principe civitatis luculentissime eorum „ litteræ laudaverunt. Nam in corripiendo filio quamlibet aspere, nunquam „ profecto amor paternus amittitur. Fit tamen, quod nolit, & doleat, qui „ etiam invitus videtur dolore sanandus. Ac per hoc si terrena ista respublica „ præcepta Christiana custodiat, & ipsa bella sine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis justitiæque pacatam societatem victis facilius consulatur... „ Misericorditer enim, si fieri posset, etiam bella gererentur a bonis, ut, licentiosis cupiditatibus domitis, hæc vitia perderentur, quæ justo imperio vel „ extirpari, vel premi debuerunt.

Num. 15. „ Nam si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque omnino militiæ subtraherent. Dictum est autem eis: (d) „ *neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum*. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit. [e] Proinde qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipu-

(a) *Matth.* 5. v. 39.
(b) *Joan.* 18. v. 23.
(c) *Luca* 23. v. 34.
(d) *Luca* 3. v. 14.
(e) Christianos etiam primis Ecclesiæ sæculis in utilitatem boni communis militiæ nomen dedisse, neque id esse contra instituta Christianæ Religionis pluribus luculenter eruditeque Mamachius evicit *Originum, & Antiquitatum Christianorum* lib. 2. cap. 7. §. 1. Id vero etiam aperte constat ex Tertulliani testimonio, quod nos supra retulimus: *Navigamus &*

„ reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, „ tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales judices, tales „ denique debitorum ipsius fisci redditores, & exactores, quales esse præcepit „ doctrina Christiana, & audeant eam dicere adversam esse reipublicæ, immo „ vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse „ reipublicæ „. [a]

„ Quæritur autem [inquit S. Thomas in *Expositione* in cap. 5. *Matthæi*], „ utrum non resistere malo, sit præceptum, vel consilium. Responsio. Injuriam, quam appellat hic malum, aut est particularis, & privata, aut publica: „ si publica, tunc repelli debet jussu principis. *Roman.* 12. *Dei minister est, vindex in iram ei, qui male agit*. Item Augustinus: *fortitudo, quæ a barbaris defendit patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitia est*. Et sic præceptum est subditis non solum principibus. Vel „ potest esse injuria particularis: & tunc injuria repelli potest tripliciter. Vel „ impediendo, sicut Paulus, qui per milites impedivit injurias Judæorum: „ vel arguendo, sicut Dominus fecit danti ei alapam *Joan.* 18. Et sic licet „ omnibus tam perfectis, quam imperfectis: vel repellitur cogente necessitate, sicut quando non potest vitari læsio nec per fugam, nec per aliud „ impedimentum: & tunc aut repellitur sine armis; & hoc modo permittit „ clericis, & laicis: aut cum armis; & sic non licet clericis, & si laicis forte liceat, flagrante maleficio, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut dicit „ lex: & sic est in præcepto clericis, laicis autem in consilio: aut repellitur „ animo ulciscendi, sive vindictæ libidine; & sic omnibus est prohibitum, „ & præceptum. Et sic intellectum multipliciter: *non resistere malo*, est in „ præcepto, vel in consilio. „

„ Dicendum (inquit idem S. Doctor 2. 2. quæ. 108. art. 1.), quod vindicatio fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescit, est omnino illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charita-

& nos vobiscum, & militamus, Ethnicis calumniantibus Christianam Religionem inutilem esse Reipublicæ reponebat Tertullianus *Apologetici* citato cap. 42. Neque enim quemquam tam impudentem esse arbitror, qui quum palam hæc a Tertulliano Ethnicis objecta fuisse intelligat, Tertullianum vel deceptum, vel ausum esse mentiri dicat.

(a) Hanc eamdem in rem Lactantius ita præclare disserit *Divinarum Institutionum* lib. 3. cap. 26. „ Dei autem præcepta, *inquit*, „ quia & simplicia, & vera sunt, quantum „ valeant in animis hominum, quotidiana „ experimenta demonstrant. Da mihi virum, „ qui sit iracundus, maledicus, effrænatus, „ paucissimis Dei verbis.

Tam placidum, quam ovem reddam;

(Terentius in *Adelphis* actu 4. scena 1.)

„ Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam „ plenis manibus largientem. Da timidum „ doloris ac mortis: jam cruces, & ignes, „ & taurum contemnet. Da libidinosum, „ adulterum, ganeonem: jam sobrium, „ castum, continentem videbis. Da crudelem, & sanguinis appetentem: jam in „ veram clementiam furor ille mutabitur: „ Da injustum, insipientem, peccatorem: „ continuo & æquus, et innocens erit. Uno „ enim lavacro malitia omnis abolebitur. „ Tanta Divinæ Sapientiæ vis est, ut in „ hominis pectus infusa matrem delictorum „ stultitiam uno semel impetu expellat: ad „ quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista sunt, facile, cito; modo pateant „ aures, et pectus Sapientiam sitiat „.

,, ritati repugnat, qua omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excu-,, satur, si malum intendat illius, qui sibi injuste intulit malum: sicut non ex-,, cusatur aliquis per hoc, quod odit se odientem. Non enim debet homo in ,, alium peccare propter hoc, quod ille peccavit prius in ipsum. Hoc enim ,, est vinci a malo, quod Apostolus prohibet *ad Romanos* 12. dicens: *noli vin-,, ci a malo, sed vince in bono malum*. Si vero intentio vindicantis feratur ,, principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis: ,, puta, ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, & ,, quietem aliorum, & ad justitiæ conservationem, & Dei honorem, potest ,, esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis ,,. (a) Ex hisce vero omnibus illud constat, Deistas non minus impie, quam omnino irrationabiliter Christianam Religionem reipublicæ bono contrariam esse inde calumniari, quia ut accepta injuria dimittatur, in ea præcipitur. Verum sicut de quibusdam dicebat S. Augustinus epist. 137. num. 20. alias epist. 3., Deistæ nostri temporis ,, Propterea putant, vel putari volunt, Christianam doctrinam utilitati ,, non convenire reipublicæ, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, ,, sed impunitate vitiorum ,,. Unde sicut Athenagoras Ethnicis in *Legatione pro Christianis* num. 3., ita nos quoque eis reponere possumus: ,, Hæc ver-,, ba sunt, & inanes calumniæ, quæ inde oriuntur, quod vitium virtuti adver-,, setur naturali quadam lege, & contraria Divina quadam lege inter se pu-,, gnent ,,.

Qua vero ratione per spiritum Christianismi solvantur homines a terrestribus curis ut contemplationi vacare possint, satis exposuimus, dum refutavimus Deistas accusantes contemptum divitiarum, qui secundum Christianam Religionem proponitur. Nam sicut non ipsæ divitiæ, sed inordinatus affectus earum; ita neque etiam cetera temporalia bona, aut negotia, sed eorumdem immoderata cura nobis interdicuntur. Hoc autem ad contemplationem quam maxime conducit. Nam quacumque inordinata affectione semel sublata, ad cœlestia facilius erigimur, atque sublevamur ,,. Dispositive autem virtu-,, tes morales (inquit S. Thomas 2. 2. quæ. 180. art. 1.) pertinent ad vitam ,, contemplativam. Impeditur enim actus contemplationis, in quo essentialiter ,, consistit vita contemplativa & per vehementiam passionum, per quam ,, abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia, & per tumultus ,, exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum, & ,, sedant exteriorum occupationum tumultus; & ideo virtutes morales dispo-,, sitive ad vitam contemplativam pertinent ,,.

Est ergo aliquod genus contemplationis, cui secundum instituta Christianæ Religionis unusquisque vacare debet: est rursus aliud quoque genus, cui non omnes vacare debent, sed quidam tantum ei peculiariter intendere possunt, si velint, atque eorum officii ratio patiatur. Prius genus contemplationis in eo consistit, ut Divinam Legem menti nostræ semper præpositam habeamus, ne quidpiam aliquando contra eam committamus: quod sane unusquisque præstare debet (b). Alterum vero in eo positum est, ut quispiam, abjecta omni cu-

ra

(a) Consulantur quæ pro suo more acute, et præclare disserit idem S. Doctor in responsionibus ad obiectiones hujus articuli.

(b) Hæc sane obligatio includitur in dilectione Dei super omnia, quæ in Lege Evangelica nobis tam sæpe præcipitur. Actiones vero etiam minutiores ad Dei majorem gloriam esse faciendas S. Paulus hisce verbis

1 Co-

rà rerum temporalium, Divinas folummodo veritates assidue meditandas sibi proponat, omni alia cura, & cogitatione abjecta: ad quod sane nemo tenetur; at qui eidem incumbere voluerit poterit sane; si tamen ejus officii ratio patiatur (a). Nam si aliquam obligationem contraxerit, per quam ab hoc vitæ genere impediatur, ei oportet ut satisfaciat. Si ergo peculiarium circumstantiarum, quæ occurrere possunt, nulla ratio habeatur, vitam activam, aut contemplativam, vel mediam inter utrasque juxta Legem Evangelicam unusquisque æqualiter amplecti potest, ita tamen ut in vita contemplativa simul de utilitate aliorum, in activa autem de contemplatione sollicitus esse debeat. ,, Et tri- ,, bus vero vitæ generibus (inquit S. Augustinus lib. 19. *de Civit. Dei* cap. 19.), ,, otioso, actuoso, & ex utroque composito, quamvis salva fide quisque possit ,, in quolibet eorum vitam ducere, & ad sempiterna præmia pervenire; in- ,, terest tamen, quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. ,, Nec sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogi-

I. *Corint.* 10. v. 31: peculiariter indicat, *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis: omnia in gloriam Dei facite*.

(a) Nullum enim hujusmodi præceptum in Lege Evangelica occurrit; aliunde vero perfectio præcipue, et essentialiter consistit in præceptis; in consiliis autem minus præcipue, et veluti in quibusdam mediis, quibus removentur impedimenta actuum charitatis. ,, Dicendum (inquit S. Thomas 2. ,, 2 quæst. 184. art. 3.), quod perfectio ,, dicitur in aliquo consistere dupliciter. Uno ,, modo per se, et essentialiter; alio modo ,, secundario, et accidentaliter. Per se quidem, et essentialiter consistit perfectio ,, Christianæ vitæ in charitate; principaliter quidem secundum dilectionem Dei, ,, secundario autem secundum dilectionem ,, proximi; de quibus dantur præcepta principalia Divinæ legis, ut dictum est (Quæst. ,, 44. art. 2 et 3.). Non autem dilectio ,, Dei, et proximi cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram, ita quod id, ,, quod est plus, sub consilio remaneat, ut ,, patet ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionem demonstrat, quum dicitur. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* ,, (Totum enim, & perfectum idem sunt ,, secundum Philosophum in 3. *Physicorum*); ,, & quum dicitur: *Diliges proximum tuum*, ,, *sicut te ipsum*. Unusquisque enim se ipsum maxime diligit. Et hoc ideo est, quia ,, *finis præcepti charitas est*, ut Apostolus ,, dicit I. *ad Timot.* 1. In fine autem non ,, adhibetur aliqua mensura, sed solum in ,, his, quæ sunt ad finem, ut dicit Philosophus in I. *Politicorum*. Sicut medicus ,, non adhibet mensuram, quantum sanet, ,, sed quanta medicina, vel diæta utatur ad ,, sanandum. Et sic patet, quod perfectio ,, essentialiter consistit in præceptis .... Secundario autem, & instrumentaliter perfectio consistit in consiliis, quæ omnia, sicut & præcepta, ordinant ad charitatem, ,, sed aliter, & aliter. Nam præcepta alia ,, a præceptis charitatis ordinantur ad removenda ea, quæ sunt charitati contraria, cum quibus scilicet charitas esse non ,, potest. Consilia autem ordinantur ad removendum impedimenta actus charitatis, ,, quæ tamen charitati non contrariantur. ,, Unde Augustinus dicit in *Enchirid.* cap 121. ,, *Quæcumque mandat Deus (ex quibus unum* ,, *est*, non mœchaberis) *& quæcumque non* ,, *jubentur, sed speciali consilio monentur)* ,, *ex quibus unum est*: Bonum est homini ,, mulierem non tangere); *tunc recte fiunt*, ,, *quum referuntur ad diligendum Deum, &* ,, *proximum propter Deum, & in hoc sæculo, & in futuro* ,,. Ex hisce autem omnibus, quæ in citato articulo S. Thomas præclare disserit, quam inepta nulliusque momenti sit argumentatio, qua contra Evangelica consilia, & præcipue contra votum castitatis, utitur Auctor inscripti Operis *Examen. de la Religion*, cap. 10., manifeste colligitur. Ita enim argumentatur: Omnes Christiani debent aspirare ad perfectionem. *Estote perfecti*, inquit Christus: quia ergo virginitas connubio præstantior est secundum Legem Evangelicam, inde sequitur ab omnibus Christianis virginitatem servandam esse; quod sane nihil magis contrarium naturæ esse potest. Falso enim impius homo supponit, eam perfectionem, quæ præcipitur, haberi non posse sine observantia consiliorum Evangelicorum.

„ tet proximi, nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. In „ otio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio, aut inventio ve- „ ritatis, ut, in ea quisque proficiat, & quod invenerit, teneat, & alteri non „ invideat. In actione vero non amandus est honor in hac vita, sive poten- „ tia, quoniam omnia vana sub sole; sed opus ipsum, quod per eumdem ho- „ norem, vel potentiam fit, si recte, & utiliter fit, id est, ut valeat ad eam „ salutem subditorum, quæ secundum Deum est... Quamobrem otium sanctum „ quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam „ sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veri- „ tati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: „ sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur il- „ la suavitas, & opprimat ista necessitas „. Semel autem ac contemplationi quispiam vacet, ad ea quoque exequenda, quæ cedunt in utilitatem aliorum, quæque propter charitatem in se ipse suscipit, valde idoneus efficitur. „ Sic „ itaque aliquando (inquit S. Gregorius in Magnus lib. 18. cap. 28. *Job.* nu. 70.) „ contingit, ut qui solam cœlestem patriam diligunt, terrenæ patriæ curis sub- „ jacere videantur. Quorum tamen ministerium a pravorum operibus plerum- „ que in actu, nonnunquam vero ante supremum Judicem sola cogitatione di- „ scernitur. Pleni quippe superna sapientia discernunt qualiter debeant, & ad „ aliud vacare intrinsecus, & ad aliud extrinsecus occupari; ut si forte occul- „ ta Dei ordinatione aliquid, eis non appetentibus, de hujus sæculi curis im- „ ponitur, cedant Deo, quem diligunt „. Quapropter si de ea contemplatio- ne agatur, quæ omnibus præcipitur, quæque in eo consistit, ut nostræ menti Divinam legem semper præpositam habeamus, ne unquam ab ea deflectamus, ea procul dubio est communi utilitati quam maxime consentanea, quum ad communem utilitatem quam maxime conferat, ut omnes semper recte agant, & recte agere non possint, si a Divina lege deflectant. Si autem sermo fit de eo genere contemplationis, in quo, abjecta cura rerum temporalium, Divinæ solummodo veritates meditandæ proponuntur, ad hoc sane nemo tene- tur, & si ei incumbere voluerit, poterit quidem, dum tamen, ut diximus; ejus officii ratio patiatur; neque etiam istud communi utilitati adversari dicendum est: 1. quia utilitas communis prohibere non potest, ne aliqui hac ratione cultui ipsius Dei, a quo non solum omne particulare, sed etiam commune bonum dimanat, sese peculiariter devoveant: 2. quia in hoc vitæ genere utilitas boni communis, & quidem quoad ea, quæ præstantiora sunt, quæri potest, & suadente charitate, revera quæritur: 3. quia per contemplationem ad præstanda quæ cedunt in utilitatem aliorum, & promptiores, & perfectiores evadimus: 4. tandem quia tam spectat ad perfectionem vitæ contemplativæ, ut quæ con- templando cognita fuere, communicentur aliis, quam ut ipsa contemplatio de- feratur, si ad subveniendum necessitatibus aliorum opera nostra requiratur. „ Si- „ cut enim majus est illuminare (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 188. art. 6.), „ quam lucere solum; ita majus est contemplata aliis tradere, quam solum „ contemplari. Aliud autem opus est activæ vitæ, quod totaliter consistit in „ occupatione exteriori; sicut eleemosynas dare, hospites recipere, & alia „ hujusmodi, quæ sunt minora operibus contemplativis, nisi forte in casu ne- „ cessitatis, ut ex supra dictis patet „ (a).

Tan-

(a) Quæst. 182. art. 1.

Tandem quod Deistæ reponunt de similitudine, quæ intercedit inter Christianam, & Mahometanam religionem, id unum sane est, quod deerat non minus ad eorum impietatem cumulandam, quam ad demonstrandam cœcitatem, in qua versantur, vel verius dixerim, maximam perversitatem, qua laborant. Quid? an ne unum alteri magis adversari potest, quam Christiana Religio Mahometanæ adversatur? Quæ sint argumenta Divinitatis, quæ in Christiana Religione manifestissima occurrunt, jam satis exposuimus. „ Hi vero [ita ad rem „ nostram S. Thomas I. *contra Gentiles* cap. 6.], qui sectas errorum introdu„ xerunt, processerunt via contraria, ut patet in Mahumete, qui carnalium „ voluptatum promissis, ad quorum desiderium carnalis concupiscentia instiga„ tur, populos illexit. Præcepta etiam tradidit promissis conformia, volupta„ ti carnali habenas relaxans, quibus in promptu est a carnalibus hominibus „ obediri.

„ Documenta etiam veritatis non attulit, nisi quæ de facili a quolibet „ mediocriter sapiente naturali ingenio cognosci possint; quin potius vera, quæ „ docuit, multis fabulis, & falsissimis doctrinis immiscuit. Signa etiam non „ adhibuit supernaturaliter facta, quibus solis Divinæ inspirationi conveniens „ testimonium adhibetur, dum operatio visibilis, quæ non potest esse nisi Di„ vina, ostendit doctorem veritatis invisibiliter inspiratum: sed dixit se in ar„ morum potentia missum, quæ signa etiam latronibus, & tyrannis non de„ sunt. Ei etiam non aliqui sapientes in rebus Divinis, & de Divinis, & „ humanis exercitati a principio crediderunt, sed homines bestiales in deser„ tis morantes, omnis doctrinæ Divinæ prorsus ignari, per quorum multitu„ dinem alios armorum violentia in suam legem coegit.

„ Nulla etiam Divina oracula præcedentium prophetarum ei testimonium „ perhibent, quin potius quasi omnia Veteris, & Novi Testamenti documen„ ta fabulosa narratione depravat (ut patet ejus Legem inspicienti). Unde „ astuto consilio libros Veteris, & Novi Testamenti suis sequacibus non re„ liquit legendos, ne per eos falsitatis argueretur. Et sic patet, quod ejus di„ ctis fidem adhibentes leviter credunt „. Hæc S. Thomas: quæ sane sufficiant, ut unicuique manifestum sit quam impie, atque imperite fiat a Deistis comparatio inter Christianam, & Mahometanam religionem. De diversitate, quæ intercedit inter Christianam, & Mahometanam Religionem quod earum institutores, principia, præcepta, sectatores, modum, & rationem, quibus utraque propagata fuit, non multis quidem, sed ad rei veritatem cognoscendam plus quam pluribus, egit etiam Hugo Grotius lib. 6. *de Christiana Religione*.

Dices III. Ea lex communi societati adversatur, qua dissensiones, & schismata foventur; sed talis est Lex Evangelica, ut constat ex his, quæ Julianus Imperator adversus Christianos promulgavit: ergo Lex Evangelica homines quoad civilem societatem non recte instituit (a).

Deinde quod in uno est æstimatione dignum, etiam in aliis omnibus esse debet: ergo si in Pacomio secundum Christianam Religionem laudabile fuit, ut, relicto consortio omnium hominum, in solitudinem sese reciperet, etiam in aliis omnibus esse debet. Pulchrum vero profecto esset, & humanæ societati consentaneum, si integræ nationes loca deserta peterent, atque omnem

 inter

(a) Ita Auctor *Cogitationum Philosophicarum* §. 43.

inter se communionem sibi interdicerent! Quæ ergo in Lege Evangelica statuuntur, talia non sunt, concludunt impii, ut humanæ societati prodesse possint (a).

R., hoc unum deesse, quo iniqui homines suam impietatem cumularent, ut etiam Juliani Apostatæ auctoritate contra Christianam Religionem uterentur. Verum quum hunc Imperatorem nihil non falsi Christianis objecisse, nihil non præcavisse, ut ab ea, qua doctrinæ, pietatis, atque sanctitatis laude florebant, omnino eos deturbaret, nihil non injustum, atque crudele contra eosdem statuisse, nihil demum, quamvis religiosum, atque sanctum, non prophanasse constet; (b) non est, cur modo auctoritatem ejus contemnendam, immo & rejiciendam esse demonstrare aggrediamur. Illud ergo tantum monemus, mirandum non esse, si nostræ ætatis impiissimi homines sibi similium auctoritate gloriari audeant: nam simul cum Religione omnem quoque pudorem exuerunt.

Quod autem in uno existimatione dignum est, etiam in aliis semper esse debere, hoc vero est, quod negamus. Nam quæ in se talia sunt, ut, servatis omnibus circumstantiis, recta esse nunquam desinant, in omnibus laudem semper merentur; contra autem quæ hoc non habent, sed sunt ejusmodi, ut multa in eis tum quoad tempus, tum quoad locum, tum quoad personas, aliasque circumstantias ad honestatem eorum servari oporteat, hæc in iis tantum celebrari debent, in quibus præter rectitudinem actionis insunt etiam cetera omnia, quæ requiruntur. Inde vero est, ut quoad multa secundum leges rectæ rationis non unus idemque omnium agendi modus esse debeat, aut possit. Quapropter ille, qui ex sui instituti ratione nullam peculiarem obligationem habet, recte quidem agit, si a consortio hominum sese eripiat, atque solitudinem petat: alter autem, qui tum parentibus, tum consanguineis, tum civibus, tum patriæ multa debet, si hoc idem faciat, laude eum dignum esse nemo dixerit. Unde si Pacomius laude dignus extitit, quia solitudinem petiit, si alii quoque omnes exemplum illius imitarentur, laudi iisdem tribui non deberet: sunt enim plures, qui etiam juxta præcepta Christianæ Religionis multa aliis mutua consuetudine mutuisque officiis præstare oportet.

„ Dicendum [inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 182. art. 1. ad 3.] quod ad „ opera vitæ activæ interdum aliquis a contemplatione avocatur propter aliquam necessitatem præsentis vitæ: non tamen hoc modo quod cogatur „ aliquis totaliter contemplationem deserere. Unde Augustinus dicit 19. de „ Civit. Dei cap. 19. *otium sanctum quærit caritas veritatis, negotium justum*, „ scilicet vitæ activæ, *suscipit necessitas caritatis: quam sarcinam si nullus imponit percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati; si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem. Sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas*. Et sic patet, quod quum aliquis a contemplativa vita ad activam ducatur, hoc non fit per modum subtractionis, sed per modum additionis „. Art: autem sequenti, postquam demonstravit plus meriti inesse in contemplativa, quam in activa vita, hæc alia habet: „ Potest tamen contingere, quod aliquis in operibus vitæ activæ plus mereatur, quam alius in

(a) Idem Auctor §. 6.

(b) Hoc præter multos alios evidentissime evicit S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 1. *in Julianum*.

„ in operibus vitæ contemplativæ: puta si propter abundantiam Divini amoris, „ ut ejus voluntas impleatur, propter ipsius gloriam interdum sustinet a dulcedine Divinæ contemplationis ad tempus separari, sicut Apostolus dicebat „ ad *Rom. 9. optabam ego ipse esse anathema a Christo pro fratribus meis*: Si „ autem quis propter opera charitatis a contemplatione cum merito quandoque desistit, potiori jure ab ea desistere debet propter opera justitiæ, in „ quibus erga alterum sese exercere oporteat „.

At vero, ut Scholarum phrasi utar, ita contra Deistas insto argumentum. Quod in uno est rationi consonum, in aliis quoque esse debet; sed ut aliquis vitam omnino privatam ducat eo fine, ut studio litterarum solummodo incumbat, rationi consonum est, & reipublicæ utile: ergo omnes hoc idem facere poterunt: sed inde futurum esse nemo non videt, ut nulla hominum ordinata societas amplius consistere possit: ergo si ea quoque omnes peragant, quæ secundum præcepta rationis uni, aut alteri conveniunt, maximum humanæ societati detrimentum afferretur, immo prorsus ea deleretur, atque destrueretur. Quapropter simul cum Christiana Religione etiam plura præcepta rationis oportet, ut Deistæ e medio tollant, quamvis cum summo contemptu Christianæ Religionis pro defensione eorum multum adlaborent.

§. II.

DE SUMMA ET NECESSARIA UTILITATE, QUAM LEX EVANGELICA AFFERT HUMANAE NATURAE INFIRMITATI.

Naturam hominis hic quoque spectamus, sicuti revera semper spectari debet, prout est ratione prædita, atque ab aliis distinguitur. Duo autem secundum hanc acceptionem in ea considerari possunt; hoc est vis intelligendi, & libere eligendi facultas: semel ergo ac per Legem Evangelicam huic duplici facultati hominis recte prospiciatur, suppleaturque id omne, quod deest, maxime si aliunde suppleri non possit, eam infirmitati humanæ naturæ valde conformem esse concludi debet.

Propositio. Lex Evangelica infirmitati humanæ naturæ summe salutaris est.

Prob. prop. Lex Evangelica recte hominem instituit tum quoad Deum; tum quoad se ipsum, tum quoad alios, & quidem sive ea spectentur, quæ cognoscere, sive ea, quæ agere debet, quemadmodum in tribus propositionibus §. superioris jam demonstravimus: ergo Lex Evangelica infirmitati humanæ naturæ summe salutaris est.

At vero rem istam diligentius expendamus. Quid intrinsecum latere in unoquoque nostrum, quo ad malum feramur, nullus sane est, qui in dubium revocare possit. Id autem quamvis omnes experimento didicerint; tamen nemo est, qui originem ejus assequi valeat: dum enim gravia crimina ab hominibus committi videmus, ad malitiam quidem eorum advertimus, sicut etiam nostram sentimus, quando vel male agimus, vel ad male agendum inclinamur; ceterum hujus malitiæ originem nullus unquam per se detegere potuit.

Hæc vero est, quæ per Divinam Revelationem Legis Evangelicæ manife-

nifestatur, quum per eam cognoscamus, qua ratione humana natura corrupta fuerit: „ Per unum hominem, (inquit Apostolus), (a) peccatum in hunc „ mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors per- „ transiit, in quo omnes peccaverunt... Igitur per unius delictum in omnes „ homines in condemnationem „. Inde vero contingit; ut [b] „ Ab intus... „ de corde hominum malæ cogitationes procedant, adulterio fornicationes, „ homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, „ blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & „ coinquinant hominem „. Unde Apostolus: (c) „ Video autem aliam le- „ gem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivitatem me „ in lege peccati, quæ est in membris meis „.

Sed non solum malum, quod in nobis interius latet, per Revelationem Evangelicæ Legis manifestatur, sed etiam opportunum remedium illi affertur. Et primo quidem ab ea edocemur, nos tanti non esse, ut propria virtute ab omni malo cavere, singulisque tentationibus obsistere possimus. Jubet ergo, ut puras manus nostras ad Deum tollamus, a quo solum id omne expectare possumus, quod nobis in tanta miseria constitutis necessarium est. Deinde vero, magnis præmiis propositis, quæ superant sensus nostros, ut contra corruptam naturam, & vitia omnia decertemus, nos accendit: si autem hoc facere renuamus; minis deterret, atque suppliciis, quæ in æternum duratura sunt. Demum intus quoque præcipit, ut renovemur, deponamusque [d] „ Secundum „ pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum de- „ sideria erroris, & induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus „ est in Justitia, & sanctitate veritatis „. Quo autem id omne sincere capiamus, etiam cogitationum nostrarum, internorumque motuum Deum nobis judicem demonstrat, quem nihil eorum, quæ intra nos geruntur, latere potest. Quis vero hæc omnia, quæ in Sacris Novi Testamenti libris tam sæpe repetita leguntur, Divina esse negaverit? Profecto ille solus detegere naturam hominis, ad virtutem excitare, contra vitia accendere, perficere, ac renovare ita poterat, qui summa est scientia, bonitate, atque perfectione præditus. Hinc neque legibus, neque institutione, neque quavis industria hominum aliquando factum fuisse legimus, ut vel quæ tandem esset natura hominum detegeretur, vel ea remedia pararentur, quibus indigeret.

Quoniam vero non solum in nostra natura corrupta id inest, per quod ad hæc inferiora deprimamur, & ea quoque, quæ turpia sunt, consectemur; sed etiam certum lumen nobis affulget, quo videamus, quæ recta sunt, & ad sublimiora elevemur, ideo ut etiam de origine harum affectionum sibi mutuo adversantium instrueremur, ad perfectionem nostræ cognitionis, atque voluntatis plurimum intererat.

At quid non distincte hac quoque de re per Revelationem Evangelicæ Legis non exponitur? Quid non sapientissime constituitur, quo homo se ipsum regat, ut magnas utilitates tum in ista, tum in altera vita capere possit? Primo ergo aliam corporis, aliam animæ originem esse, in ea aperte traditur: illud interire, hanc semper manere, nihil sublime in se illud habere, hanc vero Dei similitudinem, atque imaginem esse docemur. Quia vero caro (e) „ Concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem... manife- sta

(a) *Roman.* 5. v. 12. & seq. (b) *Marci* 7. v. 21. & seq. (c) *Roman.* 7. v. 23.
(d) *Ephes.* 4. v. 22. & seq. (e) *Ad Galat.* 5. v. 17. & seq.

„ sta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxu„ria, Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, „ iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commes„sationes, & his similia ... Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, „ pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, mo„destia, continentia, castitas. (a) Ergo, fratres, debitores sumus non carni, „ ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, morie„mini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim „ spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum ser„vitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo „ clamamus: Abba, (Pater.) Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui „ nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem „ Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut & conglorifice„mur. Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad „ futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis „. Quæ ergo in nobis diversæ affectiones existunt, undenam suam originem ducant, in Revelatione Evangelicæ Legis non solum distincte exponitur, sed etiam aperte denunciatur, quibusnam parere, & quibus resistere debeamus. Quo fit, ut per Legem Evangelicam infirmitati humanæ naturæ undequaque prospectum sit, atque ita quidem prospectum, ut nonnisi ab ea mente, quæ omnia novit, hujusmodi providentia proficisci potuerit.

Dices I. Deus nos eo fine ratione donavit, ut vitæ nostræ magistra esse posset; sed ad multa eorum, quæ per Legem Evangelicam proponuntur, magisterio rationis uti non possumus, quia intelligentiæ nostræ vires longe superant: ergo Lex Evangelica humanæ naturæ conformis esse non potest: ergo sola ratio esse debet, quæ nos credentes efficiat. (b)

R., dist. mi, ita ut ea expendere non possimus ipsa ratione, con., ita ut de certitudine, atque veritate eorum per ipsam rationem constare non possit, ne. Non unum ergo idemque munus rationis esse debet in omnibus rebus, de quibus disputatur. Si enim de Philosophicis sermo sit, stulte quispiam propter solam auctoritatem unius cujuspiam, aut plurium philosophorum assensum iisdem firmum præberet, quum talia hæc sint, quæ ratione expendi ab iis, a quibus possunt, debeant. Contra autem si quædam historica monumenta, quæ veritates *facti* appellari consueverant, in controversiam veniant, in id potissimum vires nostræ rationis intendere debemus, ut nobis perspectum fiat, num ea omnia occurrant, quæ hoc, vel illud contigisse, dubitare nullo modo sinant, non vero necesse est, ut cur contigerit, rationem videamus. Hoc autem tunc præcipue attendendum est, quando res non humana, sed Divina virtute gesta fuerit. Et re quidem vera quidnam tandem etiam per homines gestum occurrit, quod licet omnino verum sit, tamen argumentatione, & ratione confirmare, difficillimum, & sæpe etiam impossibile non sit? „ Finge „ animo, [inquit Origenes lib. 1. *contra Celsum* nu. 41.] negari a quopiam ul„lum unquam fuisse bellum Trojanum, idque eo, quod multa sint huic histo„riæ admixta, quæ nunquam contingere potuerunt, ut Achillem fuisse Deæ ma-

(a) *Roman*: 8. v. 12. & seq.

(b) Solam rationem fidei nostræ caussam esse debere, postquam contempsit auctoritatem omnium, qui pro Christiana Religione steterunt, una cum aliis Deistis ludit Auctor *Cogitat. Philosoph.* §. 56.

„ marinæ Thetidis, & Pelei hominis filium, Sarpedonem Jovis, Martis Ascalaphum, & Jalmeneum, Æneam Veneris. Quo argumento hanc historiam „ adstruemus? Quomodo nos expediemus ex fabulis, quæ receptæ opinioni bellum vere Græcos inter, & Trojanos ad Trojam gestum fuisse, contextæ „ sunt „? Hoc autem non solum in iis, quibus fabulæ admixtæ sunt, sed etiam in aliis omnibus evenit. Quum enim non una omnium sit opinandi ratio, & quæ unius propria est, alteri per se innotescere non possit, inde fit, ut rationem eorum, quæ ab aliis gesta sunt, plerumque nullo modo assequi possimus.

Semper tamen verum est, fieri non posse, ut nihil non absurdum consequatur, semel ac morali evidentiæ, ob quam de certitudine alicujus facti constare potest, nullam fidem adhibendam esse dicamus, quum compertum sit moralem evidentiam, æque ac physicam, assensum a nobis extorquere posse, quemadmodum initio lib. 2. pluribus lemmatibus demonstravimus.

Quum ergo Divina Revelatio res *facti* sit, uti jam sæpe monuimus, quæ neque ratione investigari, neque argumentatione cognosci potest, si quis de illa dubitet, eo tantum spectare debet, ut cognoscat, num vera sint, quæ ejusdem Divinitatis argumenta proferuntur; hoc est, num Divinitatem doctrinæ contineat, num miraculis, atque prophetiis confirmata sit; non vero ut omnia, quæ in hac Divina Revelatione continentur, secundum sui capacitatem expendat. Immo si hoc facere audeat, contra ipsa instituta rationis procul dubio peccat. Quandoquidem semel ac aliqua Divina esse constat, si ea quis sua ratione metiri voluerit, contra ipsam rationem ea jam non amplius ut Divina, sed veluti humana habebit.

Quapropter licet neque ipsam Revelationem, neque omnia, quæ in Revelatione continentur, humana ratione investigare possimus, immo vero nullo modo debeamus; tamen quum de existentia Divinæ Revelationis humana ratione certi esse possimus, ac revera certi simus, sicuti nunc demonstrare aggressi sumus, inde est, ut eadem humana ratione eorum quoque omnium, quæ in Revelatione continentur, veritas, atque certitudo perspecta sit.

At vero illud quoque advertatur oportet, magnum discrimen inter ea esse, quæ *supra*, & ea quæ *contra* rationem sunt: modum illorum, rationem, atque convenientiam mens nostra perspicere quidem non potest; nihil tamen in iisdem videt, quod repugnet, aut contradictionem aliquam in se habeat: istorum autem non solum modum, rationem, & convenientiam non perspicit, sed etiam ea manifeste repugnare cognoscit, multaque absurda consequi, semel ac esse ponantur. Hæc ergo si in Lege Evangelica continerentur, eam humanæ naturæ conformem esse, dici non posset; ceterum quum nihil tale in se habeat, sed nonnulla tantummodo complectatur, quæ cognitionem nostram excedunt, ille solus nostræ rationi eam adversari, affirmare audebit, qui supremi entis infinitam intelligentiam & supra nostram non extendi, & nostræ semper accommodatam esse debere impie contenderit, quamvis fide potissimum Deum a nobis colendum esse, ipsa ratione constet, uti jam demonstravimus (a).

Verum mirandum non est, si Deistæ nostri temporis Christianam Religionem odiosam reddere contendunt, quia multa supra humanam rationem continet, & fide potissimum ei adhærendum esse statuatur. Veterum impiorum pro suo more vestigia premunt. Celsum enim Christianam Religionem veluti coe-

(a) *Theol. Natur* lib. 3. qu. 4. art. 3.

cœcam & sine ratione calumniantem Origines lib. 1. contra eumdem nu. 9. ita refellit: „ Si fieri posset, ut homines, relictis hujus vitæ negotiis, in solam „ philosophiam incumberent, nulla sane via esset potior. Invenietur enim in „ Christianismo non minor (ne quid arrogantius dicam) tum eorum, quæ creduntur, disquisitio, tum Propheticorum ænigmatum, Evangelicarumque pa„ rabolarum, & sexcentorum id genus, quæ figurate gesta, vel sancita sunt, „ explanatio. Si autem id ab hominibus impetrari nequit sive propter hujus „ vitæ necessitates, sive propter eorum infirmitatem, quæ in caussa sunt, cur „ perpauci huic se studio dedant: ecquæ ratio majori hominum parti subve„ niendi excogitari potest, eaque commodior, quam Jesus Gentibus tradidit? „ Nam sciscitemur ab eorum, qui credunt, multitudine, quique peccatorum „ sordes, in quibus antea volutabantur, eluerunt, utrum sit illis conducibilius „ sine examine credidisse, & credendo supplicium peccata, præmiaque virtu„ tem manere, correxisse mores; an, spreta simplici fide, non ante morum „ illam emendationem aggredi, quam doctrinæ principia penitus investigave„ rint. Manifestum est, perpaucis exceptis, reliquos ne id quidem assequutu„ ros, quod alii simplices fide assequuti sunt, sed in corruptissima sua vita „ remansuros. Quo circa inter argumenta, quibus constat tam salubrem ho„ minibus doctrinam, Deo auctore, ad eos pervenisse; hoc, si quod aliud, „ locum habere debet „. Num. 10. „ Illam igitur sine examine fidem, de „ qua tot turbas agunt, experti, quam sit plerisque utilis, fatemur a nobis „ commendari iis, qui relinquere negotia omnia non possunt, ut se totos per„ scrutandæ doctrinæ tradant. Illi autem, quamquam fateri erubescunt, idem „ faciunt tamen. Nam quis ad Philosophiæ studium incitatus, aut in aliquam „ Philosophorum sectam, aut forte, aut quod in talem magistram incidit, se „ conjiciens, aliter ad eam se applicat, quam quia illam credit reliquis præ„ stantiorem „? Num. 11. „ Ergo si ratio docuit, credendum esse uni cuipiam „ eorum, qui sectas apud Græcos, & Barbaros induxerunt, quanto magis „ Deo rerum omnium Domino, & ei, qui docet, hunc solum esse colen„ dum?... Quomodo igitur Deo credere non sit rationi consentaneum magis „ quum a fide omnia pendeant „? Rursus calumnianti Celso, nos sine ratione credere, Origenes lib. 6. contra eumdem nu. 10. ita respondet: „ Sunt qui„ dem, quos, quum nihil magis possint, ad credendum hortemur, sed alios „ quantum licet, interrogationibus, & responsis persuademus... Nam de sin„ gulis rebus plura conamur argumenta afferre, quam supra expofuimus „. Julianus quoque, uti apud S. Gregorium Nazianzenum *Oratione* 3. adversus eumdem nu. 98. legere est, hæc Christianis exprobabat: „ Vestra autem est in„ fantia, & rusticitas: nec quidquam aliud, quam crede, sapientiæ vestræ est „. Cui ita S. Gregorius: „ Hoc enim sermone, *inquit*, id intelligimus non li„ cere iis, quæ ab hominibus Divino numine afflatis dicta sunt, fidem abro„ gare; verum pro sermonis, & doctrinæ confirmatione illorum auctoritatem „ esse omni logica facultate, atque contradictione validiorem „. Verum tamen est, quod ea, quæ auctoritate primo credimus, credenda esse etiam ratione deinde intelligimus „. Quo cognito, satis apparebit (inquit S. Augustinus lib. „ *De vera Religione* nu. 14.) quantum homo assequi potest, quam necessa„ riis, & invictis, & justis legibus Deo, & Domino suo cuncta subjecta sint: „ ex quo illa omnia, quæ primo credidimus, nihil nisi auctoritatem sequuti, „ par-

„ partim sic intelliguntur, ut videamus fieri posse, atque ita fieri oportuisse, „ doleamusque illos hæc non credentes, qui nos antea credentes irridere, „ quam nobiscum credere maluerunt „.

Cont. Quod est supra rationem, etiam contra eam esse debet: ergo. Prob. ant. Quod est supra rationem, non potest esse conforme ipsi rationi; sed quod rationi conforme non est contra eam est; sicut quod non est veritati conforme, est contra veritatem: ergo (a).

R., dist. ma., quod est supra rationem, non potest esse conforme ipsi rationi, idest non potest cognosci lumine rationis, con., lumini rationis adversatur, ne., & dist. mi., si quatenus lumini rationis adversatur, ei conforme non sit, con; si conforme non sit, quatenus lumine rationis attingi non potest, ne. Secundum duplicem acceptionem dici potest, aliquid rationi conforme non esse: primo quidem quia tale non est, ut cognoscatur, vel cognosci possit lumine rationis: secundo autem quia ipsi lumini rationis adversatur, falsumque esse deprehenditur per lumen rationis. Quod non est conforme rationi secundum hanc acceptionem, revera est contra rationem: nam quomodo falsitati veritas; ita etiam quod contra rationem est, ipsi rationi adversari debet. Ceterum quod non est conforme rationi secundum priorem acceptionem, ipsi rationi nullo modo adversatur. Quandoquidem ut discernere possimus, num aliquid rationi opponatur, oportet illud esse subjectum lumini rationis: nam ratio de iis tantum judicare potest, quæ ei subjiciuntur; atqui illud, quod ideo non est conforme rationi, quia supra eam est, non potest esse subjectum lumini rationis: ergo judicare non possumus, num opponatur lumini rationis. Deinde ut aliquid lumini rationis opponi dicatur, necesse est per lumen rationis cognosci repugnantiam, quæ est inter prædicatum, & subjectum; hoc vero est, quod humana ratio judicare non potest de iis, quæ supra eam posita sunt: ergo.

At vero quod supra rationem positum est, ipsi rationi conforme esse, ut supra eam sit, illud vero est, quod modo contendo. Nam quidnam unquam rationi conformius esse potest, quam supra rationem ea posita esse decernere, quæ, utpote supernaturalia, excedunt lumen illius? „ Sicut igitur (uti habet „ S. Thomas 1. *cont. Gent.* ca. 3. nu. 2.) maximæ amentiæ esset idiota, qui „ ea, quæ a Philosopho proponuntur, falsa esse assereret propter hoc, quod „ ea capere non potest; ita etiam multo amplius nimiæ stultitiæ esset homo, „ si ea, quæ divinitus Angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicatur „ ex hoc, quod per rationem investigari non possunt „. Num. 3. „ Adhuc „ idem manifeste apparet ex defectu, quem in rebus cognoscendis quotidie „ experimur. Rerum enim sensibilium plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus adinvenire non possumus: multo igitur amplius illius excellentissimæ „ substantiæ transcendentis omnia intelligibilia humana ratio investigare non „ sufficit „.

Et re quidem vera fidei Christianæ veritatem rationi contrariam non esse cum Angelico Magistro ita facile demonstrari potest: „ Ea enim (inquit S. Doctor 1. „ *cont. Gent.* cap. 7. nu. 1.) quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse „ con-

(a) Ita Bælius Tom. 3. Oper. par. 2. cap. 159. *Repons. aux Quest. d'un Provincial* par. 2.

„ constat, in tantum ut ea nec esse falsa sit possibile cogitare: nec id, quod „ fide tenetur, quum tam evidenter divinitus confirmatum sit, (a) fas est credere esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est, ut ex eorum definitionibus inspectis manifeste apparet, impossibile est illis principiis, „ quæ ratio naturaliter cognoscit, prædictam veritatem fidei contrariam esse. „ *Num.* 2. Item: illud idem, quod inducitur in animam discipuli a docente „ doctoris scientia continet, nisi doceat ficte, quod de Deo nefas est dicere. „ Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, „ quum ipse Deus sit auctor nostræ naturæ. Hæc ergo principia etiam Divina Sapientia continet: quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, „ est Divinæ Sapientiæ contrarium: non igitur a Deo esse potest. Ea igitur, „ quæ ex Revelatione Divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria „.

Tamen advertendum est, uti Ferrarensis in laudatum caput recte monet. „ Quod diverso modo loquitur S. Thomas de primis principiis, & de iis, quæ „ sunt fidei, ut ostendat ad horum cognitionem nos diversimode habere. Principia enim necesse est verissima esse, & videri verissima, ita quod nec „ etiam cogitari potest illa esse falsa, sicut inquit Philosophus de hoc primo „ principio: impossibile est idem simul inesse, & non inesse eidem 4. *Metaph.* „ Etsi enim aliquis possit verbis dicere, hoc esse falsum; mente tamen cogitare non potest, eo quod tunc contraria eidem simul inessent, ut Philosophus deducit. Ea quæ sunt fidei, licet in se sint verissima, non tamen ex „ propriis rationibus terminorum eorum veritas nobis apparet, sed tantum in „ communi judicantur vera esse, eo quod divinitus sunt revelata, ut miraculis est comprobatum, ut in præcedenti cap. diximus. Ad hunc ergo diversum non habendi modum circa illa cognoscenda insinuandum dixit S. Thomas „ de principiis, quod illa *verissima esse constat*; de eo autem quod fide tenetur, quod non est *fas credere esse falsum*. Ex illa ratione S. Thomæ excluditur ratio Roberti Olchot in 1. *Sent.* arguentis ea, quæ sunt fidei, contra „ rationem naturalem esse, quia ratio naturalis dictat oppositum esse verum. „ Patet enim ex dictis quod hoc assumptum est falsum: patet etiam ex dictis falsum esse, quod in alia ratione assumit, scilicet quod articuli fidei „ sunt contra rationem non solum rusticorum, sed etiam sapientum, puta quod „ mulier sine viri semine concipiat. Dicitur enim, quod non sunt contra rationem vere sapientum. Isti enim si dicunt, quod impossibile est virginem „ concipere, dicunt hoc, considerato ordine caussarum secundarum, non autem „ considerato ordine Divinæ potentiæ „.

Objecta autem paritas ex veritatis natura repetita, ut quemadmodum est contra veritatem, quod non est veritati conforme, ita etiam rationi contrarium sit quod non est rationi conforme; hujusmodi, inquam, paritas ad rem non pertinet. Non enim similis est conditio rationis, & veritatis; nam veritas quidem nullis limitibus definita est, sed tantum patet, quantum patet ratio entis; unde quum nihil medium sit inter ens & non ens, inter verum & falsum, necessario sequitur falsum esse, quod in se ipso conforme non est veritati

(a) Quoad Revelationem in Veteri Testamento contentam hoc nos in præcedenti libro abunde jam præstitimus, idemque nunc præstituri sumus quoad Revelationem Novi Testamenti.

tati. E contra vero ratio humana est virtus quædam limitata, supra quam multa posita sunt, ad quæ ipsa per se non potest attingere; & præter objecta conformia, aut difformia rationi humanæ, sunt etiam alia objecta superiora rationi humanæ, quæ tamen ei contraria non sunt, ut explicavimus. Quod si quis etiam veritatem accipiat, non prout est in rebus, sed prout est in humano intellectu, non sequitur contrarium esse veritati quod veritati conforme non est; sed solum sequitur rem aliquando ab humano intellectu non satis cognosci, ut dijudicari ab ipso possit vera ne sit, an non sit, ut contingit in dubiis, de quibus nequit aliquis propter imbecillitatem humani ingenii per se ipsum discernere verum ne sit, an falsum, quum tamen in se ipsa res nonnisi aut vera, aut falsa sit.

Contra. Repugnat etiam ut Fidem de multis habeamus, quæ in Lege Evangelica continentur: ergo semper verum est, Legem Evangelicam naturæ nostræ conformem non esse. Prob. ant. Quæ non intelligimus, neque comprehendimus, credere non possumus; sed non intelligimus, neque comprehendimus multa eorum, quæ nobis credenda proponuntur: ergo.

R., dist. ma. si non intelligamus, hoc est ea inter se manifeste pugnare videamus, con. si non intelligamus eatenus, quia sunt, & esse debent supra rationem, ne., & dist. mi., quasi ea inter se pugnare videamus, ne., quatenus sunt supra rationem nostram, con. Repugnat ergo, ut ea credamus, quæ sibi mutuo contraria esse deprehenduntur: nam iis, quæ menti nostræ uti falsa repræsentantur, fieri non potest, ut assentiamur. Credere tamen ea possumus, immo & debemus, quæ sunt supra rationem nostram, semel ac ea nobis divinitus revelata fuisse constat: nam (a) „ Fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id, quod creditur; habet tamen inquisitionem quamdam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum, puta quia sunt dicta a Deo, & miraculis confirmata „. Unde multa, quæ a Deo revelata credimus, quamvis non propter rationem credamus; non tamen sine ratione credimus. Credimus quidem non propter rationem, alioquin non fidei, sed scientiæ objectum ea esse possent: neque tamen credimus sine ratione, quia multa argumenta habemus, quibus nos decipi non posse, certo cognoscimus.

Hac ergo etiam in re Deistæ quam maxime a vero aberrant: nam quæ sunt objectum fidei, confundunt cum iis, quæ ad scientiam pertinent, proindeque vellent, ut etiam eorum, quæ credimus, claram, atque distinctam notionem haberemus, ita ut convenientia, vel non convenientia eodem modo nobis perspecta esset, quo demonstrata cognoscimus. Verum tunc fidei nullus omnino locus relinqueretur, quia ea, quæ quomodo sint, certa ratione novimus, non fidem, quæ propter auctoritatem alterius tantummodo adhibetur, sed scientiam in nobis causant, quamvis ea etiam fide credi aliunde possint propter auctoritatem revelantis.

Dices II. cum Deistis. Quum ut passionibus nostris semper resistamus, Lex Evangelica præcipiat, inde consequitur, ut propter observationem ejus veluti insensati efficiamur; hoc autem naturæ nostræ repugnat: ergo præcepta Evangelicæ Legis naturæ hominis conformia non sunt, neque quatenus vi intelligendi, neque quatenus libera eligendi facultate præditus est (b). Hinc vero

(a) S. Thomas 2. 2. qu. 2. ar. 1. ad 1.

(b) Ex hoc quoque capite Legem Evange-

vero etiam est, ut gravia supplicia, quæ nonnulli sibi perferenda sponte elegerunt, probari, inquiunt, non possint (a). Deinde unicuique naturale est, ut circa ea sollicitudinem habeat, quæ sibi necessaria esse possunt; sed Lex Evangelica omnem etiam victus, & vestitus sollicitudinem abjiciendam esse sæpe præcipit: ergo. Tandem præcepta Evangelicæ Legis nimis multa esse dicunt: quandoquidem non solum plura sunt, quæ exterius servari debent, sed animus quoque, ajunt, continua servitute opprimitur: ergo tantum abest, ut per Legem Evangelicam libertati hominis consultum sit, [sic enim concludunt] quin potius per eam omnino destruitur.

Ad 1. respondeo cum S. Thoma 1. 2. qu. 59. art. 5. „ Dicendum, quod „ si passiones dicamus inordinatas affectiones, sicut Stoici posuerunt, sic ma„ nifestum est, quod virtus perfecta est sine passionibus. Si vero passiones di„ camus omnes motus appetitus sensitivi, sic planum est, quod virtutes mo„ rales, quæ sunt circa passiones, sicut circa propriam materiam, sine pas„ sionibus esse non possunt. Cujus ratio est, quia secundum hoc sequeretur, „ quod virtus moralis faceret appetitum sensitivum omnino otiosum. Non au„ tem ad virtutem pertinet, quod ea, quæ sunt subjecta rationi, a propriis „ actibus vacent; sed quod exequantur imperium rationis, proprios actus agen„ do. Unde sicut virtus membra corporis ordinat ad actus exteriores debitos, „ ita appetitum sensitivum ad motus proprios ordinatos „. Unde etiam art. 2. ejusdem quæ. ita recte concludit: „ Si igitur passiones dicuntur inordinatæ „ affectiones, non possunt esse in virtuoso, ita quod post deliberationem eis „ consentiatur, ut Stoici posuerunt. Si vero passiones dicantur quicumque „ motus appetitus sensitivi, sic possunt esse in virtuoso, secundum quod sunt „ a ratione ordinatæ „. Quapropter si tunc aliquid perficitur, quando id omne ab eo tollitur, quod noxium esse potest, quum per exercitationem virtutum, quæ a Christiana Religione præcipiuntur, id omne, quod vitiosum est, a passionibus auferatur, easdem per Christianam Religionem perfici consequitur.

Verum mirandum non est, si Deistæ passiones a Christiana Religione destrui doleant: quod voluptatem quamcumque affert, & sensus suavi quadam dulcedine permulcet, hoc vero est, quod in passionibus magni faciunt: unde quum Christiana Religio passiones regat, atque moderetur, neque permittat, ut propter eas in quascumque voluptates effundamur, hujus salutaris frœni odio abrepti effutiunt, præcepta Christianæ Religionis eo tendere, ut insensati evadamus.

„ Dicendum [inquit S. Thomas 2. 2. qu. 142. art. 1.] quod omne illud, „ quod contrariatur ordini naturali, est vitiosum. Natura autem delectationem „ apposuit operationibus necessariis ad vitam hominis, & ideo naturalis ordo „ requirit, ut homo in tantum hujusmodi delectationibus utatur, quantum „ necessarium est saluti humanæ, vel quantum ad conservationem individui, „ vel

gelicam accusat Auctor *Philosophicarum Cogitationum* §. 5. Quamvis autem ex his, quæ contra eum effutientem Religionem Christianam bono communi perniciosam esse, superiori §. disseruimus, hoc quoque, quod contra bonum privatum opponit, abunde confutatum esse possit; tamen ad pleniorem confusionem ejus nonnulla alia hic quoque superaddenda esse duximus.

(a) Idem Auctor §. 7. quæ Sancti viri pro Dei amore perferenda susceperunt, impie, stulteque deridet.

„ vel quantum ad conservationem speciei. Si quis ergo in tantum delectatio-
„ nem refugeret, quod prætermitteret ea, quæ sunt necessaria ad conserva-
„ tionem naturæ, peccaret, quasi ordini naturali repugnans. Et hoc pertinet
„ ad vitium insensibilitatis. Sciendum tamen, quod ab hujusmodi delectatio-
„ nibus consequentibus hujusmodi operationes quandoque laudabile, vel etiam
„ necessarium est abstinere propter aliquem finem: sicut propter sanitatem
„ corporalem aliqui abstinent a quibusdam delectationibus ciborum, potuum,
„ & venereorum; & etiam propter alicujus officii exequutionem: sicut athle-
„ tas, & milites necesse est a multis delectationibus abstinere, ut officium
„ proprium exequantur. Et similiter pœnitentes ad recuperandam animæ sa-
„ nitatem abstinentia delectabilium quasi quadam diæta utuntur. Et homines
„ volentes contemplationi, & rebus Divinis vacare, oportet quod se magis a
„ carnalibus desideriis abstrahant. Nec aliquid prædictorum ad insensibilitatis
„ vitium pertinet, quia sunt secundum rationem rectam „.

Gravem autem, & ærumnosum vitæ statum, quod nonnulli sibi elegerunt, soli Deistæ, qui licet aliquam Religionem simulent, revera tamen nullam habent, reprehendere possunt. Quid? Ut quis ea ratione, qua potest, injuriam ab se alteri illatam compensare ultro contendat, laude dignus erit; eamdem vero rationem si etiam cum Deo teneat, reprehendi eum oportebit? Deinde nonne virtuose ille agit, qui talem vitæ rationem instituit, ut quam longissime fieri potest, a prava agendi consuetudine recedat? Hoc vero est, quod ii perficere studuerunt, qui valde grave, ac laboriosum vitæ genus amplexi sunt. Tandem quomodo non admiratione dignus ille erit, qui Deo talem in omnibus servitutem subjectionemque exhibere studet, ut illius supremo dominio respondeat? Sive ergo antea peccaverint, sive innocenter vixerint, qui gravem, & ærumnosum vitæ statum sibi elegerunt, virtus eorum nunquam non celebrari debet. At vero multa quoque alia sunt, ob quæ hujusmodi viros commendari oporteat; nam ob eam potissimum, quam cum magistro suo Christo majorem similitudinem habent, sunt peculiari laude digni. Verum hac de re, aliisque similibus contra Deistas nondum disputamus.

Sollicitudinem autem inordinatam; non vero necessariam Lex Evangelica præcipit, ut abjiciamus. „ Est autem (inquit S. Thomas 1. 2. q. 108. art. 3.
„ ad 5.) quadruplex ordinatio sollicitudinis vitanda circa temporalia. Primo
„ quidem ut in eis finem non constituamus, neque Deo serviamus, propter
„ necessaria victus, & vestitus. Unde dicit: [a] *Nolite thesaurizare vobis &c.*
„ Secundo ut non sic sollicitemur de temporalibus cum desperatione Divini
„ auxilii. Unde Dominus dicit. (b) *Scit enim Pater vester, quia his omnibus*
„ *indigetis*. Tertio ne sit sollicitudo præsumptuosa, ut scilicet homo confidat,
„ se necessaria vitæ per suam sollicitudinem posse procurare absque Divino au-
„ xilio. Quod Dominus removet per hoc, quod (c) *Non potest adjicere ad*
„ *staturam suam cubitum unum*. Quarto per hoc quod homo sollicitudinis tem-
„ pus præoccupat: quia scilicet de hoc sollicitus est nunc, quod non perti-
„ net ad curam præsentis temporis, sed ad curam futuri. Unde dicit: (d) *No-*
„ *lite ergo solliciti esse in crastinum* [e] „.

At

(a) *Matt.* 6. v. 19.
(b) *Matt.* eodem cap. v. 32.
(c) *Matt.* eodem cap. v. 27.
(d) *Matt.* eodem cap. v. 34.
(e) „ Hæc disciplina piæ humilitatis (ita
„ re-

At vero nihil violentum per præcepta Evangelica nobis impositum, sed omnia secundum naturam nostram recte constituta esse contendo. „ Vitium „ (inquit S. Thomas 1. 2. qu. 71. art. 2.) virtuti contrariatur: virtus autem „ uniuscujusque rei consistit in hoc, quod sit bene disposita secundum convenientiam suæ naturæ. Unde oportet, quod in qualibet re vitium dicatur ex „ hoc, quod est disposita contra id, quod convenit suæ naturæ. Unde & de „ hoc unaquæque res vituperatur. A vitio autem nomen vituperationis detra„ ctum creditur, ut Augustinus dicit in III. *de Libero Arbitrio*. Sed consi„ derandum est, quod natura uniuscujusque rei potissima est forma, secundum „ quam res speciem sortitur. Homo autem in speciem constituitur per ani„ mum rationalem; & ideo id, quod est contra ordinem rationis, proprie est „ contra naturam hominis, in quantum est homo: quod autem est secundum „ rationem, est secundum naturam hominis, in quantum est homo. Bonum „ autem hominis est, secundum rationem esse, & malum hominis est, præ„ ter rationem esse ... Unde virtus humana, quæ hominem facit bonum, & „ opus ipsius bonum reddit, in tantum est secundum naturam hominis, in „ quantum convenit rationi: vitium autem in tantum est contra naturam „ hominis, in quantum est contra ordinem rationis „. Hac autem Sancti Thomæ argumentatione id, quod volumus, aperte demonstratur. Omnia præcepta Evangelica eo tendunt, ut a vitiis caveamus, & quæ cum virtute fiunt, diligenter persequamur; sed vitia, quatenus sumus ratione præditi, naturæ nostræ adversantur; virtus autem eidem omnino conformis est: ergo præcepta Evangelica, quæ tota sunt in virtute posita, secundum nostram naturam esse fateamur oportet.

Iis autem nimis gravia, atque multiplicia præcepta Evangelicæ Legis videri possunt, qui suis pravis cupiditatibus indulgere volunt; ceterum qui iisdem obsistere statuerint, nihil tale in Lege Evangelica deprehendunt, sed per amorem, quem erga Deum, uti par est, habent, ad omnia præcepta ejus faciliter alacriterque servanda suaviter inducuntur. At vero quæ tandem Deistarum insipientia, atque audacia est, ut Deum de multiplicitate, atque gravitate præceptorum reprehendere velint, quum supremum in nos dominium habeat, (a) nosque illi omnino subjectos esse oporteat (b)? Dici ne quidpiam audacius impudentiusque potest? (c).

Tan-

„ recte ad rem nostram S. Augustinus epist. „ 127. num. 5., alias epist. 45.) ventosam, „ & turbidam cupiditatem, avidam rerum „ extra nostram potestatem constitutarum, pel„ lit ex animo, & quodammodo extirpat. „ Ibi enim labor, ubi multa quæruntur, & „ diliguntur, quibus adipiscendis, atque re„ tinendis voluntas non satis est, quia con„ sequentem non habet facultatem „.

(a) *Theolog. Nat.* qu. 4. art. 1.

(b) Ejusdem qu. art. 2.

(c) Iis ergo quæ in se gravia sunt, tunc tantum, & quidem æquo jure, nos subjicere debemus secundum præcepta Evangelicæ Legis, quando sunt impedimento, ne Deo nostro Supremo Domino obtemperemus. Hoc sane sensu accipiendum esse, quod Christus de uxore dimittenda præcepit postquam S. Augustinus demonstravit ep. 157. num. 31., alias epist. 89. num. 32. ita recte concludit: „ Hoc & de filiis, atque paren„ tibus, hoc de fratribus, & sororibus in„ telligitur, propter Christum omnes esse „ dimittendos, quum proponitur ista con„ ditio, ut Christum dimittat, si illos secum „ habere desiderat. Hoc ergo, & de domo, „ atque agris, hoc & de iis rebus, quæ „ jure pecuniario possidentur, hoc loco ac„ ciendum est „.

Tantum autem abest, ut Lex Evangelica propter ea, quæ etiam in animo servanda præcipit, durior evadat, quin potius propter hoc Divina origo illius aperte monstratur. Anne ad bene agendum expeditiores non evadimus, quando etiam interius bene affecti sumus, & non solum actione, sed neque etiam cogitatione quid turpe prosequimur? Deinde nonne etiam interno cultu ut Deum prosequamur, æquitatis ratio postulat? (a) ergo lege, quæ Divina est, ea quoque præcipi oportuit, quæ ad animum spectare possunt. Tandem quum solum Deum nihil quamvis occultum, atque secretum, latere possit, consequens inde erat, ut lex, quæ ab ipso ferebatur, occulta quoque & secreta complecteretur: nam vel hac una ratione eam humanam esse non posse intelligitur.

Dices III. Præceptis Evangelicis etiam consilia superaddita sunt: ergo per Evangelica præcepta humanæ infirmitati non satis consultum est, alioquin illa superaddi non oportuisset.

R., dist. ant. præceptis sunt superaddita consilia, quia per præcepta homo ad suum finem recte institutus non erat, ne., ut facilius, atque securius præceptorum finem consequatur, con., „ Dicendum (inquit S. Tho„ mas 1. 2. qu. 108. ar. 4.) quod hac est differentia inter consilium, & „ præceptum, quod præceptum importat necessitatem, consilium autem in opt o„ ne ponitur ejus, cui datur: & ideo convenienter in Lege Nova, quæ est lex liber„ tatis supra præcepta sunt addita consilia, non autem in Veteri Lege, quæ erat „ lex servitutis. Oportet ergo, quod præcepta Novæ Legis intelligantur es„ se data de his, quæ sunt necessaria ad consequendum finem æternæ bea„ titudinis, in quem Lex Nova immediate introducit. Consilia vero oportet „ esse de illis, per quæ melius, & expeditius potest homo consequi finem „ prædictum. Est autem homo constitutus inter res mundi hujus, & spiritua„ lia bona, in quibus æterna beatitudo consistit, ita quod quanto plus inhæ„ ret uni eorum, tanto plus recedit ab altero, & e converso. Qui ergo to„ taliter inhæret rebus hujus mundi, ut in eis finem constituat, habens eas, „ quasi rationes, & regulas suorum operum, totaliter excidit a spiritualibus „ bonis, & ideo hujusmodi inordinatio tollitur per præcepta. Sed quod ho„ mo ea, quæ sunt mundi, totaliter abjiciat, non est necessarium ad per„ veniendum in finem prædictum, quia potest homo utens rebus hujus mun„ di, dummodo in eis finem non constituat, ad beatitudinem æternam per„ venire: sed expeditius perveniet totaliter bona hujus mundi abdicando, & „ ideo de hoc dantur consilia Evangelii. Bona autem hujus mundi, quæ per„ tinent ad usum hujus humanæ vitæ, in tribus consistunt: scilicet in divitiis „ exteriorum bonorum, quæ pertinent ad concupiscentiam oculorum; & in „ deliciis carnis, quæ pertinent ad concupiscentiam carnis; & in honoribus, „ qui pertinent ad superbiam vitæ, sicut patet I. *Joan.* 2. v. 16. Hæc autem „ tria totaliter derelinquere, secundum quod possibile est, pertinet ad consilia Evangelica „. Ex quibus omnibus qua de causa consilia præceptis superaddita sint in Lege Evangelica, abunde constat.

§. III.

(c) *Theol. Nat.* qu. 4. art. 3.

§. III.

DE PURITATE, ATQUE SANCTITATE FINIS, QUEM LEX EVANGELICA SIBI PROPOSITUM HABET.

EA lex quoad suum finem summam puritatem, atque sanctitatem habet, quæ non solum ad commune bonum ordinatur, sed etiam illud bonum est omnium optimum, atque perfectissimum. Hujusmodi autem illud bonum est, quod Lex Evangelica sibi propositum habet, sive ad homines, sive ad ipsum Deum referatur: nam tum ad præsentis vitæ nostræ, tum potissimum ad alterius vitæ perfectam felicitatem tendit, & tota, quanta est, in manifestatione Divinæ gloriæ occupatur.

Propositio. Summa puritas, atque sanctitas in eo fine inest, quem Lex Evangelica sibi propositum habet.

Prob. prop. Et primo quidem puritatem, atque sanctitatem finis illius quoad homines expendamus. Homines ergo in duplici statu considerari possunt, hoc est, & quoad præsentem, & quoad futuram vitam. Quam autem homines in hoc mundo beatitudinem assequi possunt, repositam præcipue esse in exercitatione virtutis, nemo Deistarum, ut ego arbitror, negare poterit, quum necesse non esse, ut alter vitæ status supersit, in quo justi fructum suorum laborum recipiant, ideo affirment, quia virtus sufficiens sibi præmium esse posse falso putant. (a) Quapropter qum per Evangelicam Legem nihil magis provisum sit, quam ut homines exquisitiora virtutis opera faciant, atque etiam ab omni turpi cogitatione diligentissime sibi caveant, consequens inde est, ut beatitudo, quæ in hac vita ab hominibus obtineri potest, ab Evangelica Lege potissimum intenta sit: ergo si hæc lex spectetur quoad homines, dum hanc vitam degunt, omnium maximam in suo fine sanctitatem, atque puritatem continet, quum nunquam alia lex fuerit, aut esse possit, quæ adeo diligenter & omni generi virtutum providerit, & cuncta vitia detexerit, atque damnarit.

Hoc autem eo evidentius apparebit, si animo advertamus ad leges humanas. „ Dicendum (inquit S. Thomas 1. 2. qu. 96. art. 2.) quod sicut jam „ dictum est (quæst. 90. art. 1. & 2.) lex ponitur ut quædam regula, vel „ mensura humanorum actuum. Mensura autem *debet esse homogenea mensurato*, ut dicitur in 10. *Metaphysicorum*: diversa enim diversis mensurantur. „ Unde oportet, quod leges imponantur hominibus secundum eorum conditionem, quia ut Isidorus dicit (lib. 5. *Etymol.* cap. 21.) *lex debet esse possibilis & secundum naturam, & secundum consuetudinem patriæ*. Potestas „ autem, sive facultas operandi ex interiori habitu, seu dispositione procedit: „ non enim idem est possibile ei, qui non habet habitum virtutis, & virtuoso; sicut etiam non est idem possibile puero, & perfecto; & propter hoc „ non ponitur eadem lex pueris, quæ ponitur adultis: multa enim pueris permittuntur, quæ in adultis lege puniuntur, vel etiam vituperantur; & similiter multa sunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ non essent toleranda in hominibus virtuosis. Lex autem humana ponitur multitu- „ dini

(a) Vide quæ hac de re contra eos disseruimus in *Theologia Naturali* li.2. qu.6. ar.2 & seq.

„ dini hominum, in qua major pars est hominum non perfectorum virtute. Et „ ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent, „ sed solum graviora, a quibus possibile est majorem partem multitudinis ab„ stinere, & præcipue quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum pro„ hibitione societas humana conservari non posset „. Art. autem seq. non quoscumque virtutum actus per legem humanam præcipi debere inde evincit, quia lege humana præcipiuntur, quæ ad commune bonum ordinantur sive immediate, sive mediate.

His omnibus illud quoque accedit, hominis proprium esse, ut actiones suas in certum finem dirigat, quia est libertate præditus; sed nullus finis eo præstantior esse potest, quem Lex Evangelica omnibus nostris actionibus tum externis, tum internis propositum esse præcipit: nam summi perfectissimique boni gloriam, atque eam cum maxima, atque æterna nostri felicitate conjunctam semper a nobis intendendam esse statuit: ergo homines, dum vivunt, sanctissimum, atque purissimum a Lege Evangelica finem sibi constitutum habent.

Hinc autem illud quoque constat, eamdem rationem de eo fine habendam esse, quem in altera vita Lex Evangelica omnibus consequendum proponit. Quid enim non pulchrum, atque delectabile intellectui nostro cognoscendum, quid non dulce, & suave voluntati nostræ possidendum non promittit? Quid etiam corpori nostro non gratum, atque jucundum non auguratur? Nam Deum (a) „ Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. (b) „ Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, „ sicuti est (c) „. Et „ Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor „ hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum „. Non minus ergo delectabitur intellectus in iis, quæ cognoscet, quam tam multis, quæ possidebit, lætabitur voluntas. Neque etiam corpori, quæ convenire potest, sua perfectio deerit: nam (d) „ Seminatur in corruptione, surget in incorru„ ptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, „ surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale „. Unde (e) „ Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui se„ cundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per „ resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & „ incontaminatam, & immarcescibilem conservatam in cœlis „. Hinc Apostolus unumquemque ita apposite monet: (f) „ Quodcumque facitis, ex ani„ mo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod a Domino „ accipietis retributionem hæreditatis „. Dubitari ergo non potest, quin etiam in eo fine, quem Lex Evangelica post præsentem vitam omnibus proponit, argumenta manifesta divinitatis occurrant, quum nihil nisi inauditum, divinum, que supernaturale in se ille contineat.

Demum summam quoque puritatem, atque sanctitatem Lex Evangelica in suo fine habet, si ad Deum ipsum comparetur: nam ad majorem Dei gloriam, cultum, & honorem singula præcepta, quæ in ea continentur, ordinata sunt. Unde illa tam sæpe in Evangelica lege repetita: [g] „ Quoniam „ ex

(a) I. *Corint.* 13. v. 12.
(b) I. *Joan.* 3. v. 2.
(c) I. *Corint.* 2. v. 9.
(d) *Corint.* 15. v. 42. & seq.
(e) I. *Petri* 1. v. 3.
(f) *Colossen.* 3. v. 23.
(g) *Roman.* 11. v. 36.

„ ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. (a) Sive ergo manducatis, sive bibitis: omnia in gloriam Dei facite. [b] Ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo. (c) Repleti fructu justitiæ per Jesum Christum in gloriam, & laudem Dei. (d) Deo autem, & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. (e) Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum „. Sive ergo ad homines, sive ad Deum Lex Evangelica referatur, maxima in illius fine puritas, atque sanctitas continetur.

Dices. Si Lex Evangelica tantam in se puritatem, & sanctitatem contineret, qui eam sequuntur, Sancti, & puri esse deberent; sed contra evenire ipsa experientia compertum habemus: ergo.

R., dist. ma., si præcepta illius revera servarent, con. si non servent, ne. Etiam ii, qui Evangelicam Legem profitentur, sui arbitrii omnino sunt: unde quamvis exterius eam profiteantur; tamen præcepta ejus tam servare, quam non servare possunt. Qua de caussa mirandum non est, si etiam multi eorum, qui sunt Christianæ Religionis, non solum morum integritatem non habeant, sed etiam pluribus vitiis obnoxii sint. Arbitrii libertate abutuntur, &, prout deberent, præcepta Evangelica non servant. Id autem non puritati, atque sanctitati Evangelicæ Legis, sed vitio eorum imputandum esse, nemo non videt.

Ceterum nulla unquam Religio fuit, in qua adeo præcellentium virtutum homines floruerint, sicuti omni ætate in Christiana floruerunt. Quæ enim sublimitas virtutum omnium in Sanctis Apostolis non fuit? quam admirabilis vitæ sanctitas in primis, & subsequentium sæculorum Ecclesiæ Patribus? Quæ Martyrum in subeundo certamine vis, & alacritas? Quæ in magistris doctrinæ puritas, & integritas? Qui rerum omnium maxima cum humilitate contemptus in divitibus? Quæ demum vel imperitorum, puellarum, & fœminarum omnis conditionis morum sanctitas, sublimiorumque exercitatio virtutum? Profecto sola Religio Christiana tales viros semper suo sinu aluit; ac sine intermissione alit, qui propter suæ vitæ sanctitatem omnibus admirationi sint. Unde recte Athenagoras in *Legatione pro Christianis* num. 2. „ Nemo enim, „ *inquit*, Christianus improbus, nisi doctrinam hanc simulate profiteatur „. Et Minucius Felix in *Octavio*. „ Denique e vestro numero carcer exæstuat; „ Christianus ibi nullus, nisi aut reus suæ Religionis, aut profugus „.

COROLLARIUM.

Deus sanctificationi hominum non solum per ea, quæ revelavit, sed etiam per ipsam Revelationem sapientissime providit.

Talem hominum conditionem esse, ut plus æquo rationi plerumque tribuamus, atque de iis, quæ per nos cognoverimus, nimis extollamur, nemo negaverit. Hoc vero malum est, cui Deus per Revelationem sapientissime pro-

(a) I. *Corint.* 10. v. 31.
(c) *Ephesio*: 1 v. 12.
(d) *Philipp.* 1. v. 11.
(e) *Philip.* 4. v. 20.
(f) I. *Petri* 4. v. 11.

providit. Deo enim revelanti quum oporteat, ut fide subjiciamur, humiliter Deo ipsa ratione subesse debemus, simulque fateri eam tanti non esse, sicuti existimare videbamur. Unde illud quoque fit, ut & Divinæ sapientiæ altitudinem admiremur, & nostri imbecillitatem fateamur.

§. IV.

DE HIS, QUÆ AD PRÆDICATIONEM EVANGELICÆ LEGIS CONSEQUUTA SUNT.

CAussam cognosci per effectus, omnes Philosophi semper consenserunt. Hoc vero est illud argumenti genus, quod expendendum modo aggredimur, ut de Divinitate Evangelicæ Legis magis magisque constet. Talia enim ad promulgationem hujus Legis consequuta fuisse contendimus, ut de Divina origine illius nullum dubitandi locum relinquant [a].

Propositio Quæ in promulgatione Legis Evangelicæ contigerunt, eam nonnisi Divinam esse posse demonstrant.

Ut propositionem per partes distincte probemus, expendamus, quo primo tempore: 2. per quos Lex Evangelica promulgata: 3. qua ratione suscepta fuerit: 4. quæ præcepta in se ipsa contineat: 5. tandem quomodo ubique diffusa apud omnes.

Quoad primum ergo attinet, Lex Evangelica eo tempore promulgari cœpit, quo superstitionibus idolatricis antiqua jam, atque inveterata præscriptione fere omnes detinebantur: his enim non solum minuti e plebe homines, sed etiam Principes, Philosophi, Doctores, & Sapientes addicti erant, qui nihil magis cordi habebant, sicuti semper unaquaque in re contigisse videmus, quam ut patria instituta servarent. Hic ergo quoad Religionem erat status fere omnium. Vivendi autem ratio, quam sequebantur, quænam tandem fuerit, quam libera, quam dedita voluptatibus, quam indulgens lenocinio sensuum, atque etiam effusa in omne genuus vitiorum, ad quæ consectanda, eorum quoque Deorum, quos colebant, exemplo trahebantur, nemo est, qui ignoret (b).

Illud quoque observetur oportet, initio promulgationis Evangelicæ Legis homines ignorantiæ tenebris non fuisse involutos. Nam, regnante Augusto, tum scientiæ, tum artes summo in pretio, ac honore fuerunt. Secundo autem sæculo, quo Christiana Religio magis magisque propagata fuit, item viri doctissimi floruerunt, uti Cornelius Tacitus homo consularis, Plinins Junior, Plutar-

(a) Inter cetera alia omnino falsa, evidenter absurda, & prorsus blasphema, atque impia, quæ tradit Auctor Operis inscripti *Examen de la Religion* illud quoque cap. 5. num. 3. impudentissime affirmat, quod non solum religiosæ aures horreant, sed ne pudor quidem ingenui hominis ferre possit, Christianam Religionem incœpisse cum seductione, atque deinde humana ratione pedetentim fuisse propagatam. Quo sane, inquit ipse, cognosci potest, Deum aliquam doctrinam non revelasse. Quasi vero Christianam Religionem nonnulli tantum e plebe homines primis temporibus amplexi fuerint. Illud quoque impudenter effutit, per Christianam Religionem populum seduci potuisse, quia Christiana Religio multa habet, quæ supra nos posita sunt, & populus ad hæc potissimum inclinat. Verum putidissimam calumniandi libidinem cum summa impietate in hoc homine conjunctam esse, palam ex iis fiet, quæ modo disputaturi sumus.

(b) Hac de re Mamachius consulatur, qui *Originum, et Antiquitatum Christianarum* lib. 2. cap. 1. & 3. de Religione, & moribus tum Romanorum, tum aliarum gentium, quando Christus natus est, multa præclare disseruit.

tarchus, Frontinus, Favorinus Sophista, Epictetus Philosophus Stoicus, Arrianus, Florus, Svetonius, Justinus, Appianus, Diogenes Laertius, Ptolemæus, Sextus Empiricus, Numenius, Apulejus, Pausanias, Aulus Gellius, Athenæus, aliique sane multi. Quo fiebat ut error, si qui in re tam gravi occurrisset, facile detegi posset.

Tandem illud quoque præ animo habendum est, promulgationem Evangelicæ Legis non solum graves initio contradictiones passam, sed etiam tum Imperatorum, tum Præfectorum provinciarum, potentiorumque omnium, atque infimæ plebis vi eam summa contentione oppugnatam fuisse, ita ut nihil non tentatum sit, per quod everti, & destrui posset. Ex quibus omnibus illud constat, tum eloquentiam exquisitiorem, tum ampliorem potestatem, tum auctoritatem excellentiorem in iis requiri debuisse, qui Evangelicam Legem promulgarunt, quo possent homines a patriis institutis revocare, atque ita revocare, ut etiam vim sibi maximam inferrent; persuadere, quæ eorum pravis inclinationibus contraria erant; confutare contradicentes, oppugnantibus resistere, omnique conditioni personarum sese fortiter opponere: sed neque eloquentia, neque potestas, neque humana auctoritas in iis ulla erat, qui Legem Evangelicam promulgarunt: ergo divinitus factum fuisse, ut contra veterem sui institutionem, contra inclinationem sensuum, & instituta Majorum, contra omnes humanæ prudentiæ regulas Gentes eam amplecterentur, negari non potest.

Minor propositio probatur, quæ id continet, quod secundo loco explicandum suscepimus. *Ex Jerusalem viri duodecim regressi sunt in mundum, & hi idiotæ, & loqui non valentes*, sicuti habet S. Justinus Martyr *Apologia* 1. num. 39. „ Non eis (inquit Origenes lib. 1. *contra Celsum* num. 62.) secun„ dum artes Græcorum dialectica, aut rhetorica dicendi facultas, & disseren„ di ratio inerat, qua auditores sibi conciliarent. Atque etiam si Jesus elegis„ set, & doctrinæ suæ ministros adhibuisset eos, qui multorum opinione sa„ pientes habentur, & aut cogitandi subtilitate, aut sermonis facundia multi„ tudinis plausus captare possunt, justa meo quidem judicio suscipio fuisset, „ simili eum ratione, atque via usum fuisse, qua Philosophi sectæ cujuspiam „ auctores usi sunt, neque quod promissum est de doctrinæ ejus Divinitate, vi„ deretur adimpletum... Nunc autem ecquis est qui cum videat piscatores, „ & publicanos, vel primorum elementorum imperitos, confidenter de fide „ Jesu adjungenda, non modo apud Judæos disputare, sed etiam apud reli„ quas gentes prospere Jesum annunciare, non quæsierit, unde illis inesset per„ suadendi facultas? Neque enim erat vulgaris „. Eadem fere repetit etiam lib. 3. nu. 39. „ Piscatores, opifices, rusticanos, atque id genus delegit impe„ ritorum [inquit Arnobius lib. 1.] qui per varias gentes missi cuncta illa „ miracula sine ullis fucis, atque adminiculis perpetrarent... Nec quidquam „ est ab illo gestum per admirationem, stupentibus cunctis, quod non omne „ donaverit faciendum parvulis illis, & rusticis, & eorum subjecerit potesta„ ti „. Hinc Eusebius Cæsariensis lib. 3. *Demonstrat. Evangel.* cap. 5. „ Quis „ mentis sanitate præditus, *inquit*, non ab illis ipsis protinus argumentans om„ ni fide dignos illos judicaverit? Viros absque controversia ignobiles, litte„ rarumque ignaros, loquendique imperitos, at in sanctæ Philosophicæ doctri„ næ amorem progressos, & strenuam laboriosamque vitam amplexos „? Tum autem in universo quinto hujus lib. cap., tum in sequentibus capitibus, atque

etiam

etiam in Oratione *de Laudibus Constantini* Eusebius totus in eo est, ut admirabilem Christianæ Religionis per Apostolos propagationem ostendat (a).

Si autem expendamus, qua ratione Evangelicæ veritates in hominum animos pervaserint, nonnisi Divinas eas esse posse, adhuc evidentius constabit. „ Neque mirum admodum est (ita Origines lib. 3. *contra Celsum* nu: 68. postquam aliquorum exempla retulit, qui per Philosophiæ studium ad sanam „ mentem revocati sunt) sermones Philosophicos tam apte, tam composite, „ tam ornate elaboratos, tantum habuisse momenti ad corrigendos illos, qui „ supra memorati sunt, aliosque pessimæ vitæ homines. Sed quum videmus „ sermones illos, quos demissos, & humiles vocat Celsus, instar incantatio„ num tanta vi, & efficacia præditos: quum videmus, inquam, sermonibus „ illis a libidinosa ad temperantem vitam, ab iniqua ad justam, a timiditate „ ad tantam constantiam revocari multitudinem, ut pietatis caussa, quam com„ mendatam illis animadvertit, mortem pro nihilo putet; quo modo non me„ rito tantam potestatem admirabimur? Nam sermo eorum, quibus ab initio „ vulgandæ nostræ doctrinæ partes datæ sunt, quique in constituendis Dei Ec„ clesiis laborarunt, & eorum prædicatio persuasit quidem, sed non ea ratio„ ne, qua Platonicæ sapientiæ doctores, aut quilibet alii Philosophi, qui ni„ hil supra humanæ naturæ vires poterant. Sed argumenta, quibus utebantur „ Apostoli, data illis a Deo fuerant, vimque persuadendi a spiritu, & virtu„ te habebant. Quapropter promptissime, ac celerrime sermo eorum quocum„ que pervasit: immo sermo Dei, qui per illos mutabat, quos natura, & con„ suetudo ad peccatum trahebant: & quos ne pœnis quidem quisquam homi„ num correxisset, hos correxit, efformavit, ad suam voluntatem convertit „. Lib. autem 4. *de Principiis* num. 2. hæc quoque alia observatione digna superaddit: „ Quod si ad id quoque animum attenderimus, quo pacto annis tam pau„ cis, tot insidiis structis adversos Christianos, quorum nonnulli necati, alii „ bonis mulctati sunt, potuerit hæc doctrina, licet alioqui non magna sit Do„ ctorum copia, ubique terrarum prædicari, ita ut Græci, & Barbari, sa„ pientes, & insipientes ad verum per Jesum Christum Dei cultum sese ad„ junxerint, rem humanis viribus majorem dicere non dubitabimus, quum„ præsertim summa cum potestate, & fiducia docuerit Christus nunquam suam „ victum iri doctrinam „. Et num. 7. ejusdem libri: „ Nam si tritæ, „ *inquit*, inter homines demonstrationum viæ nostris libris insertæ convertissent „ humanum genus, merito quis suspicari potuisset fidem nostram in humana „ sapientia, & non in virtute Dei sitam esse. Nunc vero cuilibet oculos at„ tollenti perspicuum est sermonis, & prædicationis vim in multitudinem non „ in persuasibilibus positam fuisse sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, „ & virtutis „. Hinc etiam Eusebius *Preparat. Evangel.* lib. 1. cap. 4. „ Jam „ vero, *inquit*, illud ipsum, quod omnibus per se hominibus ad bene beateque „ vivendum, partim clarissimis ipsius verbis, partim vi occultiore proponeba„ tur, cujus non oculis Divinam ejus potestatem virtutemque subjiciat? Ete„ nim Divinæ profecto potestatis arcanæque virtutis id fuit, ut simul atque „ verbum illius, deque summi unius tantum Dei, qui rebus præesset omni„ bus, principatu, doctrina proponeretur, continuo genus hominum in integram

liber-

(a) Hac de re consulatur etiam sapientissimus, & de Republica litteraria optime meritus Lamius *de Eruditione Apostolorum* cap. 8.

„ libertatem quum a fraudolenta dæmonum efficacitate, tum a multiplici gen„ tium dominatu vindicarentur ... Illius autem utilitatis, quæ palam doctrinæ „ hujus prædicationem consequuta est, cuivis rem secum attente reputanti cla„ rum hoc in primis, & illustre specimen intueri liceat; quod nec alias un„ quam ex omni hominum memoria, nec ab eorum ullo, qui fama quondam „ nominis, aut existimatione floruerunt: sed tantum ex quo ipsis doctrinæ per „ universum orbem diffusæ verbis, & concionibus hominum aures afflari cœ„ perunt, continuo factum sit, ut qui ferini prius, ac barbari nationum om„ nium mores fuerant, iidem lenioribus, & humanioribus institutis man„ suescerent „.

At vero nonne Evangelicæ doctrinæ divinitas inde quoque constat, quia non solum armis, atque potentia propagata non fuit, sed etiam inter oppositiones, & contradictiones, quum ex adverso nemo hominum pro ea pugnaret, quam maxime crevit? Quid? Quum auctor illius mortem ignominiæ plenam subiisset, sperari ne unquam poterat, non defuturos, qui eam aperte promulgarent, atque prædicarent; immo denunciarent omnibus, neminem, nisi eamdem amplecteretur, æternam felicitatem consequi posse? Hinc recte S. Justinus in *Dialogo cum Tryphone* num: 11. „ Si ergo *inquit*, Novum Testamentum Deus in„ stitutum iri prædicavit, illudque in lucem Gentium; videmus autem, ac per„ suasum habemus per nomen ipsius Crucifixi Jesu Christi a simulacris, & ab „ alia nequitia homines ad Deum accedere, ac ne morte quidem proposita, a „ confessione, & pietate discedere; quum ex operibus, tum ex consequen„ tibus miraculis licet omnibus intelligere hunc esse novam legem, & novum „ testamentum, & expectationem eorum, qui ex omnibus Gentibus a Deo bo„ na expectant „. Hinc etiam Origenes lib. 1. *contra Celsum* num. 26. „ Ego quidem, *inquit*, non quo meæ Religioni assentari velim, sed rem suo „ quamque momento ponderans, dicere ausim, qui sibi proponunt ægris cor„ poribus restituere sanitatem, eos hunc finem non assequi sine Dei volunta„ te. At si quis posset a vitiorum colluvie, a libidine, a nequitia, a con„ temptu numinis animas avertere, tantique operis specimen in centum ho„ hominibus (exemplo sit numerus) dedisset, quos revocasset ad meliorem „ frugem, hunc nemo jure dixerit sine Deo centum illos homines a tantis „ vitiis liberavisse. Quod si qui hæc prudenter recogitans concesserit, nihil „ boni sine Deo hominibus accidere, quanto fidentius id de Jesu affirmabit, „ quum eorum, qui Christi doctrinæ adhæserint, pristinos cum novis mores „ comparavit, animadvertetque quantis spurcitiis, quantis injustitiis, quantis „ cupiditatibus dediti illi antea fuerint, quam decepti, ut Celsus, suique „ similes loquuntur, fuissent, hancque amplexi essent doctrinam, quæ illorum „ judicio est humanæ vitæ pernicies; quanta autem, ex quo illi doctrinæ se „ dociles præbuere, æquiores, graviores, constantioresque sint redditi, ut eo„ rum quidam cum eximiæ puritatis amore, tum quo castius ad cultum Di„ vinum accedant, venereis voluptatibus etiam lege permissis abstineant „.

Num: 27. „ Hæc qui secum reputaverit, is Jesum & majora humanis „ viribus ausum esse, & quæ ausus est, perfecisse intelliget. Nam vel ab „ initio nemo non impedire conatus est, quominus Jesu doctrina per totum „ orbem spargeretur, reges cujusque ætatis, exercituum præfecti, & duces, „ quicumque, ut verbo dicam, aliqua potestate præditi fuerunt, præterea

„qui

„ qui in urbibus auctoritate pollebant, milites, populi. Hos omnes vicit, „ quippe quæ doctrina Dei erat, & natura hujusmodi, quæ nec impediri pos- „ set, & adversarios omnes superaret. Græciam omnem, majorem barbara- „ rum gentium partem subegit, innumerasque animas ad Dei cultum, quem „ docebat, adscivit „.

Modo autem breviter inquiramus, quænam tandem sint, quæ per Evangelicam Legem omnibus proponuntur. Dei Filium e cœlo descendisse, natumque in hoc mundo ex muliere virgine esse, itemque postquam multa sane gravia, atque indigna a Judæis sustinuisset, cruci affixum instar sceleſtissimi hominis, turpem mortem oppetiisse, prima fundamenta sunt Christianæ Religionis. Hisce autem omnibus humanæ rationi nihil magis impervium esse posse, nemo non videt. Quid vero Religio illa non præcipit, quod nostræ corruptæ naturæ, qua tantopere seducimur, aperte non adversetur? Nullum est genus vitiorum, quod non damnet, nullaque virtus, cujus exercitationem non præcipiat. Sensibus ut ne indulgeamus, severe prohibet: vult ut carnem cum omnibus suis concupiscentiis cohibeamus, aliosque habeamus sicuti nos ipsos: Deo autem ut semper obtemperemus, mandat, & eum religiosiori cultu tum interno, tum externo prosequamur: demum non solum vetat, ut nihil turpe committamus, sed etiam ut nec mente, aut cogitatione pervolvamus. Age vero, quænam Hebræorum, & Ethnicorum institutio fuerit, modo consideremus. Messiam illi quidem expectabant, veruntamen opibus, atque potentia præditum, qui eos vi, & armis de inimicis eorum ulcisceretur; illi nihil nisi voluptates consectabantur, & in omne vitiorum genus effusi erant. Qua ergo fieri ratione potuit, ut Legi Evangelicæ utrique subjicerentur? Profecto nisi Divina virtus intercessisset, numquam factum esset. Divinitas ergo Evangelicæ Legis ea fuit, quæ multorum Judæorum, atque Ethnicorum corda penetravit, quæque mirabili sane, & inaudito prodigio effecit, ut alii, ac antea erant, omnino evaderent, & pristinos mores, institutionem, consuetudinem, mentemque exuerent. Quapropter ea quoque, quæ in Lege Evangelica proponuntur, Divinitatis, quam in se habet, evidenti argumento esse debent, quum nonnisi Divina virtus animos omnium, quamvis inter se moribus, & institutione contrarios, pervadere potuerit. Propter hanc itaque „ nec Persæ (uti scribit Eusebius *Præparat: Evangel:* lib. 1. c. 4.) qui semel ejus disciplinæ nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt: nec Scythæ, quod in eorum „ quoque regionem Christi sermo penetravit, humana jam carne pascuntur: „ nec alia barbarorum genera incestu filiarum, ac servorum concubitu polluuntur: nec ad mares furioso libidinis æstu mares ipsi rapiuntur, nec ceteras, quæ naturæ leges violant, corporis voluptates persequuntur: nec canibus, atque volucribus necessariorum, ac propinquorum suorum cadavera, „ quibus id quondam in more fuerat, objiciunt: nec senio jam confectis, ut „ antea, laqueos injiciunt: nec sibi amicissimorum carne post obitum antiquo „ ritu saginantur: nec majorum instituto Dæmonibus tamquam Diis, homines immolant: nec sibi charissimos jugulant falsa pietatis opinione delusi. „ Hæc nimirum illa sunt, aliaque id genus propomodum infinita, quibus infesta quondam hominum vita habebatur „. Lib. autem 6. nu: 10. hæc ex Bardesane in ejusdem rei confirmationem refert: „ Enimvero nec in Parthia „ Christiani, Parthi licet, pluribus utuntur uxoribus, nec in Media defunctorum

rum

„ rum corpora carnibus objiciunt, nec in Perside, Persæ licet, filias uxo„ res ducunt: nec apud Bactros, aut Gallos nuptiarum honestatem, & jura „ contaminant, nec in Ægypto Apim, Canem, Hircum, Felemve colunt. „ Ita, ubicumque degunt, nec legum morumque sceleratorum improbitate „ vincuntur, nec ad flagitium ullum præceptoris sui legibus interdictum, na„ scendi conditionis ex principum astrorum imperio nutuque descriptæ vi adi„ guntur „.

Neque in paucioribus, vel in una, aut altera natione solum, per prædicationem Evangelicæ Legis tanta tamque mirabilis mutatio contigit, sed in omnibus, eaque ad nostra usque tempora perseverat. Quæ sane duo, aliquid in hac sanctissima Lege divinum inesse, magis magisque declarant. Et re quidem vera Actus Apostolicos si percurramus, statim ab initio Evangelicæ prædicationis fuisse plures, qui Christo nomen dederint, manifestum est. Vix dum Petrus, accepto Spiritu Sancto, sermonem ad populum habet, & unumquemque Judæorum ad pœnitentiam invitat; & statim [a] *Appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia*. Claudus ex utero suæ matris a Petro sanatur? [b] *Et multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia*; subindeque Christi discipulorum numerus ita crescit, ut necesse fuerit, Apostolos, ne Divini verbi prædicationem omittere cogerentur, deligere viros *boni testimonii*, qui minora curarent (c). Quam multi sunt viri, atque mulieres, quos Philippus in Samaria ad Christi fidem convertit (d)? quos ex Gentilibus Petrus Cæsaræ baptizavit [e]? quos tum Antiochiæ Barnabas, & Paulus [f], tum Iconii non solum ex Judæis; sed etiam ex Græcis [g], quos demum omnes Apostoli fere ubique gentium induxerunt, ut Christi fidem amplecterentur? Quid? nonne etiam antequam Paulus a Barnaba separaretur, in pluribus regionibus integræ Ecclesiæ jam constitutæ erant (h)? nonne subinde semper alias, atque alias singuli Apostoli constituerunt, dum Dei verbum prædicarent. Ita fuisse quamplurimos, qui etiam ab initio Evangelicæ prædicationis in Christum crediderint, apertum est. Tantum autem abest, ut post mortem Apostolorum, qui in Christum crederent, minui cœperint, quin potius semper magis magisque ubique gentium multiplicati fuere: „ Hesterni sumus [inquit Tertullianus in *Apologetico* lib. 2.] & „ vestra omnia implevimus; urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, „ castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reli„ quimus templa „. Unde etiam Arnobius in fine lib. 1. *adversus Gentes*, contra Ethnicos hoc argumenti genus ita urget: „ Nonne vel hæc saltem fi„ dem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam „ brevi temporis spatio, immensi nominis hujus sacramenta diffusa sunt? quod „ nulla jam natio est tam barbari moris, & mansuetudinem nesciens, quæ „ non ejus amore versa molliverit asperitatem suam, & in placidi sensus as„ sumpta tranquillitate migraverit? Quod tam magnis ingeniis prædiri Orato„ res, Grammatici, Rhetores, Consulti juris, ac Medici, Philosophiæ etiam „ secreta rimantes, Magisteria hæc expetunt, spretis quibus paulo ante fide-

 bant?

(a) *Actorum* 2. v. 41.
(b) Cap. 4. v. 4.
(c) Cap. 6. v. 3.
(d) Cap. 8. v. 10. & 12.
(e) Cap. 10. v. 48.
(f) Cap. 11. v. 26.
(g) Cap. 14. v. 1.
(h) Cap. 15. v. 41.

„ bant? Quod a Dominis se servi cruciatibus affici, quibus statuerint, malunt, „ solvi conjuges a matrimoniis, exhæredari a parentibus liberi, quam fidem „ rumpere Christianam, & salutaris militiæ sacramenta deponere „. Et initio lib. 2. „ Enumerari enim possunt, atque in usum computationis venire ea, „ quæ in India gesta sunt, apud Seras, Persas, & Medos; in Arabia, Ægypto, in Asia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas; in Achaja, „ Macedonia, Epiro; in insulis, & provinciis omnibus, quas sol oriens, at„ que occidens lustrat; ipsam denique apud Dominam Romam, in qua quum „ homines sint Numæ Regis artibus, atque antiquis superstitionibus occupa„ ti, non distulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coalescere Chri„ stianæ „. Hinc etiam Eusebius *Evangeli: Præparat.* lib. 1. cap. 4. ait „ Ad „ hæc, *inquit*, quod infinita virorum, mulierum, ac puerorum, servorum „ pariter, atque liberorum, ignobilium, & nobilium „ nec non Barbarorum „ simul, atque Græcorum, omnibus in locis, oppidis, regionibus, & quot„ quot soli subjectæ sunt, nationibus, ad subeundam eorum præceptorum, „ quibus nuper informati sumus, disciplinam denso agmine multitudo confluat, „ ejusmodique sermonibus aures præbeat, quibus ad coercendam non actionum „ modo petulantiam, verum etiam earum, quæ in sola mente versantur, co„ gitationum turpitudinem, omnesque tum ventris, tum quæ sub ventre se„ dem habent, voluptates domandas excitetur: quodque nullum non genus „ hominum Divinæ doctrinæ præceptionibus imbuatur, ut lacessentium inimi„ corum injurias excelso exaggeratoque animo ferre, non mutuis, ac similibus „ improbos homines ulcisci velit: ut iracundiæ vim, ut impotentem, ac fu„ riosum cupiditatis omnis impetum regere, ac frænare conetur, adeoque opes „ fortunasque suas cum inopibus egentibusque communicet: ut quemlibet ho„ minem communis humanitatis nomine complectatur, quemque vulgo tam„ quam peregrinum habent, eum quasi naturæ lege conjunctissimum, ac ve„ luti fratrem agnoscat. Hæc qui simul universa congerat, fieri ne poterit, „ quin idem prædicatam a nobis doctrinam eam esse fateatur, quæ summa „ veraque bona cunctis hominibus feliciter nunciarit, quodque præcipuum, & „ quasi caput ad bene beateque vivendum per se erat, hominum vitæ con„ tulerit „? Quamvis ergo paucos fuisse Christianos a Neronis ad Trajani ætatem, nonnulli imperite, & sine ulla ratione affirmaverint (a); eos tamen in manifesto errore esse, non solum Christianorum, sed etiam Ethnicorum evidentissimis testimoniis facile confutari possunt, sicuti revera solide confutati sunt (b). Non minus autem a veritate ii quoque aberrant, qui nonnisi imperitos, atque ex infima plebe homines primis Ecclesiæ sæculis Christianæ Religioni nomen dedisse putant (c): nam tum ætate Apostolorum, tum multo magis secundo, & tertio Ecclesiæ sæculo tam nobiles, quam eruditos fuisse plures, qui Religionem Christianam amplexi fuerint, adeo testata res est, ut a ne-

(a) Hoc sensit Campegius Vitringa *Observat. Sacr.* lib. 4. cap. 7.

(b) Id summa eruditione pro suo more Mamachius præstitit *Originum et Antiquit. Christian.* lib 2. cap. 6. ΠΑΡΕΡΓΟΝ *de Propagatione Christianæ Religionis etc.*

(c) Hornbeekius Batavus *de Conversione Indorum, & Gentilium* lib. 2. tum ætate Apostolorum, tum etiam secundo, & tertio exeunte sæculo Christianos passim viles fuisse contendit.

a nemine amplius in dubium revocari possit, nostraque disputatione non egeat. (a)

Tandem quum Christiana Religio, ex quo promulgata fuit, semper suos cultores ubique gentium habuerit, neque ullo unquam tempore desierint, qui gravissimos labores susceperint, ut aliis eamdem manifestarent, atque etiam cum suæ vitæ periculo defenderint, ex iis omnibus, quæ ad prædicationem ejus consequuta sunt, Divinam illam esse tam manifestum est, quam quod maxime.

Modo vero ex his omnibus, quæ pluribus fortasse disputavimus, quam necesse erat, hanc argumentationem instituimus. Ea Lex nonnisi Divina esse potest, quæ, longa institutione hominum contra pugnante, potentioribus sapientioribusque contradicentibus, tota humana natura acriter reluctante, tandem ab omnibus cujusvis conditionis hominibus cum gravi etiam periculo vitæ, jactura bonorum, atque amissione suorum, libenter suscepta fuit, præsertim si iis quoque assentiri deberent, quæ supra humanam rationem erant, neque id solum, sed etiam inde futurum esse viderent, ut contra se ipsos, suasque pravas cupiditates, quibus indulgere consueverant, bellum semper gerere oporteret; sed in promulgatione Evangelii hæc omnia evenerunt: ergo.

Hisce vero omnibus illud quoque accedit; quo sane Divinitas hujus legis magis magisque confirmatur, ejusdem promulgatores fuisse homines, qui vel propter suam originem, aut dignitatem, vel propter eloquentiam, aut eruditionem, vel demum propter potentiam, aut majestatem, nullam auctoritatem apud alios habere poterant. (b)

Alterum superesset genus argumentationis, quod ad demonstrandam Divinitatem Evangelicæ Legis contra Deistas urgere possemus, atque illud petitur ex martyrio, quod Apostoli, ceterique deinde Christiani pro ejus defensione subierunt: verum de hoc alias, & potissimum de martyrio Apostolorum data opera, quando nullam suspicionem falsitatis in iisdem inesse posse demonstrabimus.

Interea juvat animadvertere, his, quæ usque modo disseruimus, abunde refelli Auctoris *Cogitationum Philosophicar.* §. 45. garrulam, impiamque temeritatem, non dubitantis scribere, divinitatem non adeo evidenter Scripturis Sacris impressam esse, quin a profanorum testimonio pendeat. Verum hoc quoque impius homo ex Juliano æque impio didicit: nihil enim Divini *sectam Galilæorum*, uti ipse vocat, in se habere, etiam Julianus contendebat, uti legere est apud S. Cyrillum lib. 6. contra eumdem.

(a) Consulatur Mamachius *Originum, & Antiquit. Christian.* lib. 2. cap. 31. ΠΑΡΕΡΓΟΝ *Floruerint ne primis Ecclesiæ sæculis Christiani nobiles, atque eruditi &c.*

(b) Religionem ergo Christianam eodem modo propagatam esse, ac Protestantiam sectam, *Epistolarum Philosophicarum* Auctor epist. 25. nu. 29. quanta cum impietate, atque falsitate affirmet, nemo non videre potest.

SCHOLION.

Quamvis sanctitas Evangelicæ Legis sit excellens, atque singularis, non tamen inde sequitur, Legem Evangelicam multo ante tempore promulgari debuisse, uti Deistæ inepte contendunt, atque præter alios Tyndalius opponit. [a]

Nam nullam eos ex hoc capite calumniandi occasionem arripere posse, ex his constat, quæ lib. 1. qu. 1. art. 3. in responsione ad secundam objectionem disseruimus. Quoniam vero nihil ipsi opponunt, quod etiam Ethnici antea non opposuerint, hæc ex Arnobio lib. 2. *adversus Gentes* superaddenda esse putamus: ,, Ratio & hic fuit, cur non nuper, sed hodie Salvator nostri ,, generis adveniret. Quænam igitur ratio est? Non imus inficias nescire nos. ,, Neque enim promptum est cuiquam Dei mentem videre, aut quibus mo- ,, dis ordinaverit res suas. Homo, animal cœcum, & ipsum se nesciens nul- ,, lis potest rationibus consequi quid oporteat fieri, quando, vel quo genere. ,, ipse rerum cunctarum Pater, Moderator, & Dominus scit: nec si ego ne- ,, quivero caussas vobis exprimere, cur aliquid fiat illo, vel hoc modo, con- ,, tinuo sequitur, ut infecta fiant, quæ facta sunt, & amittat res fidem, quæ ,, generibus virtutum tantis, & potestatum indubitabilis esse monstrata est ,, .

Ceterum si aliquas saltem congruentes hujus rei rationes exoptent, has eisdem ex S. Thoma 1. 2. qu. 106. art. 3. afferimus: ,, Dicendum (inquit ,, S. Doctor) quod triplex ratio potest assignari, quare Lex Nova non de- ,, buit dari a principio mundi. Quarum prima est, quia Lex Nova, sicut di- ,, ctum est, principaliter est gratia Spiritus Sancti, quæ abundanter dari non ,, debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, con- ,, summata redemptione per Christum. Unde dicitur *Joan.* 7. v. 39. *Nondum* ,, *erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Et hanc rationem ,, manifeste assignat Apostolus *Roman.* 7. v. 3., ubi postquam præmiserat de ,, lege Spiritus vitæ, subjungit: *Deus filium suum mittens in similitudinem* ,, *carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis* ,, *impleretur in nobis*. Secunda ratio potest assignari ex perfectione Legis No- ,, væ. Non enim aliquid ad perfectum adducitur statim in principio, sed quo- ,, dam temporali successionis ordine, sicut aliquis prius fuit puer, & postmo- ,, dum vir. Et hanc rationem assignat Apostolus *ad Galat.* 3. v. 24. *Lex pæ-* ,, *dagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur*; *at ubi venit fides*, ,, *jam non sumus sub pædagogo*. Tertia ratio sumitur ex hoc, quod Lex No- ,, va est lex gratiæ. Et primo oportuit, quod homo relinqueretur sibi in ,, statu Veteris Legis, ut in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens, ,, recognosceret, se gratia indigere. Et hanc rationem assignat Apostolus *Ro-* ,, *man.* 5. v. 20. dicens: *Lex subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem* ,, *abundavit delictum, superabundavit & gratia*.

AR-

(a) Consulatur Stackouseus *Le sens Litteral de L' Ecriture Sainte* ch. 24.

ARTICULUS II.

Num Divinitas Revelationis, quæ in novo Testamento continetur, sit confirmata miraculis.

Alterum modo, quod a miraculis ducitur argumentum Divinæ Revelationis, expendere aggredimur. Quum enim Dei tantum virtute miracula fieri posse jam ostenderimus [a]; consequens inde est, ut ea doctrina Divina sit, in cujus confirmationem miracula patrata fuerint.

Woolstonus in lib. a se edito an. 1727., cujus inscriptio hæc est: *Discursus de miraculis Salvatoris nostri in ratione ad præsentem controversiam &c.* tria ponit, quorum unum magis altero impium est, atque detestabilius. 1. ergo contendit, miracula, quibus Christum morbos omnis generis sanasse scriptum est, Divinitatis Christi firmum argumentum non esse, licet sensu litterali accipiantur: 2. sensum litteralem quorumdam miraculorum, quæ Evangelistæ narrant, contradictionem involvere, & hac de caussa aut nullo modo, aut saltem non ea ratione, qua creduntur, illa patrata fuisse, sed esse narrationes *Allegoricas, Symbolicas, atque Propheticas*: 3. tandem Jesum ad miracula provocantem non ad ea respicere, quæ in carne gessit, sed ad mystica quædam, quæ in spiritu facturus sit. (b)

Woolstoni vestigia sequutus est Auctor *Cogitationum Philosophicarum*, saltem maxima ex parte. Nam Religionem ratione, non miraculis §. 50. firmandam esse contendit: hoc autem ut suadeat §. 51. nonnulla refert, quæ licet miracula esse videantur, tamen non sunt, indeque veritatem non esse in sensibus §. 52. eo fine concludit, ut nihil certo probandum sit, quod sensibus appareat, adeoque etiam miracula nihil facienda esse.

Sicuti autem sæpe alias, ita hac quoque in re Juliani, Celsique impietatem Deistæ nostri temporis imitati sunt. Nam tum Julianus, uti apud S. Cyrillum lib. 6. contra eumdem, tum Celsus, uti apud Origenem lib. 2. num. 50., & lib. 6. num. 11. contra ipsum Celsum, legere est, Christi miracula contempserunt.

Primo ergo de Christi miraculis sermonem instituemus, iisdemque Christum suam tum Divinitatem, tum Divinam missionem comprobasse, & recte quidem comprobasse demonstrabimus; deinde vero disputabimus de miraculis, quæ in confirmationem Evangelicæ veritatis Apostoli patrarunt.

Hunc ergo art. majoris claritatis gratia in plures paragraphos dividemus: in 1. sermo erit de veritate miraculorum Christi: in 2. aliqua miracula Christi a Woolstoni calumniis peculiariter vindicabimus: in 3. demonstrabimus Christum suam Divinitatem miraculis, & quidem recte, confirmasse: in 4. de iis præ-

(a) *Theol. Revel.* lib. 1. qu. 2. ar. 2.

(b) Consulenda *Acta Erud. Lipsien.* tom. 9. *Supplem.* sect. 11., nec non Historica Dissert. *de VVoolstoni Scriptis* edita a Le Moine, in qua leguntur, quæ in VVoolstoni caussa contigerunt, atque omnia opuscula recensentur, quæ VVoolstonus scripsit contra miracula Christi, atque etiam *Supplementum Historiæ Litium Thomæ VVoolstoni* quod Joecherus Lipsiæ Historiarum Professor apposuit suæ secundæ Dissert. quæ inscripta est: *Thomæ VVoolstoni de Miraculis Christi Paralogismorum Examen.* In hoc enim *Supplemento* tum quæ acta, tum quæ scripta sunt in caussa VVoolstoni cum summa diligentia recensentur.

præcipue miraculis differemus, quæ Christi tantum propria esse potuerunt: in 5. tandem de miraculis, quæ Apostoli patrarunt in confirmationem Evangelicæ veritatis.

§. I.

DE VERITATE MIRACULORUM CHRISTI.

PROPOSITIO. Christus vera, & realia miracula fecit.

I. Prob. prop. Miraculum est effectus, qui præter usitatas, & mechanicas naturæ leges contingit, & est supra vires omnium caussarum naturalium vel quoad substantiam sui, vel quoad subjectum, in quo producitur, vel quoad modum, quo causatur (a): sed multa talia opera Christus revera fecit: ergo. Prob. mi. & quidem primum ex signo, a quo Christus duxit initium ceterorum. Quum enim in Cana Galilææ una cum matre sua, atque discipulis accumberet nuptiis, aquam in vinum convertit, hujusque rei testes fuerunt, quotquot convivio aderant [b]: a Centurione rogatus paralyticum, & se male habentem puerum ejus, sanitati perfectæ restituit (c): socrum etiam Simonis in lecto jam decumbentem, atque febricitantem ita sanavit, ut statim ministrare posset (d): multos a dæmonio vexatos liberavit, & ab iisdem dæmonia ejecit, & longe plures se male habentes solo verbo curavit (e): a paralytico in lecto jacente imperio suæ vocis infirmitatem depulit, atque videntibus turbis jussit, ut, sublato lecto, in quo jacebat, domum pergeret [f]; unde & turbæ *timuerunt*, & *glorificaverunt Deum*: eadem ratione fecit, ut sanus loqueretur, atque videret, qui a dæmonio male vexabatur, & loquendi videndique facultate destitutus erat, turbæque similiter inde stupuerunt [g]. Quid? Quam multi sanitatem adepti fuere, quia vestimenti illius fimbriam tetigerunt (h)? nonne Chananæa muliere rogante, Christus filiam ejus statim sanavit (i)? nonne juxta mare Galilææ mutos, cæcos, claudos, debiles, aliosque multos variis infirmitatibus detentos ab omni languore curavit, *Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Israel* (k)? nonne *quatuor millia hominum extra parvulos, & mulieres* exsaturavit quinque panibus paucisque piscibus, & tam multa fragmenta superfuerunt, ut *septem sportas plenas* inde auferrent (l)? nonne, inspicientibus Pharisæis, hominis manus, quam aridam habebat, ut extenderetur, effecit (m)? nonne tactu vestium a profluvio sanguinis mulierem sanavit, quæ coram omnibus miraculum confessa fuit; filiamque ejus mortuam resuscitavit (n)? nonne demum, ut multa alia omittam, Lazarum quatriduanum, atque jam fœtentem, multis inspicientibus, a mortuis redivivum reddidit, & „ Multi ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Jesus, crediderunt in eum: quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, „ & di-

(a) *Theol. Revel.* lib. 1. qu. 2. ar. 2.
(b) *Joann.* 2.
(c) *Matt.* 8. v. 13.
(d) *Matt.* 8. v. 15.
(e) *Matt.* eodem cap. v. 16.
(f) *Matt* 9. v. 7.
(g) *Matt.* 12. v. 22. & 23.
(h) *Matt.* 14. v. 36.
(i) *Matt.* 15. v. 28.
(k) *Matt.* eodem cap. v. 31.
(l) *Matt.* eodem ca. v. 36. & seq.
(m) *Marci* 3. v. 5.
(n) *Marci* 5.

„ & dixerunt eis, quæ fecit Jesus: & collegerunt Pontifices, & Pharisæi „ concilium, & dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit „? (a)

Hisce autem constitutis, quo nulla in parte aliquis cavillationi locus superesse possit, tria probanda suscipimus: 1. hæc omnia, quæ Christus fecit, vel quoad substantiam, vel quoad subjectum, in quo patrata, vel quoad modum, quo facta fuerunt, supra naturæ vires fuisse: 2. vere, physice, & realiter contigisse: 3. nullam sensuum deceptionem in his accidere potuisse.

Quoad sui substantiam ergo, sive *quoad substantiam facti*, ut ait S. Thomas (b), naturæ vires excedit, ut quinque panibus, paucisque piscibus plusquam quatuor millia hominum exsaturentur, indeque multum supersit, unde alii quoque exsaturari possint; sed hoc Christus fecit; ergo id Christus fecit, quod est supra naturæ vires quoad sui substantiam.

Quamvis natura vitam, gradiendi, videndi, audiendique facultatem causare possit, in mortuo tamen vitam, in claudo autem gradiendi, in cœco videndi, in surdo audiendi facultatem nemo est, qui ad suæ vocis nutum, & prout voluerit, causare possit; sed Christus imperio suæ vocis vitam mortuis, claudis gressum, visum cœcis, atque surdis auditum restituit: ergo multa Christus fecit, quæ quoad subjectum, in quo patrata sunt, naturæ vires excedunt, seu sunt supra virtutem naturæ, atque hominum.

Demum febres expelli, morbi curari, plures infirmitates depelli quamvis per naturæ vires possint; tamen neque statim hæc omnia fiunt, neque ita subito, & omnino perfecte, ut pristini incommodi nullum vestigium restet, multoque minus, quando & quomodo quispiam voluerit; sed Christus solo imperio suæ vocis, & quando voluit, infirmitates cujusvis generis momento temporis ab hominibus ita depulit, ut earum vestigium nullum remanserit: ergo multa Christus fecit, quæ quoad modum, quo illa patrata sunt, naturæ vires omnino excedunt (c).

Et re quidem vera ut imperio unius, vel alterius, eique ad nutum statim quovis tempore, occasione, aut ratione, ipsa natura pareat, supra vires ejusdem naturæ positum est: quæ enim naturæ viribus contingunt, nonnisi certo ordine, modo, atque tempore contingere possunt; sed Christo præcipienti quovis tempore, occasione, loco, atque ratione, ipsa natura statim paruit: ergo quæ Christus fecit, supra naturæ vires sunt posita.

De sensibus autem Sacrarum Scripturarum cum Woolstono disputare modo non aggredimur, neque demonstrare, num plures in eodem Sacræ Scripturæ testimonio inesse possint, sed illud tantummodo contendimus (hoc enim est, quod ad rem nostram præcipue facit) ea omnia, quæ Christum miraculose gessisse diximus, etiam litterali sensu accipi debere, proindeque revera gesta esse, prout referuntur. Nam qui claudus antea erat, ambulare; qui cœcus, videre; qui surdus audire; qui infirmus, bene se habere; qui mortuus, revivi-

scere

(a) *Joan.* 11. v. 45. & seq.

(b) 1. par q. 105. ar. 8.

(c) „ Scaturivit hic Christus, qui & „ in vestra apparuit, ac homines ab ipso „ ortu, & secundum carnem cæcos (inquit „ S. Justinus in *Dialogo cum Tryphone* num. „ 69.), & surdos, & claudos sanavit, verbo „ suo efficiens ut alius quidem exiliret, „ alius audiret, alius videret. Quin etiam „ mortuos exsuscitans, & vitæ restituens, „ etiam ex operibus homines illius ætatis excitabat, „ ut eum agnoscerent „.

scere, haneque mutationem in se ipso experiri non potest, neque item possibile est, ut alii experiantur, nisi revera ambulet, videat, audiat, bene se habeat, atque in hoc mundo vivat; sed tum ii, in quibus miracula facta fuerunt, gradiendi, vivendi, audiendi facultatem, sanitatem item, atque vitam sibi restitutam esse, longo experimento probarunt, tum alii multi de hisce omnibus, & ii quoque, qui Christo adversabantur, nullamque calumniandi occasionem non quærebant, convicti fuere: ergo vere, physice, atque realiter hæc omnia contigisse oportuit. Quapropter Arnobii verbis, quibus ipse Ethnicos sui temporis redarguebat, etiam hujus ætatis impios homines nos compellare possumus [a]: „ Sed non creditis gesta hæc. Sed qui ea conspicati sunt „ fieri, & sub oculis suis viderunt agi, testes optimi certissimique auctores „ & crediderunt ipsi, & credenda posteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam isti sint, fortasse quæritis? gentes, populi, nationes, & incredulum illud genus humanum: quod nisi aperta res esset, & „ luce ipsa (quemadmodum dicitur) clarior, nunquam rebus hujusmodi credulitatis suæ commodarent assensum. At nunquid dicemus illius temporis „ homines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut quæ nunquam viderant, vidisse se fingerent? & quæ facta omnino non erant, falsis proderent testimoniis, ut puerili assertione firmarent? quumque possent vobiscum & unanimiter vivere, & inoffensas ducere conjunctiones, „ gratuita susciperent odia, & execrabili haberentur in nomine? Quod si falsa, ut dicitis, historia illa rerum est, unde tam brevi tempore totus mundus ista Religione completus est? aut in unam coire qui potuerunt mentem gentes regionibus disjunctæ, ventis, cœlo, convexionibusque dimotæ? „ Asseverationibus illectæ sunt nudis, inductæ in spes cassas, & in pericula „ capitis immittere sese sponte temeraria desperatione voluerunt: quum nihil „ tale vidissent, quod eas in hos cultus novitatis suæ possit excitare miraculo. Immo quia hæc omnia & ab ipso cernebant geri, & ab ejus præconibus, qui per orbem totum missi beneficia patris, & munera Diis hominibusque portabant: veritatis ipsius vi victæ & dederunt se Deo, nec in „ magnis posuere dispendiis membra vobis projicere, & viscera sua lanianda „ præbere. Sed conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt, extulere „ in immensum exigua gesta, & angustas res satis ambitioso dilatavere præconio. Atque utinam cuncta referri in scripta potuissent, vel quæ ab ipso „ gesta sunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure, & potentia terminata. „ Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum, aut apprehendere locum „ fortasse possetis [quod videretur esse simillimum veri] & incrementa rebus „ apposita, & inditas scriptis, & commentariis falsitates ... Argumenta vos „ nobis (ita prosequitur Arnobius in lib. v. *contra Gentes*) & suspicionum argutias proferetis, quibus ipse si Christus [cum pace hoc ejus, & cum venia dixerim] populorum in conventibus uteretur; quis acquiesceret, quis „ audiret, quis eum promitteret aperte aliquid judicare? aut quis cassa, & „ nuda jactantem (quamvis esset imprudens, & facilitatis stolidæ) sequeretur? „ Virtutes sub oculis positæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipso fiebant palam, vel ab ejus præconibus celebrantur, in orbe toto, eas subdidit „ appetitionum flammas, & ad unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes, & populos fecit, & moribus dissimillimas nationes „.

Ex

Ex hisce autem omnibus illud quoque constat, quod tertio loco probandum proposuimus, hoc est in miraculis Christi deceptionem sensuum accidere non potuisse. Etenim ut qui mortuus est, propter illusionem sensuum vivat, cum aliis loquatur, conversetur, omniaque vitæ munera peragat; ambulet, qui membris contractus est; videat, audiat, atque loquatur, qui videndi, audiendi, & loquendi facultatem non habet; bene se habeat, qui aliqua infirmitate detinetur; pane, quem non comederunt, nonnulli sese exsaturatos esse sentiant, vel ex ea quantitate panis, quæ nunquam extitit, plurimum supersit, fieri omnino non potest: simili ratione possibile non est, ut per illusionem sensuum eos, qui mortui sunt, secum familiariter agentes, omniaque obeuntes, quæ ad præsentem vitam spectant, alii sentiant, atque longo experimento cognoscant; ut illos videre, audire, loqui, & bene sese habere ut ita dicam, manu tangant, qui neque videre, neque audire, neque loqui possunt, neque bene se habent; atqui Christus effecit, ut qui mortui erant, viverent; ambularent, viderent, audirent, & loquerentur, qui ambulandi, videndi, audiendi, & loquendi facultate carebant; valerent, qui infirmitate detinebantur; sese exsaturatos plures revera sentirent ea quantitate panis, quæ ad depellendam famem paucorum vix sufficiens erat; horumque omnium alii sane multi testes oculati fuerunt, & rei veritatem ipso facto, atque experientia comprobatam, quamvis invidiæ æstu acti, vel nolentes confessi sunt: ergo in miraculis Christi nulla deceptio sensuum contingere potuit. Quid? anne si aliqua vel levis suspicio hujusmodi deceptionis occurrisset, Pharisæi, qui tanto odio erga Christum ferebantur, eam exprobrare omisissent potiusquam in virtute Beelzebub principis dæmoniorum eum miracula facere calumniarentur? Nimis profecto manifesta res erat: unde eis alio sese ad calumniandum convertere necesse fuit. Quis ergo Deistarum nostri temporis stoliditatem summa cum impietate conjunctam non videat?

Et re quidem vera quæ Christus miracula fecit, non illusiones sensuum, sed physica, atque realia fuisse probavit eventus. „ Nunc vero (ita Origenes contra Celsum lib. 1. num. 68.) nullus præstigiator per ea, quæ „ facit, spectatores ad morum emendationem excitat, aut Dei timorem docet, qui spectaculis stupent, aut studet persuadere, ut vivant, quasi Deo rationem reddituri. Nihil horum præstigiatores faciunt, quia non possunt, aut „ non consilium habent, aut nolunt corrigendis hominibus operam dare, quippe qui ipsi turpissimis infamissimisque vitiis referti sunt. Hic vero, qui miraculis suis spectatores eorum, quæ bene faciebat, ad morum correctionem „ adducebat, quomodo erit existimandus se præbuisse non solum illis, qui „ proprie discipuli ejus vocati sunt, sed etiam reliquis omnibus exemplum „ optimæ vitæ. Discipulis quidem, ut excitarentur ad homines docendos, „ quæ sit voluntas Dei; reliquis vero hominibus, ut ejus verbis, & moribus potius, quam miraculis edocti, quomodo vivere oporteat, & spectarent, ut quæcumque facerent, Deo placerent omnia „; Et lib. 2. nu. 51. „ Neque enim, *inquit*, malis artibus magicisque præstigiis constituta fuisset „ gens tota, quæ, despectis non solum simulacris, falsisque numinibus, quæ „ reliqui homines colebant, sed etiam rebus omnibus creatis, ad Deum rerum „ omnium principium principio carentem ipsum assurgit „. Verum etiam S. Augustinum contra hujusmodi impios homines lib. 22. *de Civitate Dei* cap. 8.

cap. 8. differentem audiamus: „ Cur, inquiunt, nunc illa miracula, quæ prædicat is facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere, necessaria fuisse priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui, mundo credente, non credit. Verum hoc ideo dicunt, ut nec tunc illa miracula facta fuisse credantur. Unde ergo tanta fide Christus usquequaque cantatur in cœlum cum carne sublatus? Unde temporibus eruditis, & omne, quod fieri non potest, respuentibus, sine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus? An forte credibilia fuisse, & ideo credita esse dicturi sunt? Cur ergo ipsi non credunt? Brevis est igitur nostra complexio: aut incredibilis rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant, & videbantur, fecerunt fidem; aut certe res ita credibilis, ut nullis, quibus persuaderetur miraculis, indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem. Hoc ad refellendos vanissimos dixerim „.

Quia in Christum Judæi non crediderunt, inferri inde posse Christum vera miracula non fecisse, Deistæ vulgo nugantur. Woolstonus autem, uti jam adnotavimus, ex alio capite Christi miracula oppugnat, hoc est ea omnia, quæ Christum in Evangelica historia operatum fuisse legimus, allegorico tantum sensu accipi debere, Sanctorum, ut putat, Patrum auctoritate contendit. Verum quam inepte, imperite, atque per malam fidem hoc conetur, postquam ea solverimus, quæ ceteri Deistæ vulgo afferre solent, diligenter expendemus.

Dices I. Si Christus vera miracula fecisset, uti Messiam Judæi illum suscepissent; sed non susceperunt: ergo Christus vera miracula non fecit. Prob. maj. Judæi secundum suas traditiones Messiam impatienter expectabant, eaque omnia, quæ, adveniente Messia, per sanctos Prophetas eventura esse noverant, nascente Christo, impleta viderunt: ergo si illud quoque accessit, ut Christus vera miracula fecerit, fieri non poterat, quin in eum crederent (a).

R. Vera miracula a Christo facta fuisse, satis evidenti argumento illud esse posse, quod etiam Judæi, quamvis infenso odio in Christum agerentur, hoc negare non ausi sunt: quum enim quidam ex Pharisæis retulissent, Lazarum jam quatriduanum virtute Christi a mortuis resurexisse: (b) „ Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem „. Hinc quum omnes turbæ stuperent, quando Christus dæmoniacum cœcum atque mutum sanavit: (c) *Pharisæi audientes dixerunt: hic non ejicit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum*, Christumque calumniati sunt, quod hominem sanum die sabbathi fecisset [d]. Profecto si vel nulla, vel falsa miracula a Christo facta fuisse putassent, non erat, cur timerent, quia suus semper veriti locus esse debet, & mendacium in re tam aperta facile detegi poterat, aut ad virtutem Beelzebub recurrerent, aut Christum accusarent, quia die sabbati miracula fecerat. Non

(a) Hæc, quæ ab obstinatione Judæorum argumentatio petitur, ea est, quam Deistæ contra miracula Christi vulgo opponunt, & neque etiam VVoostonus illam omisit, ut constat ex *Examine Paralogismorum VVolstoni de Miraculis Christi* continuato a Christiano Gottl. Jocchero Professore Historiarum Lipsiæ Dissert. 2.

(b) *Joa.* 11. v. 47. & seq.

(c) *Matt.* 12. v. 24.

(d) *Joan.* 5. v. 16.

Non solum autem Pharisæi rei veritate convicti Christi miracula negare non sunt ausi, sed etiam propter ea multi Judæorum in ipsum Christum crediderunt. Nonne quando paralyticus fuit a Christo sanatus: (a) ,, Videntes turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus ,, ? Nonne quando Christus transfretavit, & venit in terram Genesar: [b] ,, Quum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes: & rogabant eum, vel fimbriam vestimenti ejus tangerent ,, ? nonne quum Jesus venisset juxta mare Galilææ, atque in montem ascendisset: (c) ,, Accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum cæcos, mutos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos: ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel ,, ? Nonne Christo Jerusalem ingrediente: [d] ,, Multi vestimenta sua straverunt in via; alii autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via: & qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna: benedictus, qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis ,, ? Nonne quando Christus Lazarum resuscitavit: (e) ,, Multi ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Jesus, crediderunt in eum ,, ? immo nonne, ne singula persequar, (f) ,, Et ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei ,, ? Quid tandem? quam multi Judæorum, suadentibus Apostolis, in Christum crediderunt, uti in *Actibus Apostolicis* legere est? nonne ex iisdem Ecclesia Christi primo constituta fuit? Quamvis ergo maxima pars Judæorum in Christum credere recusaverit; fuisse tamen quam plurimos, qui in eum crediderunt, negari non potest.

Cur ergo Judæorum maxima pars in Christum non crediderit, inquirendum modo superest. Expectasse Judæos ut in pristinum fortunæ statum per Messiam restituerentur, atque putasse regnum ejus non spirituale, sed temporale hujus mundi futurum esse, nullus sane ignorare potest (g). Quapropter quum Christus longe alia ratione, ac ipsi arbitrabantur, in hunc mundum venerit, ejusque agendi ratio omnino diversa ab illa fuerit, quam animo præconceptam habebant; mirandum non est, si uti Messiam sibi promissum recipere eum noluerunt, & contra evidentiam tot miraculorum, quæ conspexerant, vel audierant, obstinati in sua pertinacia permanserunt.

,, Sed utrum hi, qui quum audirent (inquit S. August. in Joan. cap. 15. Tract. 89. nu. 4.) contempserunt, vel etiam restiterunt, nec tantum contradicendo, sed & eos, a quibus audierunt, odiis persequendo, in eis deputandi sunt, de quibus aliquid levius videtur sonuisse quod dictum est, per legem judicabuntur, merito quæritur. Sed si aliud est perire sine Lege, & aliud judicari per Legem, & illud est gravius, hoc autem levius; procul dubio non sunt isti in hoc pœna leviori puniendi, quia neque in Lege peccaverunt, sed omnino Legem Christi accipere noluerunt, & eam, quantum ad ipsos attinet, omnino nullam esse voluerunt... Isti certe, ad quos venit;

I 2 &

(a) *Matt.* 9. v. 8.
(b) *Matt.* 14. v. 35. & 36.
(c) *Matt.* 15. v. 30. & 31.
(d) *Marci* 11. v. 8. & seq.
(e) *Joann.* 11. v. 45.
(f) *Joan.* 12. v. 42. & 43.
(g) Legatur S. August. liber *ad Honoratum*, seu epist. 140. nu. 15. alias epist. 120.

„ & quibus loquutus est Christus, non habent de magno infidelitatis peccato „ illam excusationem, quod possint dicere: non vidimus, non audivimus „.

Profectò nisi quo obstinata obcœcatio hominum pertingere potest, aliunde compertum haberemus, supra humanam fidem esset, Judæos evidentiæ, & propriæ conscientiæ testimonio ita restitisse, ut in incredulitate perstiterint, non solum quando multa a Christo miracula fieri audierunt, viderunt, certissimisque rationibus comprobarunt, sed etiam quando custodes, quos ad sepulcrum ejus apposuerant, (a) *Venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant*. Nam, tunc quoque facti obstinatiores: *Congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus*. Res hæc quoque est non solum Christianorum, sed etiam Judæorum confirmata testimonio, cui nemo sanæ mentis repugnare potest, quia sicut apud *Matth.* legitur: *At illi*, hoc est milites, *accepta pecunia, fecerunt, sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem*. Uti vero habet S. Thomas in *Matt.* 28. cap. *Et non solum usquequo fuit scriptum hoc, sed etiam usque nunc*. Quapropter ex eo quod neque etiam propter miracula ejus in Christum Judæi crediderint, omnium obstinatissimos eos fuisse evinci quidem potest; Christum autem vera miracula non fecisse, nullo modo potest.

Cont. Talia Christi ortum præcesserunt, atque subsequuta sunt, ut si cum veris miraculis simul unita fuissent, fieri non posset, quin ad credendum in ipsum Christum Judæos cogerent: ergo. Prob. ant. Antequam Christus nasceretur in terris, Elisabeth, licet sterilis, concipit, idque Zachariæ marito ejus Angelus in templo prænunciat, qui etiam futurum esse confirmat, ut multi gaudeant in pueri nativitate, quem pariet Elisabeth, quoniam magnus coram Domino erit, ipsumque in Spiritu, & virtute Eliæ præcedet (b). Quum deinde Maria, postquam conceperat, Elisabeth salutatum perrexisset, ea adveniente, (c) *Exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth*. Orto autem Christo, Angelus pastores, stella Magos ad eum adorandum evocat, fitque (d) *Cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Turbatur Herodes, quia Regem Judæorum natum esse intelligit a Magis, atque ab iisdem delusus, præcipit, ut a bimatu & infra occidantur pueri omnes, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus (e). Joseph, atque Maria una cum nato puero, monente Angelo, in Ægyptum fugiunt, indeque in terram Israel, postea que Nazarethum, eodem Angelo nuntiante, revertuntur (f). Natus puer dum secundum legem Moysis in templo offertur, Simeon in ulnas suas eum accipiens præ lætitia clamat: (g) *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum*. Tandem postquam Christus ad duodecimum annum suæ ætatis pervenit, dum sedens in templo in medio Doctorum eosdem audit, atque interrogat, stupent

(a) *Matt.* 28. v. 11. & seq.
(b) *Luce* 1. v. 11. & seq.
(c) Eodem cap. v. 41.
(d) *Luce* 2. v. 13.
(e) *Matt.* cap. 2.
(f) Eodem *Matt.* cap. v. 13. & seq.
(g) *Luce* 2. v. 29. & seq.

pent omnes *super prudentia*, *& responsis ejus* (a). Hæc vero omnia tanta esse, ut cum veris miraculis simul unita assensum Judæorum extorquere debuerint, nemo negaverit; sed non extorserunt: ergo ne admittamus, quod fieri non potest, inquiunt Deistæ, supra recensita miracula aut omnino negari, aut saltem in dubium revocari debent.

R., facti quidem veritatem ex eo aliquando pendere, quod deinde consequutum fuit; verum falsæ quoque ratiocinationis occasio inde sæpe sumitur, & necessario consequi debuisse censetur, quod etiam non consequi poterat. Hoc autem in iis præcipue contingit, quæ a libera voluntate hominum pendent. Nonnulla ergo sunt, quæ cum veritate facti infallibiliter conjuncta sunt; alia vero, quæ non infallibiliter, sed convenienter tantum cum facti veritate conjunguntur. Facti autem veritas corruit, si illa, non vero si ista desint: alioquin nihil omnino esset, quod in dubium revocari non posset. Unde hanc argumentationem simpliciter falsam esse constat: Christi ortum plura præcesserunt, atque subsequuta sunt, quæ simul unita cum miraculis Judæos ad credendum in ipsum Christum inducere debebant; sed non induxerunt: ergo saltem de veritate miraculorum dubitandi locus superest. Contra autem secundum logicæ regulas hæc argumentatio recta esset: talia in Christi ortu contigerunt, ut cum miraculis simul unita fidem ab unoquoque in ipsum Christum extorquere debuerint, nisi cum summa pertinacia in sua obstinatione persisteret; sed a Judæis fidem in Christum non extorserunt: ergo Judæos cum summa pertinacia in sua obstinatione perstitisse dicendum est. [b]

Verum id quoque observetur oportet, quæ Elisabeth, Zachariæ, atque Joanni ante Christi ortum contigerunt, neque in vulgus sparsa, neque ab omnibus cognosci facile potuisse. Pastores autem, qui Christum natum venerati sunt, iique omnes qui Christi ortum a pastoribus didicerunt, vel rem tantam in vulgus spargere solliciti fortasse non fuerunt, vel, si fuissent, non eam, quæ debebatur, propter suam simplicitatem fidem apud alios obtinuissent. Testimonium a Simeone ipsi Christo redditum, quando præsentatus in templo fuit, & ad paucorum aures pervenire, & propter falsam quam de suo liberatore opinionem Judæi præconceptam habebant, facile ab iisdem rejici potuit. Magorum adventum pluribus quidem hominibus notum fuisse fateor; tamen quum Herodes jusserit, ut occiderentur omnes pueri, qui erant in Bethelehem, & in omnibus finibus ejus, illum quoque puerum, quem Magi adoratum venerant, occisum fuisse, putare unusquisque poterat. Tandem doctrinam, & prudentiam Christi in templo disputantis mirati sunt plures; at quum vel ignorarent, quæ in ejus nativitate contigerant, vel nescirent, num idem cum eo esset, quem Magi salutatum venerant, ideo mirum non est, si tunc Judæi ad Christi Divinitatem non adverterint.

At

(a) Eodem cap. v. 47.

(b) „ Verumtamen homines infideles) „ inquit S. Augustinus lib. 21. *de Civit. Dei* „ cap. 5 nu. 1.) qui quum vel præterita, vel „ futura miracula prædicamus, quæ illis „ experienda non valemus ostendere, ratio„ nem a nobis earum flagitant rerum, quam „ quoniam non possumus reddere (excedunt „ enim vires dignitatis humanæ) existimant „ falsa esse quæ dicimus; ipsi de tot mira„ bilibus rebus, quas vel videre possumus, „ vel videmus, debent reddere rationem. „ Quod si fieri ab homine non posse perviderint, fatendum est eis, non ideo aliquid „ non fuisse, vel futurum non esse, quia ratio „ inde non potest reddi; quando quidem sunt „ ista, de quibus similiter non potest „.

At vero esto: hæc omnia sane Judæi noverint: Messiam tamen gloriosum, atque triumphatorem quum expectarent, qui eos ab aliena dominatione eriperet, propter hanc falsam opinionem avertebantur, ne in Christo suum Messiam venerarentur, atque ita factum fuit, ut quamvis evidentia, atque manifesta illius miracula noverint, in suo tamen errore semper obstinati persliterint. Quid? nonne metus, ne in Sacerdotum, Judaicorumque magistratuum indignationem incurrerent, plures a Christo avertebat? nonne propter falsam persuasionem, qua imbuti erant, Christum virtute dæmoniorum tanta fuisse operatum, multi a doctrina illius revocari facile poterant? nonne tum negligentia instituendi examinis accuratioris, tum vana superstitio, ob quam de mutandis rebus sacris ne cogitandum quidem esse putabant, in caussa fuerunt, cur multi Judæi fidem Evangelicam non susceperint? nonne tandem Sacerdotum, & Pharisæorum non interrupti conatus, quibus Christum suis civibus odiosum reddere, ejusque opera artibus magicis tribuere satagebant, in hanc falsam persuasionem multos inducere poterant?

Verum quomodo factum fuerit, ut Judæi Christum non agnoverint, licet adventus illius apud eosdem prædictus esset, etiam Celsus mirabatur: ita enim Judæus apud Celsum habet, uti tradit Origenes lib. 2. *contra Celsum* num. 8. ,, At quomodo nos, per quos omnibus hominibus nunciatum est, venturum a Deo, qui de improbis supplicium sumeret, cum ignominia affecimus, postquam venit ,, ? Ita vero respondet Origenes: ,, Iam ineptæ ,, interrogationi respondere videtur esse ineptum. Perinde est enim, ac si quis ,, diceret; nos qui temperantiam docuimus, quomodo in hanc virtutem peccassemus? Nos qui justitiæ partes tuemur, quomodo injuste egissemus? Ut ,, enim apud homines ista inveniuntur, sic humanum erat Christo, postquam ,, juxta Prophetias venit, fidem non habere, qui Prophetis Christum venturum prænunciantibus credere se profitebantur. Quod si addenda est etiam ,, alia caussa; dicemus hoc ipsum a Prophetis fuisse prædictum. Clare enim ,, Isaias dicit: (a) *Auribus audietis, & non intelligetis; oculis aspicietis, nec* ,, *tamen intuemini. Incrassatum est enim cor populi hujus*. Dicant nobis, quid ,, illud sit, quod licet audituri, & aspecturi erant Judæi, prædictum tamen ,, fuit fore, ut nec intelligerent, nec aspicerent, quomodo aspici oportuit. ,, Perspicuum est, ipsos Jesum videntes nesciisse, quis esset; nec illum audientes, ex ejus dictis intellexisse, quæ in eo erat, Divinitatem, quæ peculiarem Dei erga Judæos curam, & vigilantiam in eos transferebat, qui ,, e Gentibus in ipsum crederent. Quamobrem videre est Judæos, ex quo ,, Jesus advenit, omnino derelictos, nec quidquam jam habere eorum, quæ ,, olim illius digna veneratione videbantur, nullum signum, nullam eis adesse Divinitatem. Non enim amplius eis sunt Prophetæ, non miracula: quum ,, contra apud Christianos etiamnum miraculorum aliquantum supersint vestigia, immo majora, quam apud illos fuere, aliquando fiant ,, . Origenis ergo responsioni Deistæ acquiescere poterant, neque erat, cur Celsi objectionem iterum in medium proferrent.

Dices II. Quæ Christum miraculose operatum fuisse legimus, non litterali, sed allegorico sensu accipi debere, unanimis Sanctorum Patrum consensio est: ergo Christus nulla vera, atque realia miracula fecit. Ant. Woolstonus

(b) *Isaiæ 6. v. 9.*

stonus probare contendit Sanctorum Patrum dictis quibusdam partim detruncate, mutileque adductis, partim in alienum sensum detortis; probare, inquam, contendit quasi testimonio S. Eucherii, qui historiam litteralem tam Veteris, quam Novi Testamenti allegorico sensu accipiendam esse tradiderit, tum Origenis affirmantis miracula Christi symbola quædam fuisse eorum, quæ ejus virtute perficiuntur; tum Hilarii dicentis Christi gesta aliquid aliud portendere, atque in iis sensum interiorem latere; tum Irenæi asserentis, Christum nihil grande præstiturum fuisse iis, quos curavit, si corporalem utilitatem tantum attulisset, tum Augustini, qui tradit, si Christum humano captu, & ingenio facientem consideremus, eum & quoad potestatem non magnum aliquid fecisse, & quoad benignitatem parum fecisse; itemque quæ a Jesu facta fuere, aliquid significare, & omne, quod fecit Jesus, sacramenta esse. Ex hisce autem omnibus illud se confecisse putat, quæ Christum miraculose gessisse legimus, non litterali, sed metaphorico sensu accipi debere. [a]

Verum nihil est, quod impudentius confingi possit. Nam quamvis Sancti Ecclesiæ Patres iis, quæ a Christo miraculose gesta fuisse legimus, aliud quoque significatum velint; tamen eorum nemo unus est, qui vera, realia, atque physica miracula a Christo patrata fuisse neget. S. Eucherius quo in loco id habeat, unde saltem apparenter colligi possit, eum putasse historiam litteralem tum Veteris, tum Novi Testamenti allegorico sensu accipi debere, nunquam assequi potui, quamvis illius opera pervolverim. Contra autem miraculorum Christi veritatem sæpius eum testatum esse tam certum est, quam quod maxime. *De Quæstion. Novi Testamenti in Evangelium Matthæi* de corpore illius columbæ, quæ super Christum descendit, ita quærit. „ Interro-„ gat: Qualiter accipiendum est de columbæ illius corpore, in qua ad Salva-„ torem Spiritus Sancti patuit manifesta descensio: utrum ante jam fuerit, an „ ad tempus factum subito apparuerit. Resp. utique ad tempus ostensum. „ Nam ut signum visibile Spiritus Sancti, qui erat invisibilis, monstraretur, „ verum quidem corpus columbæ illius per Divinam potentiam, sed in tem-„ pore factum, ad horam apparuisse, & deinceps destitisse, credendum est „. Columbam ergo supra Christum per miraculum revera apparuisse, non dubitat S. Eucherius.

Quo autem ore Woolstonus etiam Origenem pro se laudare potest, quum ut Christi miraculorum veritatem defenderet, tam multa contra Celsum acute subtiliterque scripserit? Quamvis ergo miracula Christi fuisse symbola eorum, quæ ipsius Christi virtute perficiuntur, alicubi dixerit; tamen eorumdem realem in seipsis veritatem nunquam negavit, sed pro aris, atque focis semper defendit.

S. Irenæum *contra Hæreses* lib. 5. cap. 12. num. 6. verum est, de Christi miraculis hæc habere: *Si temporalis erat ab eo utilitas, nihil grande præstitit his, qui ab eo curati sunt*. At pro sua falsa opinione nihil inde Woolstonus colligere potest: nam vera miracula a Christo patrata fuisse num. 5. hisce verbis testatur: „ Quemadmodum cœci, quos curavit Dominus, cœcita-„ tem quidem amiserunt, perfectam autem receperunt substantiam oculorum, „ & iis-

(a) Hæc ex tom. 9. *Supplem act. Erud. Lipsien.* sect. 11. delumpsimus. Consulatur etiam Historica Dissertatio *de Scriptis Woolstoni* edita a Le Moine, atque Ioecheri tres Dissertationes inscriptæ *Examen Paralogismorum Thomæ Woolstonii de Miraculis Christi*

„ & iisdem ipsis, quibus antea non videbant, oculis, recipiebant visionem, „ caligine a visione tantum exterminata, servata autem substantia oculorum, „ ut per quos non viderant oculos, per eos rursus videntes, gratias agerent „ ei, qui rursus visum eis redintegravit: & qui aridam curavit manum, & „ omnes omnino, quos curavit, non ea, quæ ab initio ex utero edita fue„ rant, membra mutaverunt, sed eadem ipsa salva recipiebant „. Salutem tamen tum corpori, tum animæ Christum attulisse contendit. Unde numerum 6. ita auspicatur: „ Fabricator enim universorum Dei Verbum, qui & ab ini„ tio psalmavit hominem, a malitia inveniens labefactatum suum plasma om„ ni modo curavit: hoc quidem & secundum unumquodque membrum, sicut „ & in suo plasmate est; hoc autem & in semel totum sanum, & integrum „ redintegravit hominem, perfectum eum sibi præparans ad resurrectionem. „ Et quam enim caussam habebat carnis membra curare, & restituere in pri„ stinum characterem, si non habebant salvari, quæ ab illo curata fuerant? „ Si enim temporalis erat &c. „

S. Hilarius *Comment. in Matt.* cap. 12. num. 6. Christi opera & veritates, esse dicit, & signa futurorum: „ Omnes enim, *inquit*, ut diximus, factorum „ veritates in ipsis illis gestorum effectibus sui similem, atque ex se intelli„ gendam futuræ veritatis imaginem consequuntur „. Quamvis ergo Christi operibus aliquid futurum significatum voluerit; tamen ab eo physice, & realiter peracta fuisse simul statuit. Hinc *Comment. in Matt.* cap. 11. de pluribus miraculis, quæ a Christo re vera patrata fuisse ponit, sermonem habet, atque eorum veritate semel posita, explicat, quid per ea significatum fuerit.

Verum est autem S. Augustinum tum serm. 77. *de verbis Evangel.* nu. 8. tum serm. 98. nu. 3. tradere, quæ Christus fecit, aliud significasse, ac in se præseferebant; ait enim in hoc sermone: *Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat: sed ut illa, quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus*: attamen hoc ipso loco tres mortuos a Christo revera resuscitatos fuisse decernit: initio namque num. 3. ita habet: „ Tres autem mortuos „ invenimus a Domino resuscitatos visibiliter, millia invisibiliter. Quot autem „ mortuos visibiliter suscitaverit, quis novit? non enim omnia, quæ fecit, scri„ pta sunt. Joannes hoc dicit: (a) *quæ si scripta essent, arbitror totum mun„ dum non posse libros capere*. Multi ergo sunt alii sine dubio suscitati: sed „ sed non frustra tres commemorati. Dominus enim noster Jesus Christus ea, „ quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi. Neque enim „ tantum miracula &c.

Sermone autem 77. nu. 8. filia Archisynagogi, quam Dominus a mortuis suscitavit, populum Judæorum figuratum dicit; muliere autem, quæ fluxum sanguinis patiebatur, Ecclesiam ex gentibus: antea tamen statuit, tum vitam puellæ, tum sanitatem mulieri revera a Christo restitutam (b). Unde de hoc ntro-

(a) *Jon.* cap. 21. v. ult.

(b) „ Filia Archisynagogi quædam (in„ quit S. Augus. *Serm.* 77. n. 6.) defuncta erat, „ pater ejus rogabat Dominum, ut iret ad „ eam: ægram reliquerat, & in periculo „ constitutam. Ibat Dominus ad visitandam, „ & sanandam ægram: interea mortua nun„ ciata est, & dictum est patri: puella mor„ tua est, noli jam vexare magistrum. Do„ minus autem, qui sciebat se posse mor„ tuos suscitare, non abstulit spem desperato, „ & ait patri: noli timere, tantum crede. „ Pergebat ad puellam: atque in itinere „ inter turbas quomodo potuit, coartavit se quæ-

utroque Christi opere ita habet: *Sed tamen & ipsa, quæ a Domino facta sunt, aliquid significantia erant, quasi verba, si dici potest, visibilia, & aliquid significantia*. Verum quisnam de Augustini mente hac in re dubitare potest, quando contra Infideles lib. 22. *de Civit. Dei* cap. 5. & 8. miraculorum veritatem propugnavit, & alibi sæpe Christi miracula vera fuisse, adtestatus fuit?

Cont. In historia Sacrarum Scripturarum aliquando ea quoque inserta esse, quæ vel non gesta sunt, vel geri non possunt, aut, si possunt, revera tamen non contigerunt, Origenes tradidit. Hilarius autem multa esse affirmat, quæ non sinunt, ut simplici sensu dicta Evangelica accipiamus. Evangelica vero Sacramenta signata in Christi factis non patere omnibus, & nonnullos minus diligenter ea interpretando afferre pro salute perniciem, Augustinus docet. Ex his autem rationem intelligentiæ cœlestis a nobis quærendam esse Woolstonus concludit, atque ob eamdem multa, quæ Christus revera non gessit, in illius vita inserta fuisse dicit.

R., hos Ecclesiæ Patres nihil minus voluisse, quam quod Woolstonus inepte contendit. Origenes *de Princip.* lib. 4. nu. 15. hæc habet: ,, Verum, ,, quoniam si legis utilitas, & variata oblectans historiæ series ubique sese pro- ,, deret, non utique credidissemus aliud quiddam præter id, quod obvium est ,, in Scripturis intelligi posse, iccirco Dei verbum in lege, ac historia poni ,, curavit offendicula, & impossibilia quædam, ne dictione nihil præter ille- ,, cebram habente deliniti, & nihil Deo dignum addiscentes, tandem a dog- ,, matis recedamus, aut nudæ litteræ penitus adhærentes, nihil divinius perci- ,, piamus ,,. Hæc quidem si per se solitarie sumpta accipiantur, Woolstono quidem favere videntur, verum si ad mentem Origenis attendamus, nullo modo favere posse conspiciemus. Id ergo Origenes in hoc libro demonstrandum sibi proposuit, Sacras Scripturas esse divinitus inspiratas. Id autem postquam evidenter evicit, ejusdem lib. nu. 8. qua ratione Sacræ litteræ legi, & intelligi debeant, se explicare velle profitetur, quia ,, Multi errores, & lapsus ,, ex eo contigerint, quod viam multi non invenerint, qua esset in sancta le- ,, ctione insistendum ,,. Hinc Judæos in Salvatorem nostrum non credidisse recte affirmat, quia ,, Sensibiliter non cernerent, ipsum prædicasse captivis remissio- ,, nem, neque ædificasse quam vere credunt esse civitatem Dei, neque ex- ,, terminasse currus Ephraim, & equum Jerusalem, neque butyrum, & mel ,, comedisse, neque priusquam nosset, aut eligeret mala, elegisse bonum; ra- ,, ti insuper esse prophetatum fore, ut lupus animal quadrupes cum agno pa- ,, sceretur, pardus cum hædo stabularetur; vitulus, taurus, & leo simul pasce- ,, rentur, & a puerulo ducerentur, bos, & ursus una pabulum sumerent, ,, eorum parvulis simul educatis; leo quoque ut bos palea vesceretur: nihil ,, horum in ejus, quem Christum credimus, adventu sensibiliter cernentes fa-

K ,, ctum

quædam mulier, quæ fluxum sanguinis patie- ,, batur, & diuturno illo languore in medi- ,, cos frustra omnia, quæ habebat, impen- ,, derat. Ubi fimbriam vestimenti ejus teti- ,, git, sana facta est. Et Dominus: quis me ,, tetigit? Admirantes discipuli, qui nescie- ,, bant quid esset factum, & videbant eum ,, a turbis comprimi, & de una quæ levi- ,, ter tetigerat, fuisse sollicitum, responde- ,, runt: turba te premit, & dicis: quis ,, me tetigit? Et ille: tetigit me aliquis. ,, Nam isti premunt, illa tetigit... ego e- ,, nim sensi de me virtutem exiisse. At ubi ,, vidit illa se non latuisse, provoluta est an- ,, te pedes ejus, & confessa est, quid esset ,, factum. Post hæc perrexit, pervenitque ,, quo tendebat, & puellam filiam Archi- ,, synagogi inventam mortuam suscitavit ,,.

„ ctum, Dominum nostrum Jesum nedum susceperint, eum tamquam sese
„ contra jus Christum prædicaret, cruci affixerunt „. Hereticos quoque inde erraſſe postea tradit, quia nonnulla Scripturæ testimonia sensibiliter acceperunt, atque ultimo concludit (concludit autem majori confidentia, quam par est) falsas de Deo opiniones inde profluxisse, quia *Scriptura non secundum spiritualem sensum intellecta, sed secundum litteralem accepta fuit*. Hisce positis, illud primo constituit, in Sacris litteris multa obscura contineri, quæ haud facile intelligi possunt: 2. in nonnullis Scripturis nihil inesse corporei, sed spiritum esse quærendum: 3. autem nu. 15. ita habet: *verum quoniam si legis utilitas &c.* Quapropter *offendicula, & impossibilia quædam* adinveniri in Sacris litteris eo sensu dixit, si quæ non possunt, aut debent, litterali sensu, vel sensibiliter accipiantur. Hujusmodi autem offendicula, seu impossibilia secundum hanc acceptionem plura in Sacris litteris tradita esse affirmat „. Ut
„ qui acutiores, & in rerum inquisitione acriores sunt, sese rerum Scripturarum
„ considerationi, atque investigationi dantes sibi maxime persuadeant, dignum
„ Deo in illis rebus sensum quæri oportere „. Verum anne quamvis Origenes pro mystico, & spirituali sensu Scripturarum pugnet, & alibi sæpe etiam pugnet plusquam par est, anne fortasse, quamvis in hoc quoque libro nimis plura figurate accipi velit, quæ de Christo Evangelistæ retulerunt, litteraliter accipienda esse negavit? „ Ne quis autem suspicetur (ita suam mentem nu. 19.
„ indubitanter exponit, postquam pro figurato sensu Scripturarum pugnavit)
„ nos hoc dicere, quia nullam historiam Scripturæ factam esse sentiamus, quo-
„ niam aliqua ex his non facta esse suspicamur . . . vel ea, quæ de Salvatore scri-
„ pta sunt, non putare etiam sensibiliter impleta . . . Respondendum ergo est,
„ quoniam a nobis evidenter decernitur, in quamplurimis servari & posse,
„ & oportere historiæ veritatem „. Nu. autem 19. rursus in se explicat: „ Ne
„ quis vero nos suspicetur in omnibus id dicere, nullam historiam contigisse,
„ quoniam aliqua non contigit; & nullam legem ad litteram esse servandam,
„ quoniam aliqua secundum litteram aut absurda, aut impossibilia præcipit; vel
„ quæ de Salvatore scripta sunt, secundum litteralem sensum non esse vera;
„ aut nullam ipsius legem, aut præceptum servari oportere, dicimus mani-
„ feste in quibusdam historiæ veritatem nobis apparere „. Pro suo ergo more Woolstonus auctoritate Origenis fraudolenter utitur; fraudolenter, inquam, dupliciter tum quod Origenis auctoritatem in eo argumenti genere, iisque ex libris objicit, quo in genere, quibusque in libris constat Origenem graviter erravisse (a), tum quod locum ejus diminute recitat, & in alienum sensum detorquet.

S. Hilarius *Comment. in Matt.* cap. 8. nu. 6. & seq. hæc habet: „ Opus istud
„ admiratio potius consequi, non metus debuit; sed manet etiamnum ordo
„ mysterii, ut veritati præsentium futurorum species adtexta sit dictorum, &
„ factorum „. Hoc autem loco agit S. Doctor de curatione Paralytici, quam realiter contigisse per hæc verba antea fatetur: „ Deus in homine manens cu-
„ rationem homini præstabat: & nulla ei agendi, aut loquendi erat difficultas,
„ cui subest totum posse, quod loquitur. Porro autem ut ipse in corpore po-
„ situs intelligi posset esse, qui & animis peccata dimitteret, & resurrectio-
„ nem corporibus præstaret, ait: *ut sciatis, quoniam filius hominis habet po-*
„ te-

(a) Consulendus Jos. August. Orsi *Della Storia Ecclesiastica* lib. 6. nu. 29. tom. 3.

„ *testatem dimittere peccata*, ait *Paralytico*: *surge*, *tolle lectum tuum* ... (a)
„ Primum remissionem tribuit peccatorum, dehinc virtutem resurrectionis ostendit, tum sublatione lecti infirmitatem, ac dolorem corporibus docuit absuturum; postremo reditum in domum propriam, iter in paradisum credentibus esse redhibendum, ex quo Adam parens universorum peccati labe dissolutus excesserat „.

Dum vero explicat S. Augustinus Christi colloquutionem cum muliere Samaritana, ejusque defatigationem, atque sitim hæc habet lib. de *Diversis Quæst.* quæstione 64. nu. 1. „ Evangelica sacramenta in Domini nostri Jesu Christi dictis factisque signata non omnibus patent, & ea nonnulli minus diligenter, minusque sobrie interpretando, afferunt plerumque pro salute perniciem, & pro cognitione veritatis errorem: inter quæ illud est sacramentum, quod scriptum est, Dominum hora diei sexta venisse ad puteum Jacob, fessumque ab itinere sedisse, & a muliere Samaritana potum petiisse, & cetera, quæ in eodem Scripturarum loco discutienda, & pertractanda dicuntur „. Deinde vero demonstrat, errori locum facile dari posse, si qua debent cautione, prout ab imperitis fieri solet, talia non accipiantur. Quam impie ergo, & inepte Wolstonus auctoritate Patrum abusus fuerit, nemo non videt.

Cont. Si quod Christus gessit, quando e templo mercatores ejecit, litterali sensu accipiatur, quid inordinatum, & nimis audax præseferre videtur, inquit Wolstonus (b), idque, ait, tradit etiam Origenes, & consentiunt Hilarius, qui hoc facto præfigurationem futurorum contineri dicit, Ambrosius, qui sensum litteralem rejicit, Hieronymus, qui eum absurdum vocat, Augustinus, qui a sensu litterali ideo recedit, quia non magnum peccatum putat, si mercatores ea in templo vendant, quæ in eodem templo offerebantur, Theophylactus, qui per allegoriam rem totam exponit. Allegoriæ autem sensus, pergit Wolstonus, ex mente Patrum talis est, ut in Ecclesia Dei ii consortium habere non possint, qui Spiritus Sancti gratiam nundinentur, & quærunt, quæ sua sunt. Hunc autem sensum personæ Christi convenientem esse dicit.

Alterum quoque miraculum, quod Christus fecit, quando dæmonibus ab homine obsesso ejectis permisit, ut sues invaderent, eosque deinde secum in mare præcipitarent, si sensu litterali accipiatur, multa, ait Wolstonus, absurda consequuntur. Quid enim, inquit, faciendum Exorcistæ esset, si in expulsione dæmonum ab obsessis corporibus eadem se ratione gereret? Hinc est, ut Origenes sensui litterali hujus historiæ nullam fidem habeat, Hilarius sensum ejus typicum, & parabolicum esse pronunciet, Augustinus per dæmones intelligat gentes, quæ multis dæmonibus serviebant, Ambrosius per obsessum accipiat humanum genus, quod usque ad adventum Domini furore dementi vexatum fuerit, per sues autem hæreticos. Unde si hæc revera contigissent (ita concludit impius Wolstonus) talia essent, propter quæ Christus in judicium merito traheretur.

R., nihil non recte, atque summa cum ratione gessisse Christum, quando mercatores e templo ejecit: „ Et ingreditur templum (inquit S. Hieronymus lib. 3. in 21. *Matt.* cap. v. 12., & 13.). & ejicit omnes, qui vendebant, „ &

(a) *Matt.* 9. v. 6.
(b) Hoc Christi miraculum ita Woolstonus primo impugnat. Consulatur historica Dissertatio edita a Le Moine.

„ & emebant in templo; mensasque nummulariorum subvertit, & cathedras „ vendentium columbas dissipavit, dixitque eis de Scripturis Sanctis testimo„nium proferens: quod domus Patris ejus, Orationis domus esse deberet, (a) „ non spelunca latronum, vel domus negotiationis: sicut in alio Evangelista „ scriptum est. (b)... Istiusmodi Dominus cernens in domo Patris negotia„tionem, seu latrocinium, ardore spiritus concitatus (juxta quod scriptum „ est in sexagesimo octavo psalmo: (c) *zelus domus tuæ comedit me*) fecit „ sibi flagellum de funiculis, & tantum hominum multitudinem ejecit de tem„plo dicens: *Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur: vos au„tem fecistis eam speluncam latronum*. Latro enim est, & templum Dei in „ latronum convertit specum, qui lucra de religione sectatur, cultusque ejus „ non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. Hoc juxta historiam: „ ceterum secundum mysticos intellectus, quotidie Jesus ingreditur templum „ Patris, & ejicit omnes tam Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, quam „ laicos, & universam turbam de Ecclesia sua, & unius criminis habet ven„dentes pariter, & ementes „.

Et re quidem vera quid inordinatum, atque audax in hac re fuisse, soli Woolstono videri potuit. Quid? Anne Christus Patris sui honorem vindicare, violatoresque templi a loco sancto repellere non poterat? anne aliquid in hoc facto sibi arrogavit, quod non ei conveniret? Quisnam tandem alius potiori jure id muneris suscipere poterat, ut honorem Dei Patris sartum tectumque servaret?

Origenes autem in *Matthæum* tom. 16. num. 20. explicans hæc verba: *Et intravit Jesus in templum &c.* ita habet: „ Ibi non minimam hanc in„ter portentosas Jesu virtutes fuisse argumenta probamus, quia quum pro „ fabri filio haberetur, ea tamen usus est confidentia, & auctoritate, in pu„blico cœtu e templo eos deturbans, de quibus scriptum est: qua potesta„te utens ipse nationis princeps, id non facile perfecisset, quod a Jesu factum „ est „. Nihil deinde Christum audacius gessisse demonstrat, postea rei totius explicationes metaphoricas affert. Facti ergo veritatem Origenes præsupponit, eamque Divinitatis Christi argumentum nimis manifestum fuisse contendit.

Etiam S. Hilarius *Comment.* in Matt. cap. 21. num. 4. litteralis facti veritatem primo agnoscit, deinde ad moralem explicationem recurrit: „ Tem„plum vero introiit, *inquit*, id est Ecclesiam traditæ a se prædicationis „ ingressu. A qua primum omnia Sacerdotalis ministerii vitia jure potestatis „ expellit: reddenda enim ab omnibus gratuita tradiderat, quæ gratuita fue„rant consequuti: quia neque emi aliquid per corruptelam Sacerdotis, aut „ vendi, libertas doni debebat admittere. Cathedras autem præcipue venden„tium columbas evertit. Quæ porro dignitas est in nundinis columbarum? „ aut quod privilegium in avium istarum commerciis reservatum est, ut ven„dentes eas honorem sibi arrogent cathedrarum? Sed in omni loco admone„mur altius verborum virtutes in istiusmodi significationibus contuendas „. Postquam ergo rei gestæ sensum litteralem admisit, quod de eversione cathedrarum dicitur, sensu morali potissimum accipiendum esse affirmat.

Verum est autem, S. Ambrosium in *Exposit. Evang. secundum Lucam* lib. 9. num. 19. hæc habere: *Cathedras autem vendentium columbas cur evert-erit*,

(a) Ierem. 7. (b) Ioan. 2. (c) v. 10.

terit, secundum litteram non intelligo. Attamen an ne propterea vera miracula a Christo facta fuisse, S. Ambrosius negavit? Legatur ejus *Expositio in Evang.* secundum Lucam lib. 3. num. 48.

Quæ hac de re S. Hieronymi sententia fuerit, non est, cur differamus: ex eo enim testimonio, quod supra protulimus, S. Doctorem sensisse, a Christo revera eos ejectos fuisse e templo, qui mercaturam exercebant, nimis manifestum est. Hoc enim postquam a Christo per summum jus peractum esse demonstravit, ita concludit: *hoc juxta historiam*. Ad mysticum vero sensum deinde deveniens per cathedras vendentium columbas eos significari dicit, *Qui vendunt gratiam Spiritus Sancti, & omnia faciunt, ut subjectos populos devorent*. Postremo ita habet: „ Juxta simplicem intelligentiam columbæ non erant „ in cathedris, sed in caveis, nisi forte columbarum institores sedebant in ca„ thedris. Quod penitus absurdum est, quia in cathedris magistrorum magis di„ gnitas indicatur, quæ ad nihilum redigitur, quum mixta fuerit lucris „. Sicuti ergo S. Hilarius, ita etiam S. Hieronymus hoc, quod de cathedris vendentium dictum est, ad mysticum sensum referendum esse voluit, quamvis uterque Christum e templo negotiatiores revera ejecisse non dubitaverit.

Augustinus autem *Tract.* 10. *in Joan.* num. 4. dum comparat peccatum eorum, qui in templo mercaturam agebant, cum ebriosis, qui in templo morarentur, illud non magnum peccatum fuisse affirmat; ceterum de historica veritate facti nullo modo dubitavit: „ Ecce, *inquit*, templum illud figura adhuc „ erat, & ejecit inde Dominus omnes, qui sua quærebant, qui ad nundinas „ venerant. Et quæ ibi vendebant illi? quæ opus habebant homines in sacri„ ficiis illius temporis.... Non ergo magnum peccatum si hoc vendebant in „ templo: & tamen ejecit inde illos. Quid si ibi ebriosos inveniret, quid „ faceret Dominus; si vendentes ea, quæ licita sunt, & contra justitiam non „ sunt (quæ enim honeste emuntur, non illicite venduntur) expulit tamen, „ & non est passus domum orationis fieri domum negotiationis? Si negotiatio„ nis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri „?

Tandem quæ aliorum Patrum, eadem & Theophylacti de veritate hujus historiæ opinio fuit: „ Tamquam dominus domus (inquit ipse in *Matt* 21. „ cap.) hoc est templi, ejicit vendentes: ostendens ea, quæ Patris sunt, „ & sua esse, interim etiam honestatis templi curam habens „; & in *Luca* cap. 11. „ Quod ejecerit vendentes, *ait*, etiam Joannes narrat: sed Joannes „ in principio Evangelii, hic sub finem. Verisimile igitur hoc secundo fa„ ctum, quo etiam Judæorum accusatio major esset: quandoquidem neque „ quum sæpe idem fecerit Dominus, sunt conversi „. Tandem in *Luca* 19. cap. „ Jesus, *inquit*, gloriose Jerusalem ingressus suæ auctoritatis indicium „ facit, repurgando domum patris sui a negotiatoribus: quamvis & in prin„ cipio prædicationis hoc fecerit, sicut Joannes dicit: & iterum nunc secun„ do facit „. Tantum ergo abest, ut Christum negotiatores e templo ejecisse Theophylactus noluerit, quin potius semel atque iterum hoc ab eo factum esse existimavit. Historica autem hujus rei veritate semel posita, ipse quoque, sicut alii Patres, ad mysticas explicationes recurrit.

Eam autem ex mente Patrum hujus historici facti expositionem allegoricam esse, ut per illud significati ii fuerint, qui Spiritus Sancti gratiam nundinantur, & quærunt quæ sua sunt, Woolstono non repugnamus, sicuti etiam

hunc

hunc sensum personæ Christi valde convenientem esse non inficiamur. Verum ecquid Woolstonus ex mysticis Sanctorum Patrum explicationibus calumniatur, quando, ipsis docentibus Sanctis Patribus, infallibilis Scripturarum veritas, cui Catholica Fides inhæret, non mystico, & allegorico sensu, sed litterali continetur?

Dæmonibus vero, quando ab obsesso corpore eosdem ejecit, ideo sues invadere, eosque secum in mare præcipitare, Christus permittere potuit, ut omnes vim suæ potestatis agnoscerent, & Geraseni propter sui avaritiam hac ratione punirentur. Miraculi quoque magnitudinem hoc facto probavit, quum dæmones, quos ejecit, plures fuisse dubitandi locus nemini relictus sit. Aliæ quoque multæ hujus rei convenientes rationes afferri possent (a); verum non est, cur in iis immoremur, quum eorum, quæ Christus gessit, nihil necesse sit, ut rationem perspectam habeamus. „ Verumtamen homines infideles (ita „ apposite ad rem nostram S. Augustinus lib. 21. *de Civit. Dei* cap. 5. nu. 1.) „ qui, quum Divina vel præterita, vel futura mala prædicamus, quæ illis ex- „ perienda non valemus ostendere, rationem a nobis earum flagitant rerum; „ quam quoniam non possumus reddere (excedunt enim vires mentis huma- „ næ) existimant falsa esse, quæ dicimus; ipsi de tot mirabilibus rebus, quas „ vel videre possumus, vel videmus, debent reddere rationem. Quod si fie- „ ri ab homine non posse perviderint, fatendum est eis, non ideo aliquid non „ fuisse, vel futurum non esse, quia ratio inde reddi non potest: quandoqui- „ dem sunt ista, de quibus similiter non potest „. Postquam autem multa enumeravit, quæ licet incredibilia esse videantur, in diversis tamen mundi partibus revera occurrunt, hæc habet: „ De his, atque aliis innumerabilibus „ mirabilibus, quæ historia non factorum, & transactorum, sed manentium „ locorum tenet, mihi autem aliud agenti ea persequi nimis longum est, red- „ dant rationem, si possunt, Infideles isti, qui nolunt Divinis litteris crede- „ re; quid aliud non putantes eas esse Divinas, & quod res habeant incredi- „ biles „. Epistola autem 120. *ad Consentium* num. 5., alias 122. de eadem re ita prosequitur S. Doctor: „ Sunt autem quædam, quæ quum audierimus, „ non eis accomodamus fidem, & ratione nobis reddita, vera esse cognosci- „ mus; quæ credere non valemus. Et universa Dei miracula ideo ab Infide- „ libus non creduntur, quia eorum ratio non videtur. Et revera sunt, de „ quibus ratio reddi non potest, non tamen non est. Quid enim est in rerum „ natura, quod irrationabiliter fecerit Deus? Sed quorumdam mirabilium ope- „ rum ejus etiam expedit tantisper occultam esse rationem, ne apud animos „ fastidio languidos ejusdem rationis cognitione vilescant. Sunt enim, & mul- „ ti sunt, qui plus tenentur admiratione rerum, quam cognitione caussarum, „ ubi miracula mira esse desinunt, & opus est eos ad invisibilium fidem visi- „ bilibus miraculis excitari, ut charitate purgati eo perveniant, ubi familiari- „ tate veritatis mirari desistant „. Ex hisce vero omnibus illud constat, eamdem tum veterum, tum recentiorum *Infidelium* semper quoad omnia fuisse rationem.

Origenes *Comment. in epist. ad Rom.* lib. 9. nu. 41., eum, qui mentem a Deo alienam habet, non ab uno tantum, sed a pluribus immundis spiritibus possideri affirmat juxta illud *Lucæ* 8. v. 30. *quod tibi nomen est? legio: multi enim*

(a) Tostatus consulatur in Matt. cap. 8. qu. 130.

enim fumus. Alibi autem parabolicas explicationes hujus historicæ veritatis Origenem dedisse non repugno.

S. Hilarius *Comment. in Matt.* cap. 8. nu. 4. quid præfiguratum fuerit per duos homines Christo occurrentes, per invasionem dæmonum in eos, per supplicationem eorumdem dæmonum invadendi sues, & per immersionem in mare hujusmodi animalium explicat quidem, sed semper facti veritatem præsupponit, quam ut certam habet etiam S. Augustinus *Quæst. Evangelic.* lib. 1. quæ. 13. quamvis & ipse quoque plura per eam significata fuisse tradat. Quis ergo non videat, quanta cum audacia Woolstonus Sanctorum Patrum auctoritate pugnare contendat?

§. II.

DE VERA ET MIRAGULOSA CHRISTI TRANSFIGURATIONE.

Quum Wolstonus miracula Christi sensu allegorico accipi debere non minus falso, quam impie putaverit, illud quoque inde consequebatur, ut in Christi operibus nihil contigisse supra naturæ vires contenderet. Hoc vero est, quod impius homo est ausus, atque in pluribus Christi miraculis, quamvis per se evidentibus, & manifestis, nihil supra naturæ ordinem fuisse, demonstrandum suscepit, immo longius quoque progressus: Christum, quod horrendum dictu est, simulationis, & deceptionis cum incredibili temeritate, ac impietate accusavit, & ejus agendi rationem uti reprehensione dignam traducere [a] non erubuit.

Quoniam vero quæ Woolstonus opponit contra ea, quæ Christus gessit, quando negotiatores e Templo, & dæmones ab homine obsesso ejecit, iisdemque permisit, ut in sues invaderent, satis abunde a nobis soluta esse arbitramur, illudque demonstrasse, Sanctorum auctoritate Patrum Woolstonum hac in re impie abuti, ideo nunc ab ipsa transfiguratione Christi exordiamur, videamusque quam impia, futilia, atque inepta sint, quæ sine ulla judicii ratione contra eam proponit.

NUM. I.

Christi transfiguratio a Woolstoni calumniis vindicatur.

Et 1. quidem transfiguratio miraculosa non fuit, inquit Woolstonus, quia a radiis solaribus ea profluxit. 2. Pro ea voce, quæ in Græco habetur, non transfiguratio, sed metamorphosis reddi debet, per quam quispiam diversam, ac antea habebat, figuram induit. 3. Quinam tandem hujus miraculi usus fuit? 4. Qua caussa Moyses, & Elias cum Christo loquentes inducuntur, vel qua de re sermones inter se mutuo miscent? S. Lucas de hac colloquutione ita habet: [b] *& dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*: per vocem autem ἔξοδος quæ in Græco habetur, nihil tale, inquit, significari posse videtur. Tandem, ait, cur hoc miraculum potius in monte, quam in planitie

(a) Consulatur sæpius laudata *Historica Dissertatio* edita a Le Moine, in qua traditur, quot, qualesque *Discursus* impius homo hac de re ediderit. Etiam StacKousei opus consulatur inscriptum *Le sens Litteral de l' Ecriture Saint*, atque *Dissert.* 3. Christiani Gottl. Joecheri: *in Examine Paralogismorum Thomæ VVoolstoni de Miraculis Christi*. Ex his enim omnibus VVoolstoni deliria collegimus.

(b) Cap 9. v. 31.

tie factum fuit? Profecto id loci selectum fuisse increduli dicere possunt, ut ex nubibus, quæ sitünt in cacuminibus montium, hoc phœnomenum produceretur.

Quum Woolstonus Celsum in impietate si non vicerit, saltem coæquaverit, ideo mirandum non est, si sacra transfiguratio Christi tum Celso, uti constat ex Origene lib. 4. contra eumdem nu. 16., tum Woolstono odiosa fuit. Quapropter, ut ad singula respondeamus, illud a Woolstono quærimus, undenam a radiis solaribus transfigurationem, de qua loquimur, dimanasse noverit. Profecto semel ac aliquid auctoritate testium, qui omnem fidem sibi mereantur, constitutum est; id ut falsum esse evincatur, non satis est quempiam ad arbitrium affirmare rem ita non evenisse, sed vel physice, aut saltem moraliter eam impossibilem fuisse, vel testes aut illusos esse, aut aliis illudere voluisse, vel demum aliorum auctoritate testium, qui æqualem auctoritatem habeant, contra pugnare debet. Nihil vero tale Woolstonus præstitit: ergo non solum insipientissimum, sed etiam impudentissimum sese esse demonstrat. Quandoquidem quid impudentius fingi potest, quam Sanctos Evangelistas, qui rem illam unanimi consensione narrant, (a) aut illusos fuisse, aut nobis illudere voluisse? quid audacius, quam Sanctum Petrum, qui huic transfigurationi interfuisse vocemque e nube delapsam se audivisse testatur (b), vel mentitum, vel deceptum fuisse? Unde nam tandem vel levissima deceptionis, aut mendacii suspicio in eos cadere potest? An fortasse Evangelistas & S. Petrum mentitos aut deceptos fuisse Woolstonus dicet, quia res de qua agitur, erat impossibilis? At hæc impossibilitas qua ratione demonstratur? An stare non potest, ut facies alicujus Divina virtute, sicut sol, splendens evadat, & vestimenta ejus alba, sicut nix? quisnam tandem hac in re contradictioni locus esse potest? immo anne conveniens non est, ut hoc Divina virtute contingat? Res ergo ista talis est, ut nonnisi a Woolstono per summam impudentiam, atque audaciam negari potuerit: quod sane semper magis magisque constabit, quando, data opera, Sacros Scriptores neque decipi, neque alios decipere potuisse, nec voluisse, demonstrabimus.

,, Quomodo transformatus sit (hoc est Christus) inquit S. Thomas 3. par. ,, qu. 45. ar. 1. ad 1.) Evangelista demonstrat dicens: [c] *Resplenduit facies* ,, *ejus, sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix*. Ubi splen- ,, dor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, ,, sed gloria commutatur,, Et re quidem vera vox *μορφὴ* tum in Veteri, tum in novo Testamento significat qualitates corporis exteriores, non vero eas, quæ subjecti essentiam componunt. Ita *Danielis* 4. v. 33. habetur *καὶ ἡ μορφή μου ἐπέστρεψεν ἐπ' ἐμὲ figura mea reversa est a me*. Et cap. 5. v. 6. *Τότε τοῦ βασιλέως ἡ μορφὴ ἠλλοιώθη tunc facies Regis commutata est*; v. 10. *καὶ ἡ μορφή σου μὴ ἀλλοιούσθω neque facies tua immutetur*. Cap. 7. v. 28. *καὶ ἡ μορφή μου ἠλλοιώθη & facies mea mutata est*. *Marci* 16. v. 12. *μετὰ δὲ ταῦτα δυσὶν ἐξ αὐτῶν περιπατοῦσιν ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie*.

,, Audi, o homo (ita S. Theophili verbis ad *Autolycum* lib. 1. num. 3. ,, Woolstonum compellandum arbitramur) forma Dei nec dici, nec narrari po-

(a) *Matthæus* cap. 16. v. 1., *Marcus* cap. 9. v. 2.; *Lucas* cap. 9. v. 28.

(b) II. ep. ca. 1. v. 17.

(c) Matt. cap. 17. v. 2.

„ potest, nec oculis corporeis videri. Nam nec ejus gloria animo capi, nec „ magnitudo comprehendi potest, nec altitudo cogitari, nec ejus robur in „ comparationem vocari, nec sapientia assimilari; nec ejus benignitas imitabilis, nec beneficentia enarrabilis „. Et re quidem vera „ Quum palam sit „ (uti ait Minucius Felix in *Octavio* nu. 18.) parentem omnium Deum nec „ principium habere, nec terminum, qui nativitatem omnibus praestet, sibi „ perpetuitatem: qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo; qui universa, „ quaecumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic „ nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi potest, tactu purior „ est; nec aestimari, sensibus major est, infinitus, immensus, & soli sibi to„ tus, quantus est, notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est; & „ ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. Eloquar, quem„ admodum sentio: magnitudinem Dei, qui se putat nosse; minuit: qui non „ vult minuere; non novit „. Hinc etiam S. Joannes Damascenus *de Fide Orthodoxa* lib. 1. cap. 4. „ Infinitus *inquit*, igitur est Deus, & incompre„ hensibilis, atque hoc uno ex eo percipi, & comprehendi potest, nimirum „ quod ipse infinitus, & incomprehensibilis sit „.

Et sane vel negat Woolstonus Deum existere, vel non negat: si negat; & impie facit, & contra rationem evidentissimam pugnat, quemadmodum constat ex iis, quae in Naturali Theologia disseruimus: si autem non negat; cum Dei notione illud quoque inseparabiliter, & necessario conjunctum est, ut Deus sit infinita sapientia, & potestate praeditus, ejusque agendi rationem nullo modo assequi possimus: quod etiam manifestum est ex multis, quae in Naturali Theologia disseruimus: ergo Dei consilia supra nos posita esse, nosque operum illius videre rationem, aut finem, quem in iisdem peculiariter intendit, investigare non posse, ipse quoque Woolstonus oportet, ut concedat. Quapropter si licet hominum agendi ratio a nobis comprehendi possit, quum nemo eorum unus sit, qui infinitam sapientiam naturamque imperscrutabilem habeat; tamen ineptissimus impudentissimusque ille haberetur, qui aliquid ab altero factum esse negaret, non quia vel repugnat, vel auctoritate testium, qui omnem fidem mereantur, contrarium constat, sed quia vel ejus nullam rationem videt, vel videre non vult (a): quanto magis omnium, quotquot unquam extiterunt, ineptissimus, atque impudentissimus habendus ille erit, qui eorum, quae divinitus gesta sunt, rationem sibi perspectam esse velit? & quia perspectam non habet, ea negare obstinatus persistat, quae non solum nullo modo repugnare constat, quin contra constet, per Divinam virtutem sine ulla difficultate fieri posse, aliundeque habent, ut certissimis sint confirmata testimoniis? Quum vero quae Woolstonus contra miracula Christi opponit, fere omnia hujusmodi sint, non solum quam impia, sed etiam inepta, atque omnino irrationabilis ejus agendi ratio sit, nemo non videt.

Ceterum si Woolstonus rationem congruentem transfigurationis quaerat (haec enim tantummodo quaeri potest) eam ex S. Thoma intelligere poterit: „ Dicendum (inquit S. Doctor 3. p. qu. 45. art. 1.) quod Dominus discipulos „ suos, praenunciata sua passione, induxerat eos ad suae passionis sequelam. „ Oportet autem ad hoc, ut aliquis directe procedat in via, quod finem ali„ qualiter praecognoscat: sicut sagittator non recte jaciet sagittam, nisi prius „ si-

(a) Consulantur ea, quae de Morali Evidentia initio lib. 2. pluribus Lemmatibus disseruimus.

„ signum prospexerit, in quod jaciendum est. Unde & Thomas dixit *Joannis* „ *14. v. 5. Domine, nescimus, quo vadis, & quomodo possumus viam scire?* „ Et hoc præcipue necessarium est, quando via est difficilis, & aspera, & „ iter laboriosum, finis vero jucundus. Christus autem per suam passionem „ ad hoc pervenit, ut gloriam obtineret non solum animæ, quam habuit a „ principio suæ conceptionis, sed etiam corporis secundum illud *Lucæ* ultimo „ *v. 26. Hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*. Ad „ quam etiam perducit eos, qui vestigia suæ passionis sequuntur secundum il- „ lud *Actorum 14. v. 21. Per multas tribulationes oportet nos intrare in re-* „ *gnum cælorum*. Et ideo conveniens fuit, ut discipulis suis gloriam suæ cla- „ ritatis ostenderet, quod est ipsum transfigurari, cui suos configurabit secun- „ dum illud *Philippensium 3. v. 21. Reformabit corpus humilitatis nostræ confi-* „ *guratum corpori claritatis suæ* „.

Verum non solum cur Christus transfiguratus fuerit, sed etiam cur eos testes adhibuerit, qui in historia Evangelica recensentur, Woolstonus congruentem rationem ex S. Doctore audire potest: „ Christus transfigurari voluit (in- „ quit S. Præceptor laudata quæstione art. 3.) ut gloriam suam hominibus osten- „ deret, & ad eam desiderandam homines provocaret, sicut supra dictum est (a) „ Ad gloriam autem æternæ beatitudinis adducuntur homines per Christum, „ non solum qui post eum fuerunt, sed etiam qui eum præcesserunt. Unde „ eo ad passionem properante, tam turbæ, quæ sequebantur, quam quæ præ- „ cedebant, ei clamabant, Hosanna, ut dicitur *Matt. 21. v. 9.*, quasi salutem „ ab eo petentes. Et ideo conveniens fuit, ut de præcedentibus ipsum testes „ adessent, scilicet Moyses, & Helias, & de sequentibus ipsum, scilicet Pe- „ trus, & Jacobus, & Joannes, ut in ore duorum, vel trium staret hoc ver- „ bum „.

At vero cur de præcedentibus Moyses, & Elias, de subsequentibus Petrus, Jacobus, & Joannes potissimum eliguntur? „ Ad tertium dicendum (in- „ quit S. Doctor) sicut Chrysostomus dicit super *Matthæum* (b) Moyses & „ Helias in medium adducuntur propter multas rationes. Prima hæc est: quia „ enim turbæ dicebant eum esse Heliam, vel Hieremiam, aut unum ex Pro- „ phetis, capita Prophetarum secum ducit, ut saltem hinc appareat differen- „ tia servorum, & domini. Secunda ratio est, quia Moyses legem dedit, „ Helias pro gloria Domini æmulator fuit. Unde per hoc, quod simul cum „ Christo apparent, excluditur calumnia Judæorum accusantium Christum, „ tamquam transgressorem legis, & blasphemum, Dei sibi gloriam usurpan- „ tem. Tertia ratio est, ut ostendat se habere potestatem mortis, & vitæ, „ & esse judicem mortuorum, & vivorum, per hoc quod Moysem jam mor- „ tuum, & Heliam adhuc viventem secum duxit. Quarta ratio est; quia „ sicut Lucas dicit: *Loquebantur cum eo de excessu, quam completurus erat* „ *in Jerusalem*; id est, de passione, & morte sua. Et ideo ut super hoc di- „ scipulorum animos confirmaret, inducit eos in medium, qui se morti expo- „ suerunt pro Deo. Nam Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni: „ Helias vero Regi Achab. Quinta ratio est, quia volebat, ut discipuli sui „ æmularentur Moysis mansuetudinem, & zelum Heliæ. Sextam rationem „ ad-

(a) Art. 1. ejusdem quæst. (b) Homilia 56. in Matt. nu. 1., & 2. alias homil. 55.

„ addit Hilarius, (a) ut ostenderet scilicet, se per legem, quam dedit Moy„ ses, & per Prophetas, inter quos fuit Helias præcipuus, esse prædicatum.
„ Ad quartum dicendum, quod alta mysteria non sunt omnibus exponen„ da immediate, sed per majores suo tempore ad alios debent devenire. Et „ ideo ut Chrysosthomus dicit, (b) assumpsit tres, tamquam potiores. Nam „ Petrus excellens fuit in dilectione, quam habuit ad Christum, & iterum in „ potestate sibi commissa. Joannes vero in privilegio amoris, quo a Christo „ diligebatur propter suam virginitatem, & iterum propter prærogativam „ Evangelicæ doctrinæ. Jacobus autem propter prærogativam martyrii. Et ta„ men hos ipsos noluit hoc, quod viderant, aliis annuntiare ante resurrectio„ nem, ne ut Hieronymus dicit (c) & incredibile esset propter rei magnitu„ dinem, & post tantam gloriam sequens crux scandalum faceret, vel etiam „ totaliter impediretur a populo: & quum essent Spiritu Sancto repleti, tunc „ gestorum spiritualium testes essent „.

Per vocem autem ἔξοδος quum exitus, mors, festivusque dies significetur, ideo in Evangelista legitur, quod loquebantur de excessu, quem completurus erat Jerusalem: unde tam ad Christi mortem, quam ad ascensionem ejus illa verba referri possunt. Quid vero gravius occurrere poterat, de quo inter se mutuo colloquerentur?

Tandem montem veluti locum aptiorem ad transfigurationem habitum fuisse dici potest, ut inter transfigurationem Christi, atque id, quod alias Moysi in monte Sina contigerat, quædam analogia esset. Ac si Christus tum oraturus, tum præcepta novæ legis discipulis traditurus, tum ex eorum numero duodecim Apostolos delecturus, secessit a turbis, & frequentia hominum, & ascendit in montem; quanto magis decuit, ut nonnisi in monte, & longe ab humanarum rerum strepitu tribus electis discipulis suam divinitatem ostenderet?

Num. II.

De Fœmina a spiritu infirmitatis per miraculum liberata a Christo Lucæ cap. 13.

In ea curatione fœminæ, quam Christus liberavit a spiritu infirmitatis, quam a decimo octavo anno patiebatur, uti *Lucæ* cap. 13. legitur, Woolstonus nihil miraculose contigisse contendit. Lucas enim, inquit ipse, quamvis medicus esset, nihil tradit, quod miraculi loco haberi possit. Per hoc enim, ait, quod eam spiritum infirmitatis habuisse dicat, nihil aliud significatur, quam inordinata agitatione vaporum male se habuisse, atque ita a propria phantasia per commotionem atræ bilis deceptam, ut se a dæmone obsessam esse putaret: inde vero factum, ut mali diuturnitati cesserit, & propter curvitatem sursum respicere non potuerit. Per hoc ergo a Christo sanari sine miraculo potuit, concludit suo more Woolstonus, quod ei jusserit, ut bono animo esset, neque de sua infirmitate sollicita, quæ revera nulla erat. Quum vero fiducia tristitiam expellat, ita, inquit, contigit, ut sana facta fuerit. Quod autem de obsessione dæmonis hoc in loco Evangelista habet, in re tam sancta impie jocando mirabile ait esse: nam nullibi tam frequenter dæmonis, Beelzebub, spirituum-

(a) *Comment. in Matt.* cap. 17. nu. 2.
(b) Laud. hom.
(c) *Comment. in Matt.* lib. 3. cap. 17. v. 9.

que malignorum mentionem factam esse, quam in Evangelio; quasi tunc temporis, hoc est Christi, diaboli omnes e suis sedibus erupisse videantur.

Denide tandem impius homo, quod de obsessione dæmonis hoc loco Evangelista habet; & in rebus divinis ausus facetus videri velle, scurriliter nugatur de dæmonis, Beelzebub, & spiritum malignorum mentione, quæ in Sacrosanctis Evangeliis tam crebra occurrit.

Verum ut Woolstoni impiæ calumniæ detegantur, quomodo res gesta fuerit, primo videamus. „ Et ecce mulier [inquit S. Lucas cap. 13. v. 11. & seq.] „ quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem, & octo, & erat inclinata, „ nec omnino poterat sursum respicere. Quam quum videret Jesus, vocavit „ eam ad se, & ait illi: mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit „ illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens au„ tem Archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: „ sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, „ & non in die sabbati. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypo„ critæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a „ præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit „ Satanas, ecce decem, & octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die „ sabbati? Et quum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus: & omnis „ populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo „. Multa autem ex hac narratione colligi possunt, quæ omnia contra Woolstonum faciunt. 1. Quidem hoc miraculum in Synagoga, multis inspicientibus, a Christo fuisse patratum: 2. mulierem Christum non fecisse certiorem, nec quænam esset infirmitas illius, nec ex quo tempore ab ea gravaretur: 3. neque etiam Christum hoc a muliere exquisivisse, sed quum eam ad se vocasset, mulierem statim ab infirmitate fuisse dimissam: 3. Archisynagogum indignatione commotum, quia Christus die sabbati mulierem ab infirmitate liberaverat: 5. eos, qui Christo adversabantur, erubuisse, quando ab eodem sibi exprobari audierunt, se bovem, & asinum a præsepio solvere, ut adaquatum ducerent: 6. populum in iis omnibus gavisum esse, quæ a Christo gloriose fiebant. Nullus ergo hac in re ex eo capite deceptioni locus esse potuit, quasi aut occulte contigerit, aut coram iis tantum facta fuerit, qui in Christum bene affecti, aut de illius Divina potestate persuasi erant. Nam si etiam adversarii Christi rem miraculose gestam non fuisse putassent, ut eum calumniarentur, ad sabbati violationem non appellassent. Neque est, cur quispiam dicat ad sabbati violationem appellasse, ut eum calumniarentur, non vero quia rem miraculose gestam putarent. Quandoquidem cur tandem obmutuerunt, quando Christus, quod bovem, & asinum die sabbati adaquarent, eisdem objecit? Cur non reposuerunt, se facere id, quod necessarium erat, contra vero Christum violationem diei Sabbati saltem apud populum iis operibus præseferre, quæ ad alios decipiendos instituta erant? quomodo ferre potuerunt, ut populus Christum glorificaverit, neque mendacium ei detexerint? Erubuerunt ergo, quia Christum de miraculo die sabbati pratrato impie se calumniatos fuisse perspexerunt. Age itaque: reliqua expendamus. Ecquod fuit indicium mulierem inordinata agitatione vaporum male se habuisse, atque ita a propria phantasia per commotionem atræ bilis deceptam, ut se a dæmone obsessam esse putaret? Quibus tandem verbis ei Christus suasit, ut bono animo esset,

neque

neque de sua infirmitate sollicita, quæ revera nulla erat? Nam mulier de sua infirmitate nihil Christo eloquuta fuit: Christus autem eam ad se vocavit, statimque sanam reddidit. Hæc autem Woolstoni calumniis sic repugnant, ut nihil magis.

Verum quoniam Woolstonus non solum ut hujus miraculi, sed & aliorum quoque veritatem evertat, ad phantasiæ deceptionem recurrit, (a) quid propter phantasiæ vires contingere possit, modo videamus. Aliquando ergo contingere non repugno quin homines propria imaginatione decepti eo se morbo laborare sibi persuadeant, quo nullo modo laborant. Tamen quoad eos quoque morbos hoc contingere posse, qui exteriora membra ad eum modum afficiunt, nemo, qui sit sanæ mentis, affirmare audebit. Neque enim profluvium sanguinis imaginarium, cœcitas imaginaria, paralysis, & arthritis imaginaria dari possunt. Unde quum hos quoque morbos imaginariis Woolstonus accenseat, omnibus sese deridendum præbet. At sint sane, qui hisce morbis propter imaginationem se laborare putent: anne imaginationis tam obstinata perversitas esse potest, ut una mulier fluxu sanguinis spatio duodecim annorum, altera spatio decem & octo annorum spiritu infirmitatis laborare sibi videatur, quamvis revera non laboret? ut quispiam per triginta, & octo annos membris impeditum se esse sibi persuadeat, quamvis revera non sit? Quis hæc potius ridenda, quam confutanda esse non videat? Hæc tamen sunt, quæ nobis Woolstonus credenda proponit, quum & ea mulier, quæ a duodecimo anno sanguinis fluxum patiebatur, (b) & altera, quæ a decimo octavo laborabat spiritu infirmitatis, [c] & languidus, qui a trigesimo octavo in infirmitate detinebatur, [d] sentiente Woolstono, talia revera passi non fuerint, sed propter imaginationem ea pati sibi persuaserint. Si autem dicat, quod tamen non dicit, hos omnes revera hujusmodi morbis laborasse, tamen a depravata imaginatione suam originem duxisse; tunc & pro certo ponit, quod omnino dubium, immo improbabile est, & suæ desperatæ caussæ nullo modo prodest: nam semper verum erit, physicas realesque infirmitates virtute Christi fuisse sublatas.

Ii autem, quorum animos ægritudo turbavit, variisque deinde languoribus affecti sunt, moralibus quidem remediis, hoc est colloquiis, adhortationibusque induci possunt, ut imaginationis errore sublato, salutifera remedia sibi quærant: ceterum ut, ablato defectu, atque errore imaginationis, ii, qui physicis gravissimis morbis revera conflictantur, bene se statim habeant, sanguinis fluxus sistatur, manus pedesque distorti esse desinant, paralysis tollatur, omnis contractio musculorum auferatur, nemo unquam tam insanus erit, ut fieri posse affirmare audeat. Si autem hoc per se quidem impossibile est, quanto magis impossibile habendum erit, semel ac morbum in ægroto diuturnitate jam consenuisse ponatur, neque unius, aut alterius anni, sed duodecim, vel decem octo, immo & triginta octo spatio annorum infirmus male se habuerit? Tandem quid ad ea Christi miracula Woolstonus reponere potest, quæ Christus mortuos ad vitam revocando patravit, quæque absens effecit? anne curavit, ut mortuorum imaginatio corrigeretur? ut puer centurionis, quem non vide-

(a) Hoc ante ipsum Pomponatius tentavit *de Incantatione*, & ex recentioribus Joa. Gaspar VVesphalus in *Pathologia Dæmoniaca*.

(b) *Matt.* 9. v. 20.

(c) *Lucæ* 13. v. 11.

(d) *Joan.* 5. v. 5.

viderat (a), absens tristitiam propter phantasiæ defectum ei inhærentem a se depelleret? ut reguli filius iterum absens, [b] defectibus imaginationis obviam iret? Verum non est, cur contra absurda tam evidentia, atque manifesta pluribus agamus.

Christus autem quum in hunc mundum venerit, ut diaboli opera dissolveret, (c) mirandum non est, si in vita illius dæmonum tam sæpe mentio fiat, eosque ab hominum corporibus Christum sæpius abegisse legatur. Aliunde vero de existentia dæmonum auctoritate Divinarum Scripturarum manifeste constat, exque iis tum origo illorum, (d) tum ordines differentes, (e) tum perniciosa consilia monstrantur [f].

N u m. III.

De muliere patiente fluxum sanguinis a Christo miraculose liberata.

Evangelistæ [inquit Woolstonus, atque ita ad aliud præstantissimum Christi miraculum oppugnandum viam sibi parat] nimis diminute nobis miracula referunt, quæ per Christum facta fuisse dicuntur: neque enim tradunt, a quibusnam infirmitatibus Christus curaverit, aut quomodo curaverit. Hoc ex ea muliere constat, quam Christum a fluxu sanguinis liberasse legitur. Nam de qualitate, aut gravitate infirmitatis, quam patiebatur, ex Evangelistis, inquit, nihil certi colligi potest, sed illud tantum ex eorum narratione erui, mulierem, licet spatio duodecim annorum fluxu sanguinis laborasset, tantam vim tamen servasse, ut inter turbas ad Christum irrumpere, & ab eo curari potuerit. Infirmitatem ergo ejus, concludit, omnino levem, atque etiam nullius momenti fuisse dicendum est; immo, addit, fieri quoque potuit, ut sanguinis amissione, quam patiebatur, illius diuturnitati vitæ prospectum fuerit: unde si non fuisset delicatior, quam prudentior, curari non quæsivisset. Hæc itaque, pergit, quum audivisset, atque etiam certo teneret, a Christo infirmitates curari, ad eum accessit, ut opem sibi ferret. Christus vero, ait impius homo, usus præventione mulieris confirmavit eam in bona opinione, quam de se habebat, atque ita feliciter curavit. Hæc curatio, concludit, imaginationi mulieris tribui debet, quum se sanandam esse certo teneret, si illum tetigisset.

Hic quoque ante omnia expendamus, quomodo res gesta fuerit, & quidem ex Sancto Luca, qui eam pluribus describit, quam S. Matthæus „: Et „ mulier quædam erat (inquit S. Lucas cap. 8. v. 43. & seq.) in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam „ suam, nec ab ullo potuit curari. Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus: & confestim stetit fluxus sanguinis ejus. Et ait Jesus: quis est, „ qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo „ erant: Præceptor, turba te comprimunt, & affligunt, & dicis, quis me „ tetigit? Et dixit Jesus: tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me „ exiisse. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit „ ante pedes ejus, & ob quam caussam tetigerit eum, indicavit coram omni „ po-

(a) *Mat.* 8. v. 13.
(b) *Joan.* 4. v. 53.
(c) I. *Joan.* 3. v. 8.

(d) *Joan.* 8 v. 44., & II. Petri 2. v. 4.
(e) *Ephes.* 6. 12.
(f) I. *Petri* 5 v. 8.

„ populo, & quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei: filia, fi-
„ des tua salvam te fecit: vade in pace „. 1. ergo constat mulierem jam a duodecimo anno laborasse fluxu sanguinis: 2. quamvis omnem substantiam suam in medicos erogasset; tamen nunquam ab eis curari potuisse: 3. statim ac tetigit fimbriam vestimentorum Jesu Christi, a fluxu sanguinis fuisse liberatam: 4. Jesum non solum novisse, mulierem tetigisse fimbriam vestimentorum suorum, quamvis ea retro accessisset; sed etiam a se exivisse virtutem, qua mulier sanaretur: 5. omnem populum compertum habuisse, qua de caussa mulier Christum tetigisset, eamque inde statim sanam factam fuisse. Neque ullius momenti est illa infirmitas, quæ spatio duodecim annorum depelli non potuit, quamvis ad eam depellendam in remediis plurimum insumptum fuerit; sed talis fuit infirmitas hujus mulieris: ergo eam levem fuisse pro suo more Woolstonus ad arbitrium sibi confingit. Per hoc quod mulier fimbrias vestimentorum Jesu Christi tetigerit, ab hac longa, & diuturna infirmitate, quam per multa, atque repetita medicamina a se depellere non potuerat, mulier libera *statim* evasit: ergo juxta ea, quæ de imaginatione modo disseruimus, hæc curatio effectus imaginationis esse non potuit. Mulier, quamvis retro accesserit, ita ut sub oculis Christi non esset, tamen Christus ab illa determinate se tactum esse novit: ergo quum juxta Woolstonum a turba quam maxime Christus premeretur, neque nosse naturaliter poterat, num aliquis fimbriam vestimentorum suorum tetigisset, multoque minus num ea mulier peculiariter tetigisset. Talis virtus, ut ab alicujus corpore exeat, ut per eam etiam illi sanentur, qui vestes illius occulte, atque furtim tetigerint, fieri non potest; sed talis virtus a Christi corpore exiit, eamque Christus non solum a se exivisse novit, sed etiam quo determinate tempore, in quem determinate finem, & in quam determinate personam: ergo omnino miraculose exiit. Exivit autem quando Christus nondum fuerat cum muliere colloquutus, neque eam viderat: ergo non minus impie, quam falso dici potest, Christum præventione mulieris usum fuisse, eamque in bona opinione confirmasse, quam de se habebat. Tandem novit omnis populus quomodo, & qua ratione mulier sana facta fuit: nullus ergo in hac curatione deceptioni locus esse potuit.

Impiissimam autem, putidissimamque calumniam, quam non solum quoad istud miraculum, sed etiam quoad alia Woolstonus cum summa audacia Christo impingit; hoc est eum dolis, & fallacis usum esse, circulatorisque etiam, ac præstigiatoris munere functum (quæ tandem scribere debemus, dum furentis hominis deliramenta refellimus?) necesse non esse, ut refutaremus, merito putare quispiam posset, quum talis sit, ut omnino vanam, & per summam temeritatem confictam esse, præcise etiam ab divina auctoritate, vel ipse rerum eventus demonstraverit. Verum quum nihil, quamvis prorsus absurdum illud sit, sine confutatione relinquere constituerimus, Eusebii argumentatione hanc in rem utemur, ut simul eodem tempore semper magis constet, quemadmodum nobis proposuimus, impios nostri temporis ea in medium iterum protulisse, quæ antiquiores evomuerant, quæque jampridem Apologistæ Christianæ Religionis abunde confutarunt. „ Interrogandi igitur sunt (ita Euse-
„ bius *Demonstr. Evang.* lib. 3. nu. 3.) num quis unquam alius similis seductor
„ ex historiis ipsorum proferri possit, qui mansuetudinis, probitatis, tempe-
„ rantiæ, omnisque reliquæ virtutis iis, quos seduxerit, magister, & auctor

„ exti-

„ extiterit: & utrum fas sit, iis nominibus vocari eum, qui ne intueri quidem mulierem cum petulanti cupiditate permittit: & num is seductor, qui summum Philosophiæ fastigium tradiderit, discipulosque suos edocuerit, quæcumque possideant bona, indigentibus impertiri, & laboris studium, ac beneficentiam plurimi facere: & utrum seductor is, qui in multitudine populari, in plebelo turbulentoque grege versari prohibet, solum autem rerum Divinarum studium sua doctrina commendat. Quî porro fieri potest, ut is merito nominetur seductor, qui ab omni mendacio deterreat, & ad veritatem præter cuncta alia amplectendam adhortetur? ut ne jure quidem jurando velit nos indigere? quanto autem minus perjurio? *Sit enim sermo vester, est, est; non, non*: (a) & quid me plura colligere oportet, quum ex iis, quæ jam dicta sunt, plane liceat discere, quodnam fuerit ejus Reipublicæ institutum, quæ ab illo inter homines ad vitæ utilitatem disseminata est? Ex qua non modo seductorem, sed vere Divinum quemdam, & Divinæ pietatemque amplexæ Philosophiæ, non communis illius, & vulgaris introductorem, omnis veritatis amator sit confessurus... Quonam modo seductor erit is, qui non solum verba, sed facta multo prius, quam verba, suis Discipulis, quibus fungerentur, tradiderit? & quibus, ut recta ratio jubet, Deum ipsum essent veneraturi?... Ad hæc quum fori Divini, judiciique futuri assiduam mentionem fecerit, suppliciaque, ac pœnas inevitabiles impiis descripserit, justis vero æternam a Deo vitam promitti, & regnum cœleste, & fœlicem cum ipso Deo victum docuerit: quem tandem decipere potuit? Nonne potius adhortatus est eorum præmiorum caussa, quæ a justis expectantur, in virtutem incumbere? ab omni vero malitia deterruit propter impendentes impiis pœnas„?

Num. autem 4. postquam multa miracula Christi enumeravit, ita recte concludit: „ Hæc sane sunt virtutis, quæ in Salvatore nostro erat, apprime celebranda miracula: hæc Divinitatis, quæ in illo erat, indicia: hæc ipsi quoque casta æstimatione admirati sumus, exploratoque, atque exquisito judicio recepimus. Exquisita sane hæc a nobis, explorataque sunt aliis quoque evidentibus rebus, omnemque aperientibus rationem, quibus ipse Dominus noster etiam nunc iis, quos dignos putaverit, exigua quædam virtutis signa ostendere consuevit.

Rem eamdem ex alio capite nunc expendamus„. Fingamus illum (hoc est Christum, inquit Eusebius in eodem lib. num. 5.) non ea, quæ dicta sunt, docuisse, sed illis plane contraria facere, videlicet contra leges...: latere autem in iis omnibus conari, & ejusmodi mores simulatione doctrinæ gravioris, & nova professione pietatis obtegere. Ipsi vero discipuli & his exerceantur, & quam hæc sunt, etiam nequioribus... In sublime vero suum præceptorem fictis verbis extollant, nullique mendacio parcant: omnia vero illi miracula, & portenta cum simulatione falsitateque adscribant, ut ipsi quoque in admiratione habeantur, beatique judicentur, qui ejusmodi præceptoris discipuli extiterint. Videamus igitur, quî potuerit illis tam audax inceptum consistere, si tales fuere, quales descripti sunt. Nam malum malo, ut ajunt, amicum non est: ac ne bono quidem. Unde igitur in tanta virorum multitudine concorda malitiæ reperta est? Unde in iis omnibus de iisdem rebus consors testimonium? & eadem usque ad mortem sententia?

„ tia? Viro autem præstigiis utenti, & fallaciis, qui talia doceret, ac talia „ profiteretur, quis ab initio studuisset? Dices, quod alii quoque, illo præ„ceptore, non minus præstigiarum cupidi: ergo illi præceptoris sui exitum „ non viderunt? & quali morte fuerit affectus? cur igitur post turpissimam „ illius necem, de eo, qui mortuus esset, novam Theologiam constantissime „ protulerunt, nec ab incœpto deterreri potuerunt? aut quid ex ea re tan„dem petebant? num ut eodem supplicio afficerentur? sed quis ullo unquam „ tempore, nulla spe proposita, ejusmodi supplicium manifestum eligeret? „ Ceterum demus illum illos esse veneratos, quandiu cum ipsis versatus, com„moratusque sit, & quandiu fallaciis eos, ut sermone illorum utar, decipe„re potuerit. Cur igitur post mortem multo magis, quam ante illum admi„rati sunt? nam in humanis degentem & deseruisse, & abnegasse olim dicun„tur, quum illi videlicet insidiæ factæ sunt. Postquam vero inter homines es„se desiit, alacres ipsi mori malebant, quam a vera de illo testificatione „ amoveri. Si igitur præceptori suo nullius boni conscii erant, non vitæ, non „ disciplinæ, non actionis, non operis alicujus laudem merentis, neque vero „ quidquam ab illo emolumenti perceperant, præter unam malitiam, & alio„rum hominum deceptionem, quam ob rem tam prompte moriebantur, dum„modo de illo severa quædam, & insignia prædicarent? Quum interim illo„rum unicuique liceret otiose vivere, & in propria domu una cum suis cha„rissimis securiorem multo, tutioremque vitam agere? Fallaces enim homi„nes, & in fraudibus versantes quomodo affectassent mori pro alio, quem „ ipsi omnium hominum maxime certissimeque novissent? Præsertim qui ip„sis, ut sermone istorum utar, nullius boni auctor fuisset, sed contra potius „ omnis malitiæ præceptor? Vir enim & rationis usum habens, & virtute præ„ditus, boni cujuspiam officii gratia nonnunquam probabiliter mortem cum „ honestate, & gloria suaserit. Qui vero moribus perversis sit, & affectibus „ voluptatibusque totus deditus, solamque hanc temporariam vitam, & quæ „ ad eam spectant, libidines persequens, nunquam profecto vitæ mortem præ„posuerit, ac ne domesticorum quidem, & charissimorum caussa supplicium „ tulerit, nedum pro eo, qui nequitiæ sit condemnatus. Quam ergo proba„bile, ut illius, de quo dictum est, discipuli, si modo ille seductor, præ„stigiatorque fuisset, quum illum talem esse non ignorarent, atque ipsi etiam „ improbiori flagitii genere animos haberent implicitos, a suæ gentis viris „ omnia probra ferre non recusaverint, & omne supplicii genus pro testimo„nio illi reddendo subierint? Non convenit hoc cum natura improborum, „ longissime ab ea refugit „. Hæc vero ad Woolstoni confutationem modo sufficere posse putamus: nam sequenti quæstione num Apostoli, & omnes Sacri Scriptores alios fallere, aut falli potuerint, data opera, pluribus expendemus.

Ab Evangelistis autem nimis diminute miracula Christi relata fuisse Woolstonus inepte queritur; uti enim Joecherus (a) recte observavit „. Sufficiensne „ circumstantiarum commemoratio sit, e fine historiographi dijudicandum est: „ Quod si ille prolixos, & completos commentarios molitur, prorsus nihil „ prætermittere debet; ad quam legem se neutiquam astringit, qui modo com„pendium meditatur. Justa de operibus Christi volumina condere, Apostolis

M non

(a) *In Examine Paralogismorum Thomæ VVoolstoni de Miraculis Christi* Dissert. 3. nu. 4.

„ non erat in animo, quippe quibus capiendis mundus non sufficisset (a); ad „ compendium autem nihil amplius requiritur, cumprimis si ea, quæ tradun- „ tur, ad formandas de rebus gestis notiones satis sint apta: quod de quovis „ miraculorum speciatim evinci potest. Et quid quæso commemorari amplius „ debuisset? num subjectum, an objectum, an modus miraculorum? His re- „ bus non erat opus, quum nobis sufficiat scire, Lazarum fuisse mortuum, mu- „ lierem insanabili hæmorrhogia laborasse, ægrotum arthitride fuisse vexatum, „ miserum hominem a malo genio obsessum; quamvis & accuratior morbo- „ rum a Christo sanatorum descriptio nonnunquam addatur. Si Evangeliorum „ conditores sunt testes fide digni, sufficit eos commemorare, claudos, cæ- „ cos, & alios aliis morbis vexatos homines, Christum adiisse. Si hanc eis „ laudem denegamus, neque prolixior morborum descriptio iisdem conciliatu- „ ra est fidem. Modus miraculi accuratius delineari non poterat, quum esset „ ὑπερφυσικὸς, operatio Dei immediata, atque mysterium. Paucis verbis „ manumque attactu plurimos ægrotos a Christo sanatos intelligimus. Quid „ hic ulterius addi debet „?

Verum enimvero per hoc, quod S. Evangelista dixerit, mulierem ad Christum retro accessisse, etiam qualitatem infirmitatis significavit, uti S. Joan: Chrysostomus arbitratur: „ Cur, (inquit hom. 31. in *Matth.* nu. 1., alias 33) non „ fidenter ad illum accessit? quod puderet de morbo, sese namque immun- „ dam putabat. Nam si menstruata non munda putabatur; multo magis illa, „ quæ tali morbo laborabat, id credere poterat: hujusmodi enim immundi- „ ties magna secundum legem putabatur esse. Ideo se abdit, & occultat. „ Alioquin vero nondum illa consentaneam, & perfectam de illo opinionem „ habebat. Neque enim putasset se latere posse... Neque minus signum edit „ (Christus) quum ostendit se omnia scire, quam quum fluxum sanguinis „ cohibet „.

Si autem quispiam quærat, cur Christus eam manifestam reddiderit: idem Sanctus Pater ita respondet: „ Primo solvit mulieris timorem, ne conscien- „ tiæ stimulis agitata, utpote quæ gratiam illam suffurata esset, scrupulo labo- „ raret: secundo ipsam corrigit, quod se latere putaret: tertio fidem ejus „ omnibus notam reddit, ut alii eam imitarentur „.

Tandem, ut nihil omnino insolutum relinquamus, infirmitatem hujus mulieris nullius momenti fuisse, Woolstonum inde inepte colligere dicimus, quia inter turbas ad Christum irrumpere potuit: nam quamvis propter effusionem sanguinis infirma viribus esse deberet, non tamen omnino destituta, ita ut obnitendo ad Christum inter turbas pergere non potuerit. Quod sane eo minus difficile nobis apparebit, si advertamus, tunc quidem Christum turbis fuisse compressum, tamen non concionem ad populum, sed iter habuisse: unde non difficile esse debuit, ut mulier aliqua via ad eum irrumpere potuerit. Quid? Nonne propter spem, quam de sua salute præconceptam habebat, quæ requirebantur ad properandum ad Christum, vires in muliere suscitari potuerunt?

NUM.

(a) *Joan.* 21. v. 23.

Num. IV.

Christi cum Samaritana colloquium a Woolstoni absurdis, imprimisque calumniis vindicatur.

Hactenus ergo contra Woolstonum de miraculosa curatione mulieris: nunc impiissimas ejusdem blasphemias expendamus, quas contra Christum evomit cum Samaritana colloquentem. Vult ergo homo impiissimus Christum, quando fuit cum Samaritana colloquutus, circulatoris sustinuisse personam, tantumque abfuisse, ut in hac colloquutione se omniscium esse demonstraret, quin potius ex ea apparere contendit, a Samaritana id praenoscere curasse, Messiam non sub Regis, vel Prophetae, sed sub Magi persona ab ea expectari. Ac quum antea secreto, inquit, comperiisset, quae mulier egerat, postquam ab ea se libenter audiri advertit, tunc uti Messiam illi se ostendit.

Nihil opus est nobis intollerabilem hanc Woolstoni, amentemque impietatem, ac furorem, verbis detestari, quum ipsi per se lectores non sentire, ac non detestari non possint. Quare ad rem veniamus, & multas calumniarum ejus absurditates detegamus. Haec itaque etiam Celsus impiissimus apud Originem habet lib. I. contra eumdem num. 38. „ Illum (hoc est Christum) „ clam educatum, quum in Ægypto suam locasset operam, artesque efficien„ di miracula didicisset, hinc reversum esse denique, & propter illa miracu„ la se pro Deo venditasse „. Cui ita Origenes: „ Ego vero non intelli„ go, quomodo magus docuisset homines in omnibus suis actibus cogitare, „ Deum olim illorum omnium judicem fore, atque ita suos discipulos instituis„ set, quibus suae doctrinae administris usurus erat. Nam an discipuli sic in„ stituti miraculis capiebant auditores, aut sine miraculis? dicere nulla eos fe„ cisse miracula, sed credidisse dumtaxat, & nulla adjutos persuadendi peri„ tia, qualem apud Graecos dialectica docet, novam doctrinam, quocumque „ ituri erant, promulgare aggressos esse, perabsurdum est. Qua enim fiducia „ hanc praedicarent doctrinam, & novarent omnia? Si autem miracula pa„ trabant, an simile veri est, magos se tot in pericula conjecisse, ut do„ ctrinam evulgarent, quae magicas artes vetat „? Praeter haec autem illud a Woolstono nos modo quaerimus, in quo Christus sit occupatus, dum cum Samaritana colloquitur. Profecto nulla alia in re, nisi ut quod donum Dei sit, illi demonstret, ut significet, qua ratione Deus colendus sit, ut ipsius Dei naturam indicet (a). Haec autem doctrinae capita in circulatorem cadere posse, solus Woolstonus sua illa fronte dixerit. Quid? anne etiam infinitatis Divinae scientiae in hac narratione aliqua argumenta non occurrunt?„ Dicit ei Jesus:(b) „ vade, voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit: Non „ habeo virum. Dicit ei Jesus: bene dixisti, quia non habeo virum: quinque „ enim viros habuisti; & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc vere di„ xisti „. Ergo & quomodo mulier tunc temporis virum haberet, & quomodo alios antea habuisset, Christum se praenovisse demonstravit. Tantum ergo abest, ut Christus quae non noverat, a muliere exquirendo intelligere curaverit, quin potius & omniscium se esse prodiderit, & maxima prudentia cum

(a) Joan. 4. v. 10., 23., & 24. (b) Joan. 4. v. 16., & seq.

muliere egerit: „ Cur autem (inquit S. Joannes Chrysosthomus homil. 32. *in*
„ *Joan.* num. 2. alias hom. 31.) non ita Judæis loquutus est? quia illi mul-
„ ta signa viderant, illa vero nullum; sed verba primum audierat. Ideo per
„ prophetiam deinceps vim suam ostendit, nec statim arguit illam. Sed quid
„ dicit? *Vade: voca virum tuum, & veni huc*... Existimabat enim mole-
„ stum, & superfluum fore, si eam statim accusaret dicendo: *Virum non ha-*
„ *bes*. Illud vero corrigere post acceptam ab eadem ipsa occasionem, certe
„ consentaneum erat, & audientem mansuetiorem reddebat... Illa accipiendi
„ cupida suam celat turpitudinem, seque hominem alloqui putans, ait: *Non*
„ *habeo virum*. Hinc occasionem captans Christus opportune illam reprehen-
„ dit, utrumque accurate explicans: nam priores omnes enumeravit, & hunc
„ occultum revelavit „. Hinc vero est, ut mulier tunc dixerit: (a) *Domi-*
ne, video, quia Propheta es tu. Nam, inquit Chrysosthomus hom. 34. in *Joan.*
num. 1., alias hom. 33. „ Non totam vitam suam ipsi Christus declaraverat,
„ sed ex dictis ceterorum quoque notitiam ipsum habere credidit „. Quamo-
brem, uti acute observat S. Augustinus *Tract.* 15. in 4. cap. *Joannis* num. 20.
„ Ne forte putaret mulier ideo dixisse Dominum: *Bene dixisti, quia non ha-*
„ *beo virum*, quod hoc ex muliere didicerit, non quod ipse illud Divinitate
„ cognoverit, audi aliquid, quod non dixisti: (b) *Quinque enim viros ha-*
„ *buisti, & iste, quem habes, non est vir tuus: hoc vere dixisti*. Jam-
„ dudum Prophetam dixerat [ita prosequitur S. Augustinus num. 27.]: vidit
„ talia dicere eum, cum quo loquebatur: (c) *Sed venit hora, & nunc est,*
„ *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam &*
„ *Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant*
„ *eum, in Spiritu, & veritate oportet adorare*, quæ jam plus essent ad Pro-
„ phetam, & quid respondit, videte: *Dicit ei mulier:* (d) *scio, quia Messias*
„ *venit, qui dicitur Christus*, (e). Ex civitate autem illa multi crediderunt
„ in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis,
„ quia dixit mihi omnia, quæcumque feci. Quum venissent ergo ad illum,
„ Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et
„ multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. Et mulieri dice-
„ bant: quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus,
„ & scimus, quia hic est vere Salvator mundi „. Quæ ergo Christus dixit,
talia fuerunt, ut non solum mulierem, sed etiam plures Samaritanorum in
fidem suæ Divinitatis non inducere non potuerint. Quis ergo Woolstonum
blasphemantem Christum circulatoris sustinuisse personam ferre poterit?

Neque minus impium, atque falsum est alterum, quod confingit, hoc est Messiam non sub persona Regis, aut Prophetæ, sed Magi tantum a muliere expectatum fuisse. „ Et unde [inquit S. Joa. Chrysosthomus hom. 33.
„ in cap. 4. *Joan.* nu. 2., alias hom. 32.] Christi adventum expectabant Sama-
„ ritani, qui solum Moysem recipiebant? Ex ipsis Moysis scriptis. Nam in
„ principio Filium revelavit. Illud enim: (f) *Faciamus hominem ad imaginem,*
„ *& similitudinem nostram*, ad Filium dictum fuerat; & Abrahamo in ta-
„ ber-

(a) Joan. 4. v. 19.
(b) Joan. laud. cap. v. 18.
(c) Joan. laud. cap. v. 23., & seq.
(d) Joan. laud. cap. v. 25.
(e) Joan. laud. cap. v. 39. & seq.
(f) Genesis 1. v. 26.

„ bernaculo Filius loquitur, & Jacob de illo prophetice prædicit: (a) *Non „ deficiet princeps de Juda, nec dux de femoribus ejus, donec veniat is, cui „ repositum est, & ipse expectatio gentium*. Ipse quoque Moyses ait: (b) „ *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus de fratribus vestris, sicut me: ip- „ sum audietis*. Item quæ de serpente, de virga Moysis, de Isaac, & de ove, „ multaque alia quis colligere possit, quæ adventum illius prædicebant „.

At messiam, qualis venturus erat, aliqui Samaritanorum quidem noverint, non tamen hæc imperita mulier, cum qua Christus sermonem habuit. Immo vero & hæc quoque mulier id non ignoravit: nam quomodo Deus orandus sit, postquam a Christo intellexit, ita respondit: (c) *Scio, quia Messias venit [qui dicitur Christus] quum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*: ergo hanc quoque mulierem existimasse Christum futurum Prophetam, negari non potest.

Sicuti vero cetera omnia, ita illud quoque non minus ineptum, quam impium est, quod Woolstonus de Christo blasphemat, hoc est Christum seсreto novisse ea omnia, quæ mulier gesserat, eorumdemque notitia usum deinde fuisse, postquam animadvertit a muliere se libenter audiri: nam 1., uti habetur *Joannis* 4. v. 9., Judæi cum Samaritanis non coutebantur, & Samaritani a Judæis aversi erant, proindeque si simpliciter impossibile non erat, ut Christus a Samaritanis noscere potuerit, quæ hujusce mulieris vitæ ratio fuisset, saltem valde difficile erat, & difficultatibus undique plenum. 2. ipsa mulier a Christo audiens se habuisse quinque viros, & eum, quem habebat, non esse suum, maximo stupore capta fuit, atque ob id Christum prophetam esse putavit. Hoc autem evidenti argumento esse debet, & rem pervulgatam non fuisse, eam mulierem habuisse quinque viros, ac quem habebat, suum non esse, & ab ipsa muliere existimatum fieri non potuisse, ut Christus rem istam percontando intellexisset. 3. quando mulier dixit Samaritanis, ut legitur citato cap. *Joannis* v. 29. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: nunquid ipse est Christus?* anne Samaritani, quamvis Judæis infensi essent, calumniati sunt, sicuti sua solita impudentia Woolstonus facit, omnia ei dicta a Christo fuisse, quæ ipse prius secreto noverat? Minime gentium. Quin potius [v. 39. & seq.] „ Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhi- „ bentis: quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Quum venissent ergo ad „ illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. „ Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. Et mulieri di- „ cebant, quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivi- „ mus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi „. Hoc autem eo magis mirandum est, quia ut ait S. Joannes Chrysostomus Homil. 35. *in Joannem* num. 1. „ Non verisimile erat illos esse credituros, tum quod nullum signum „ vidissent, tum quod Judæos odio haberent. Attamen quia dictorum illius „ veritatem, juste æstimarunt, his nihil officientibus, sublimiora de illo co- „ gitarunt, quam quæ possent hujusmodi obicibus impediri, ac certatim illum „ magis ac magis admirabantur „. Si ergo Christus tam per ea, quæ mulieri, quam per alia, quæ Samaritanis dixit, Samaritanorum in se fidem, ac venerationem conciliavit, quamvis Samaritani Judæis infensi essent, dicendum est

(a) *Genesis* 49. v. 10. (b) *Deuteron.* 18. v. 15. (c) *Joan.* 4. v. 25.

est utraque in se habuisse argumenta evidentia divinitatis. Alia superaddi possent; hæc tamen ad depellendam putidissimam Woolstoni calumniam sufficere putamus.

N u m. V.

De Ficulnea ad Christi imperium repente arefacta.

Blasphemandi finem Woolstonus nullum facit. Quod enim Christum gessisse legitur, quando ficum arescere fecit, multa in se habere contendit, quæ a persona Christi omnino abhorrere debeant. Si enim, inquit ipse, quando volebat, Christus quælibet miracula facere poterat, ita ut etiam Angelos in sui auxilium advocare illi difficile non esset, anne conveniens fuit, tali fame pressum esse, ut tristaretur, quia statim eam a se expellere non potuit? qui omnia scit, anne etiam longe positus videre non poterat, ficum nullos fructus, sed sola folia habere? qui est omnino sapiens, fructus præter anni tempestatem in hac arbore se adinvenire posse qua tandem ratione putavit? quomodo iratus fuit, quia non invenerit? At, licet invenisset, anne, invito Domino, eos colligere poterat? Unde ei potestas maledicendi arborem? quæ tandem honestas in hujusmodi execratorio actu adinveniri potest? Probabilius ergo est, inquit, nocte, discipulis non videntibus, radices hujus arboris fuisse succisas, ut inde ob maledictionem arefactam esse discipuli putarent. Quapropter Christi bonitati magis convenisset, ut mortuam arborem revirescere, quam ut vivam arescere faceret, indeque facile futurum fuisset, ut ob illius miraculi veritatem Dei potentia agnosceretur, eaque confirmarentur, quæ antea Christus miraculose gesserat. Si ergo ad infirmitates Christi virtute sublatas attendatur, manum Dei cum eo fuisse dici debet; verum hoc uno, quod Christus gessit, omnia pervertuntur.

Eadem fere ratione, qua Woolstonus, etiam Judæus Celsi Christum calumniatur apud Origenem lib. 2. num. 9., quia, ut ipse inquit: „ Quæsivit „ latebras, & turpissime fugiens captus est, proditus ab iis ipsis, quos disci„ pulos nominabat. Atqui non conveniebat illi, qui Deus esset, fugere, & „ vinctum abduci: indignissimum autem eo, qui servator Dei maximi filius, „ Angelus credebatur, relinqui, & prodi ab iis, quibuscum vixerat „. Multa quidem Celso per suum Judæum hæc objicienti Origenes contra reponit. Hoc tamen solummodo, quod contra Woolstonum æque facit, exscribendum putamus. „ Si capi, (inquit Origenes laud. libro num. 10.) nolentis est, non „ captus est Jesus. Nam opportuno tempore in potestatem hominum venire „ se passus est ut agnus Dei, quo peccatum mundi tolleret „. Ita & nos quoque Woolstono dicimus: si pati famem nolentis est, famem Jesus passus non fuit: nam tum fami, tum aliis vitæ ærumnis sese subjicere voluit, ut nos a peccato redimeret. S. Thomas in *Matt.* cap. 21. explicans illud *esuriit*, inquit: „ Et corporaliter, & spiritualiter, quia semper desiderat facere vo„ luntatem Patris. *Joan.* 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui* „ *misit me*. Item corporaliter. Sed quomodo? Quum esset Deus, omnia in „ sua potestate habebat: unde quando volebat, jejunabat. Unde supra 4. *Je*„ *junavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*; sed quando voluit, „ esurivit „.

Verum

Verum & Celsi Judæus, & impius Woolstonus æque ignorant, vel saltem se ignorare fingunt, quod sumus (a) „ Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum „: ignorant, quod in Christo (b) „ Habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia, & prudentia „: ignorant (c) gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, quum esset dives, ut illius inopia nos *divites* essemus: ipsum Christum demum ignorant, (d) „ Qui quum in forma „ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, „ & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque „ ad mortem „. Hæc quum ignorent, aut, prout dixi, saltem se ignorare fingant, mirandum non est, si Christum nihil passum fuisse vellent.

At vero quænam tandem Woolstoni impudentia est, ut rationem, qua se Christus gerere debuerit, præscribere audeat? an fortasse quia famem passus fuit, tanta, atque tam multa miracula non edidit, quæ Divinitatis illius essent argumenta manifesta? an fortasse quia ad arborem fici accessit, ut videret, num fructus haberet, mulieri Samaritanæ non manifestavit, quid illi contigerat (e)? an non vidit intentionem eorum, qui paralyticum sibi offerebant (f)? & cogitationes Pharisæorum, non perspexit (g)? qualia, & quanta sunt, quæ Apostolis futura esse prædixit (h)? quid de Judæis futurum esse non praenovit, atque longe prospexit (i)? anne tandem quid Gentes facturæ essent, longe ante tempore non vidit (k)? An fortasse quia præter anni tempestatem fructus in ficu quæsivit, quinque panibus, & duobus piscibus quinque mille homines esurientes non satiavit (l)? aquam in vinum non convertit (m)? Lazarum quatriduanum non resuscitavit [n], atque alios mortuos ad vitam reduxit? Nonne (o) *Stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus, & videntes admirati sunt?* nonne (p) *Veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes?*

Christum autem arbori ficus maledixisse quidem legimus, iratum vero inde fuisse, sicuti Woolstonus calumniatur, quia fructus in ea nullos invenit, nullo modo legimus (q).

Verum præclarissima Ecclesiæ lumina Woolstonus audiat; hoc est S. Augustinum, S. Joannem Chrysostomum, & S. Thomam qui nihil hac in re, de qua

(a) *Roman.* 3. v. 24., & seq.
(b) *Ephesio* 1. v 7. & seq.
(c) II. *Corint.* 8. v. 9.
(d) *Ad Philip* 2. v. 6. & seq.
(e) *Joan.* 4. v. 17.
(f) *Matt.* 9. v. 2.
(g) *Matt.* laud. cap. v. 4., & cap. 12. v. 25.
(h) *Matt.* 10. v. 8. 9. & 10., *Lucæ* 10. v. 9. *Matt.* 10. v. 19. 20. & 22. *Lucæ* 24. v. 49., *Joan.* 14. v. 16. & 17.
(i) *Lucæ* 12. v. 12. & 21. v. 1., & seq., *Matt.* 23. v. 34. 36., & 38. *Lucæ* 19. v. 43. & 44., & 23. v. 28. & 29., *Matt.* 24. v. 34. *Marci* 13. v. 30.
(k) *Joan.* 12. v. 22. & 31., *Lucæ* 24. v. 45. *Act.* 1. v. 8. *Matt.* 16. v. 18.
(l) *Joan.* 6.
(m) *Joan.* 2.
(n) *Joan.* 11.
(o) *Lucæ* 2 v. 47. & 48.
(p) *Matt.* 13. v. 54.
(q) *Matt.* 21. v. 19., *Marci* 11. v. 13.

qua agimus, a Christo non recte peractum fuisse, alia atque alia ratione explicant. ,, Omne quod dicitur, sive sit (inquit S. Augustinus *Sermone* 89. nu. 4.) aut ,, per suam proprietatem cognoscitur, aut significat aliquid figurate; aut cer- ,, te habet utrumque, & propriam cognitionem, & figuratam significationem. ,, Dictum quod proprie accipi debet, est, *Quia passus est Dominus, quia resur-* ,, *rexit*: factum, quod proprie accipi debet: *Ascendit Apostolus Jerosolymam* ,, *videre Petrum*: dictum per figuram: *Lapidem, quem reprobaverunt ædifican-* ,, *tes, hic factus est in caput anguli*: factum figuratum, (inquit nu. 5.) quod ,, *Unxit lapidem Jacob, quem ad caput posuerat, quum dormiret* ,, . Num. autem 6. ita prosequitur: ,, Audistis dictum proprium, quia resurrecturi sumus: ,, factum proprium, quia sicut dictum est; *Ascendit Paulus Jerosolymam vi-* ,, *dere Petrum*. Dictum est figuratum: *Lapidem, quem reprobaverunt ædifi-* ,, *cantes*: factum figuratum, unctus lapis, qui fuit ad caput Jacob. Debetur ,, expectationi vestræ, quod ex utroque fit, & proprie gestum, & significat ,, figuratum. Novimus Abraham duos filios habuisse, unum ex ancilla, alium ,, ex libera: proprie gestum, non solum narratum, sed & factum; figura- ,, tum expectas? Hæc sunt duo testamenta. Quod ergo figurate dicitur, quo- ,, dam modo fingitur. Sed quoniam habet exitum significationis, & ipsa si- ,, gnificatio tenet fidem veritatis, vitat crimen falsitatis... Hoc volens com- ,, mendare Christus poma quæsivit, figuratam ibi, non fallacem commenda- ,, bat fictionem; ac per hoc laudabilem, non criminosam fictionem, non..., ,, qua discussa, eas in falsitatem, sed ut, perscrutata ipsa, invenias ,,.

Ita vero habet S. Joa: Chrysostomus rem eamdem dum explicat *in Matt.* hom. 67. n. 1., alias hom. 66. ,, Alius Evangelista dicit: [a] *Nondum tempus* ,, *fuisse*; sed si nondum tempus erat, quomodo alter Evangelista ait: *Venit*, ,, *ut si forte fructum inveniret in ea*. Unde manifestum est illud ex opinione ,, discipulorum fuisse, qui adhuc imperfectiores erant. Nam opiniones disci- ,, pulorum sæpe describunt Evangelistæ. Sicut igitur illud secundum eorum o- ,, pinionem erat, sic quoque quum putabant, ipsum maledixisse ficui, quod ,, fructum non haberet. Cur ergo maledicta fuit? Propter discipulos, ut nem- ,, pe illi confiderent. Quia enim ubique beneficia præstabat, nullumque pu- ,, niebat; & tamen oportebat ultricis suæ potestatis exemplum præbere, ut ,, discerent & discipuli, & Judæi, ipsum, quum posset eos, qui se crucifi- ,, xerunt extinguere, libenter tamen id concessisse, non extinxisse. Noluit ,, porro id in hominibus factum exhibere, sed in arbore ultricis suæ potestatis ,, exemplum dedit. Quum autem in loca, vel in arbores, vel in bruta ani- ,, mantia tale quidpiam immittitur; ne curiose inquiras, nec dicas: quomodo ,, juste exsiccata ficus est, si tempus fructuum non erat? Illa enim quæstio ,, nugacissima est. Sed miraculum respice, mirare, & miraculorum patratori ,, gloriam refer. Nam & de submersis porcis id ipsum multi dixerunt, ju- ,, stitiæ rationem inquirentes. Sed illis non attendere oportet: nam hæc irra- ,, tionabilia erant, ut arbor anima carebat. Cur ergo hac ratione res acta ,, est, & cur hæc est maledictionis caussa? Ut jam dixi, hoc ad discipulo- ,, rum opinionem pertinet ,,. Hinc etiam S. Thomas in *Matt.* ca. 21. ,, Di- ,, cendum, quod Scriptura aliquid ponit, quod non ita sit, sed propter ali- ,, quem effectum: unde non venit, ut quæreret, sed venit propter suspicio- ,, nem.

(a) Hoc est Marcus cap. 11. v. 13.

„ nem discipulorum ; unde venit propter miraculum exercendum „. S. autem Thomas 3. par. qu. 44. ar. 4. Christum etiam in irrationabilibus creaturis miracula operari debuisse hac convenientissima ratione demonstrat : „ Miracula Christi, *inquit*, ad hoc ordinabantur, quod virtus Divinitatis cognosceretur in „ ipso ad hominum salutem. Pertinet autem ad virtutem Divinitatis, ut omnis creatura sit ei subjecta. Et ideo in omnibus creaturarum generibus miracula eum facere oportuit, & non solum in hominibus, sed etiam in irrationalibus creaturis „.

In responsione vero ad secundum postquam S. Joannis Chrysostomi testimonium, de quo mentionem nos modo fecimus, laudavit, hæc habet : „ Nec „ facit creator injuriam possidenti, si creatura sua suo arbitrio utatur ad aliorum salutem : sed magis (ut Hilarius dicit super *Matthæum*) (a) in hoc „ bonitatis Divinæ argumentum reperimus. Nam ubi afferre voluit procuratæ per se salutis exemplum virtutis suæ potestatem in humanis corporibus „ exercuit : ubi vero in contumaces formam severitatis constituebat, futuri „ speciem damnatio arboris indicavit „.

Et re quidem vera nonne Christus suam gloriam per miracula manifestabat ? ergo quia ad Dei gloriam non minus benignitas, & misericordia, quam justitia, puniendique potestas pertinet, quum illarum tam multiplicia argumenta dederit, harum quoque nonnulla dare oportebat. Verum in quibusnam tandem dedit ? in hominibus templum prophanantibus, in suibus, qui se in mare præcipitaverunt, & in hac ficu, de qua egimus. Tamen hæc tria sunt, quæ impiissimo Woolstono tantum negotii facessunt, ut propter ea non solum plurimorum, quæ Christus fecit in utilitatem hominum, oblitus esse videatur, sed etiam Christum summa cum audacia, atque temeritate calumnietur. Quid enim si aliquis gravissima fame laboret, anne de fructibus alienæ arboris citra injustitiam manducare non poterit ? Quid vero si illa arbor nullum dominum habeat, sed sit in utilitatem boni communis ? anne tunc quoque ei, qui fame premitur, de fructibus illius comedere non licebit ? Tandem qui est omnium Dominus, anne, ipso indigente, iis uti non potest, quæ in aliorum usum concesserit ? quo ergo ore Woolstonus quærere potest, unde Christo permissum fuit, ut fructus arboris alienæ colligeret, si juxta ipsum tam gravi fame Christus premebatur, ut propter eam irasceretur ? si ficum juxta viam positam fuisse legitur, ideoque ad neminem spectasse, inde probabiliter colligi possit, sicuti Origenes revera facit [b] ? si Christus supra omnia dominatum habebat, quemadmodum argumentis evidentibus sæpe significavit ?

Impudens vero Woolstoni calumnia, qua radices arboris nocte fuisse succisas impie effutit, ex sola Evangelica narratione abunde confutatur. Nam S. Matthæus cap. 21. v. 18. tradit quod a maledictione Christi *Arefacta est continuo ficulnea*, S. vero Lucas cap. 11. v. 20., quod discipuli *Viderunt ficulneam aridam factam a radicibus*.

Bella tandem, & Woolstono digna ea illatio est, qua concludit propter hoc unum, quod Christus gessit, everti ea omnia, quæ Divina virtute patrarat : ergo si Rex unum, aut alterum argumentum suæ justitiæ, ac potestatis, quam puniendi habet, aliquando præbeat, verum non est sæpe, ac multum se liberaliter misericorditerque gessisse, quamvis revera se gesserit : ergo id, quod ali-

(a) *Comment. in Mat. cap. 21. nu. 6.* (b) *Comment. in Matt. Tom. 16. nu. 26.*

aliquando fit, facit, ut factum non fuerit, quod revera antea factum est: ergo id etiam quod semel, aut iterum factum est, facit, ut factum non fuerit, quod sæpissime, & data opera, factum est. Talia profecto ea absurda esse debent, quæ ex absurdissimo principio, cujusmodi est istud Woolstoni, consequuntur. Unde mirum non est, si homo qui tanta absurditate principiorum res certissimas in dubium revocare præsumpserit; per summam quoque impudentiam alias affirmare ausus [a] sit, superfluum fuisse, ut Christus tot miracula ederet, sed unum suffecisse, ut Judæorum corda converteret. Nam & Divini consilii rationem rimari arroganter contendit, & illud non videt, multa fuisse, quæ Christum ad patranda plura miracula inducere debuerint. Nam nonne hac ratione sæpius ejus Divina potentia signis sensibilibus, quæ animos hominum magis afficere plerumque solent; manifestanda erat? nonne omnibus ita demonstrandum, Divinam naturam cum humana in eo fuisse sociatam? nonne ita erat confirmanda doctrina, quam evulgabat? confutandi, qui adversabantur? animandi, qui se ejusdem discipulos profitebantur? Nonne demum, ut multa alia omittam, hæc perpetua in suæ Ecclesiæ confirmationem erant relinquenda sensibilia monumenta?

Verum unum miraculum suffecisse, ut Judæi ad Christum converterentur, quo tandem ore Woolstonus affirmare potest, si ipse, quamvis plura, eaque omnino insignia, atque excellentia a Christo patrata fuisse non videre non potuerit, tamen Divinam in Christo virtutem tam impie, atque obstinate denegat?

N u m. VI.

De Nuptiis, quibus Christus interfuit, deque aqua ab eo miraculose in vinum conversa.

Heic Woolstonus, sperans se facti veritatem suis commentis, & historiam conjecturis posse eludere, ait, sibi probabile non videri, Christum nuptiis interfuisse, & falso, ac sine teste affirmat, in nuptiarum celebritate apud Judæos magnam versatam fuisse licentiam, ut inde inferat, Christum severis gravibusque moribus viventem neque invitandum fuisse ad nuptias, neque, etiamsi fuisset invitatus, eis interfuturum fuisse. Præterea aquæ miraculosam in vinum conversionem nugatur intemperantiæ occasionem convivis fuisse præbituram. Ad hæc, Chrysostomi nomine, & auctoritate abusus, negat miraculosam fuisse aquæ conversionem, quia, inquit, non ex nihilo vinum productum fuit, sed quum invitati adhuc bibere quæsivissent, neque quidquam vini superesset, Christus, ne sponsi confusione replerentur, per immissionem alicujus liquoris secreta ratione effecit, ut aqua vini saporem induceret: in quo invitati facilius decipi potuerunt, quia a multo potu, atque satietate ciborum stomachum jam male affectum habebant. Denique Christum matri nimis acriter respondentem describi dicit in eo Evangelii loco.

Pro suo more hac quoque in re Woolstonus sese gerit. Christum ergo ad nuptias invitatum fuisse, iisdemque accubuisse non solum non repugnat, sed ne leviter quidem improbabile est. Nam quum multis eum notum in Galilæa fuisse

(a) Joecheri II. Dissertat. consulatur nu. 6. *in Examine Paralogism. Thomæ VVoolstoni de Miraculis Christi.*

fuisse negari non possit, & ipsorum quoque publicanorum peccatorumque consuetudinem aliquando non vitaverit, tum ad nuptias invitatum fuisse, tum iisdem accubuisse, inde colligi merito potest. Hinc recte S. Joannes Chrysostomus homil. 21. *in Joannem* nu. 1., alias homil. 20. „ Jam dixi, *inquit*, eum in Galilæa notiorem fuisse, quare vocant eum ad nuptias, ipseque adest. Non „ enim ad dignitatem suam respiciebat, sed erat ad beneficium nobis inferen„ dum paratus. Nam qui non dedignatus est formam servi accipere, multo „ minus dedignabitur ad nuptias servorum venire. Qui cum publicanis, & „ peccatoribus versabatur, multo minus recusabit cum invitatis ad nuptias re„ cumbere. Qui vocaverunt, non congruentem de illo opinionem habebant, „ neque ut magnum quempiam virum invitabant, sed ut popularem, & sibi „ notum; & hoc subindicavit Evangelista dicens: (a) *Erat autem mater Jesu* „ *ibi, & fratres ejus*: quemadmodum illam, & fratres ejus, ita & Jesum „ vocaverunt „. Porro an non conveniebat, ut sua præsentia Christus nuptias sanctificaret? „ Nam quum nuptiæ celebrarentur (inquit S. Cyrillus Jerosoly„ mitanus Comment. in 1. v. cap. 2. *Joann.*) caste nimirum, & honeste, adest „ quidem mater Servatoris, sed & ipse una cum discipulis suis invitatus ve„ nit, non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret, ac præterea genera„ tionis humanæ principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet: „ Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus, ac totam „ in meliorem statum revocaturus erat, non solum iis, qui in ortum vocati „ erant, benedictionem impertiretur, sed & iis quoque, qui postea nascituri „ essent, gratiam præstrueret, & eorum ortum sanctum efficeret „. Altera quoque caussa fuit, cur Christus ad nuptias invitatus accesserit: quod Dominus, inquit S. Augustinus altero *Tractatu* 9. in cap. 2. *Joan.* nu. 2., „ Invitatus „ venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit, „ quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus (b) „ prohibentes nubere, & dicentes, quod malum essent nuptiæ, & quod dia„ bolus eas fecisset: quum idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus „ utrum licet homini dimittere uxorem suam ex qualibet caussa, non licere, „ excepta fornicationis „ (c).

In celebratione autem nuptiarum apud Hebræos nullum licentiæ locum non dari consuevisse, unde nam tandem Woolstonus novit? Contrarium profecto ex iis accepimus, qui de celebratione nuptiarum apud Hebræos multum, ac copiose disseruerunt (d). S. vero Gaudentius Brixiensis Episcopus, & sæculi 4. Scriptor, hæc ex traditione se comperiisse tradit *de Lectione Evangelii Tract. 9.* „ Nuptiæ apud Judæos quum fierent (quantum traditione comperi„ mus) dabatur de sacerdotali ordine, qui morem disciplinæ legittime gu„ bernaret, pudorisque curam gereret conjugalis, simul etiam conviviorum „ apparatui ministros, atque ordinem dispensaret, & pro hoc officio Architri„ clinus [id est triclinii præpositus] dicebatur. Huic ergo gustum vini ex a„ qua facti jubentur conviviorum ministri portare „. Deinde eo ipso quod Christus erat homo gravis, atque austerus, quemadmodum Woolstonus dicit, si

N 2

(a) *Joannis* 2. v. 1. & 2.
(b) *ad Timot* 4. v. 3.
(c) *Matt.* 19. v. 6.
(d) Consulantur Leone di Modena de *Riti Ebraici* par. 4. cap. 3. Ioannes Buxtorfii filius *Dissert. de Sponsalibus* §. 45. & seq, & Seldenus *Uxor Hebraica*, seu *de Nuptiis & Divortiis* lib. 2. cap. 11., & seq., & Morosini liber inscriptus: *Via della fede mostrata agli Ebrei* par. 2. cap. 60.

si qui fortasse convivio interfuissent, qui liberius loqui vellent, nonne ejus præsentia audaciam illorum frangere facile poterat?

De hoc autem miraculo solus Woolstonus stupere potest, indeque cavillationes omnino ineptas confingere, quibus manifestam veritatem illius apud imbecilles, atque imperitos suspectam faciat. At „ Miraculum quidem (uti ait „ S. Augustinus *Tract. 9.* in cap. 2. *Joan.* nu. 1.) Domini nostri Jesu Christi, „ quo de aqua vinum fecit, non est mirum eis, qui noverunt, quia Deus fe- „ cit. Ipse enim fecit vinum illo die in nuptiis in sex illis hydriis, quas im- „ pleri aqua præcepit, qui omni anno facit hoc in vitibus. Sicut enim quod „ miserunt ministri in hydrias, in vinum conversum est opere Domini; sic „ & quod nubes fundunt, in vinum convertitur ejusdem opere Domini „.

Non solum autem per vasa, quæ adhibita fuerunt, sed etiam per aquæ quantitatem, quæ in vinum versa fuit, omnis, vel levissima suspicio falsitatis ab hoc miraculo depellitur: „ Vasa ista (inquit S. Thomas lect. 1. in 2. cap. „ *Joan.*) deferuntur ad tollendam miraculi suspicionem tum propter eorum „ puritatem, ne possit aliquis suspicari, quod saporem vini sumpsisset ex fæ- „ cibus vini prius in eo repositi (nam vasa illa erant secundum purificatio- „ nem) & ideo purissima oportebat esse: tum etiam propter vasorum quan- „ titatem, ut evidenter pateat, quod aqua tot vasorum in vinum mutari non „ potuisset, nisi virtute Divina „. Ex eo ergo quoque hujus miraculi veritas, atque certitudo constat, unde Woolstonus calumniandi occasionem accipit. Quapropter quia Christus in vinum plurimum aquæ vertit, illius Divina virtus magis magisque omnibus perspecta esse debuit, non vero inde consequitur, ut Christus vel intemperantiam illorum foverit, qui invitati fuerant, vel ipsi bibendi, plusquam par est, occasionem inde accipere potuerint: nam tanti miraculi prodigium cuinam tandem Christi venerationem non conciliare, atque temperantiam inspirare non debebat?

Cur ergo Christus, inquit Woolstonus, vinum ex nihilo non creavit? Respondemus quia ita faciendum non esse duxit. Quænam tandem hominis insania, atque audacia est, ut miracula ea ratione, qua ipse vult, a Christo fieri debuisse contendat? At impius homo quoniam S. Joannem Chrysostomum hac de re differentem legerat, atque mala fide tamquam sententias Chrysostomi proponere non dubitavit ea, quæ Sanctus Doctor sibi solvenda proponit; poterat ejus, quod quærit, convenientem rationem ab eodem intelligere: „ Cur autem [inquit Sanctus Præsul homil. 22. *in Joan.* nu. 2., alias „ hom. 21.] signum non edidit, antequam illæ implerentur (hoc est hydriæ) „ quod longe mirabilius fuisset? Aliud est enim subjectam materiam in aliam „ qualitatem mutare, aliud ipsam substantiam antea non existentem creare: „ hoc enim longe mirabilius est. Sed res non ita credibilis multis visa fuis- „ set. Ideoque miraculorum magnitudinem sæpe libenter minuit, ut facilius „ illa credantur. Et cur, inquies, non ipse caussam produxit, ut tunc in „ vinum converteret, sed id ministris facere jussit? Eadem rursus de caussa, „ & ut ipsos, qui hauserant, rei testes haberet, nec id præstigias esse puta- „ retur. Nam si qui ausi essent id impudenter negare; poterant ministri di- „ cere: nos aquam hausimus „. Post alia vero hæc habet, ad quæ Woolstonus per summam fraudem respexit: in iisdem enim S. Doctor non promit, quid ipse sentiat, sed calumnias impiorum hominum confutandas sibi proponit.

„ Hic

„ Hic rursus [inquit S. Præsul] quidam cavillantur dicentes, ebriosum cœtum „ fuisse, hebetem gustantium sensum, qui rem non possent capere, nec judi- „ cium ferre, ita ut nescirent, an vinum, an aqua id esset: nam quod ebrii „ essent, ipse architriclinus declaravit „. Quid ergo S. Pater ad ista reponat, nunc videamus „. Ridiculum, *inquit*, plane illud est: verum hanc illorum „ suspicionem jam sustulit Evangelista. Non enim convivas ait de illa re sen- „ tentiam tulisse, sed Architriclinum, qui sobrius adhuc nihil gustaverat. Sci- „ tis quippe omnes, quibus conviviorum cura committitur, esse omnium ma- „ xime sobrios, unam hanc curam habentes, ut cum recto ordine omnia di- „ sponatur. Ideoque sensum illum vigilem, & sobrium ad rei gestæ testimo- „ nium evocavit. Non enim dixit: infundite convivis vinum, sed ferte Ar- „ chitriclino. *Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam... dicit* „ *ei: omnis homo primum bonum vinum ponit, & quum inebriati fuerint id, quod* „ *deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc* (a). Talia sunt (ita „ nu. 3. concludit S. Doctor) Christi miracula, quæ res naturales præstantia „ longe superent „.

„ Miracula autem facere, (inquit S. Thomas lect. 1. in cap. 2. *Joan.*) „ competit ei secundum Divinam naturam, quam accepit a Patre: pati vero „ secundum humanam, quam accepit a matre; & ideo matri exigenti mira- „ culum respondit dicens: (b) *Quid mihi, & tibi est mulier?* Quum ergo ait „ matri filius; *Quid mihi, & tibi est mulier, nondum venit hora mea. Do-* „ *minus noster Jesus*, (inquit S. Augustinus *Tract.* 9. in cap. 2. *Joannis* num. „ 9.) & Deus erat, & homo: secundum quod Deus erat, matrem non ha- „ bebat; secundum quod homo erat, habebat. Mater ergo erat carnis, ma- „ ter humanitatis, mater infirmitatis, quam suscepit propter nos. Miraculum „ autem, quod facturus erat, propter Divinitatem facturus erat, non secun- „ dum infirmitatem, secundum quod Deus erat, non secundum quod infirmus „ natus erat. Sed infirmum Dei fortius est hominibus. Miraculum ergo exi- „ gebat mater, & ille tamquam non agnoscit viscera humana, operaturus fa- „ cta Divina, tamquam dicens: quod de me facit miraculum, non tu genui- „ sti: Divinitatem meam non tu genuisti; sed quia genuisti infirmitatem meam, „ tunc te cognoscam, quando ipsa infirmitas pendebit in cruce. Hoc est „ enim: (c) *Nondum venit hora mea*... Ibi enim te agnoscam, quum pen- „ dere in cruce ceperit infirmitas, cujus tu mater es „.

N u m. VII.

De Paralytici miraculosa curatione apud Probaticam piscinam.

Illud quoque miraculum, quod Christus apud Probaticam Piscinam *Joannis* cap. 5. patrasse legitur, impius Woolstonus, uti falsum traducere conatur, magnaque patientia opus est tum nobis ad referendas, tum lectoribus ad audiendas tot impii hominis blasphemias. Illud ergo primo quærit, qua de caussa Probaticæ Piscinæ solus Joannes mentionem fecerit; Josephus autem, qui conscripsit historiam Judaicam, nihil de illa tradiderit, atque tam præclarum decus suæ nationis memoriæ posterorum non mandaverit. At, inquit Woolstonus,

(a) *Joa.* 2, v. 9. & seq. (b) *Joan.* 2, v. 4. (c) *Joan.* 2. v. 4.

nus, id omittamus. Si Joannes suæ narrationi probabilitatem conciliare voluisset, profecto innuere debuisset, quo tempore Angelus descendebat, ut aquam moveret, indicare quot vicibus in singulos annos, vel menses, aut hebdomadas hoc fiebat, atque determinare, cur unus tantum curabatur. Propter defectum itaque harum circumstantiarum miraculum istud, inquit, incredibile redditur. Quid vero dicendum est, si ex, quas refert, per se, absurdæ sint? Anne languentes, cœci, claudi, & aridi in aquam sese immittere possunt? anne probabile est, languidum, quem a Christo sanatum fuisse contenditur, tandiu frustra expectasse, ut aquæ ab Angelo moverentur? Aliunde vero an fortasse dignum Christo fuit, ut ex tam multis unum sanaret? Ubi enim ejus infinita potestas? & si non voluit; ubi charitas illius? Quamvis ergo iste languidus a triginta sex annis infirmitate laboraverit; tamen tunc primo, quando Christus cum eo colloquutus fuit, naturaliter ab illa convaluisse dicendum est. Unde quum Christus noverit statum hominis, absque intentione faciendi miraculum ut lectum tolleret, illi simpliciter dixit. Quapropter ita concludendum est: si Christus omnes sanasset; illum quoque, de quo quæstionem habemus, miraculose sanatum fuisse, credi posset; at quum illum tantum sanatum fuisse legatur, non per miraculum, sed naturaliter id ei contigisse dici debet. Tandem undenam factum per Jerosolymitanum magistratum, ut infirmiores tantum Probaticæ Piscinæ beneficio fruerentur?

Hisce sane omnibus nihil absurdius dici potest. Quamvis ergo solus Joannes, & præter ipsum nullus alius Evangelista (nam de Josepho postea dicemus) hujus facti mentionem fecerit, tamen Woolstonus fidem ei detrectare non potest, si historiæ regulas consulat: nam de Divinis rebus cum impio homine non Divina auctoritate, sed humana solum ratione pugnari potest. Nonne enim multa coævorum scriptorum exempla suppetunt, per quæ sæpe contigisse cognoscitur, ut plures licet sui temporis, immo unius ejusdemque Regis, aut Imperatoris res gestas conscripserint, tamen unus nonnulla in suos annales retulerit, quæ apud alios desiderantur? Modo ergo qui talia referunt, graves, atque fide digni sint, modo ipsa nihil pugnans, & improbabile in se habeant, inde incredibilia videri non debent, quia de iisdem ab uno, & non ab aliis mentio facta fuit. Etenim cur unum, aut alterum ab aliquo scriptore omittatur, ab alio non item, multæ rationes subesse possunt, quæ ad rectum de historica veritate judicium non requiruntur, semel ac Scriptor in iis, quæ ab aliis omissa sunt, omnem prorsus fidem meretur, illaque non solum non repugnant, sed etiam cui tribuuntur, valde convenientia sunt. Quamvis ergo solus Joannes hunc languidum a Christo sanatum fuisse referat; tamen quum & S. Evangelista etiam ut historicus omnem fidem mereatur, & non inconvenienter hæc quoque sanatio, non secus ac aliæ multæ, quæ apud omnes Evangelistas leguntur, virtuti Christi conveniat, inepte, atque imperite Woolstonus hujus rei veritatem rejicit.

Josephum autem Probaticæ Piscinæ mentionem fecisse, nonnulli probabiliter autumant (a): nam duas piscinas, quæ erant in Jerusalem *de Bello Judaico* lib. 5. cap. 11. nu. 4. ipse commemorat: „ Quum autem, *inquit*, Romani duodecimo mensis Artemisii die aggeres inchoassent, vix eos vigesimo nono perfecerunt, diebus septemdecim operi sine intermissione impensis: „ Qua-

(a) Inter alios consulatur Bernardus Lamy *de Tabernaculo, & Templo* lib. 4. c. 1.

„ Quatuor enim maximi ſurrexerant, & alter quidem ab illis ad Antoniam „ a quinta legione jactus erat contra mediam Piſcinam, quæ Struthia voca- „ tur... At decima legio, quæ ab his longe aberat, in operibus ad regio- „ nem orientalem occupata erat, & ad Piſcinam, quæ Amygdalon appella- „ tur „.

At nullam a Joſepho Probaticæ Piſcinæ mentionem factam fuiſſe demus: quidnam tandem inde pro ſe Woolſtonus colligere poteſt? Anne ſæpe non uſuveniſſe comperimus, ut Hiſtorici aliquando id omittant, quod nos obſervatione dignum eſſe putamus? an fortaſſe hanc unam rem tantum Joſephus omiſiſſet? Profecto de Chriſto, aut rebus ab eo geſtis parum, aut nihil prodidit memoriæ poſterorum, quamvis perſpicuæ eæ forent, atque omnium ore pervulgatæ. Quid plura? multa eorum, quæ ad hiſtoriam Evangelicam ſpectant, & Ethnicorum ſunt quoque confirmata teſtimonio, uti ſuo loco demonſtrabimus, Joſephus omiſit. In gratiam deinde Romanorum, atque Græcorum quum Joſephus ſuam hiſtoriam conſcripſerit, mirandum non eſt, ſi & quæ digito Dei præter naturæ ordinem peracta fuerant, ſub ſilentio præterierit, & aulici perſonam aſſumpſerit, ac ſuam Religionem diſſimulare ſibi turpe non putaverit. Poſtremo anne ſine ſuæ nationis maximo dedecore miraculorum Chriſti mentionem facere potuiſſet? nonne inde obſtinata pervicacia illius magis magiſque ſemper omnibus innotuiſſet (a)? Tertullianum in lib. *contra Judæos* de Probatica Piſcina hæc memoriæ poſterorum tradidiſſe legimus: „ Lex, & Pro- „ phetæ uſque ad Joannem fuerunt, & Piſcina Bethſaida uſque ad adventum „ Chriſti, curando invaletudines ab Iſrael: deſiit a beneficiis deinde, quum „ ex perſeverantia furoris ſui nomen Domini per ipſos blaſphemaretur „. Quæ ſane ſi vera ſunt (vera autem eſſe dubitari non debet, quum a Tertulliano ipſis Judæis objecta fuerint) ne opprobria ſuæ nationis promulgaret, peculiariter tum Piſcinæ, tum curationum, quæ per aquam ejus miraculoſe fiebant, adduci potuit Joſephus, ut nullam mentionem faceret. S. autem Hieronymus teſtis oculatus *de Locis Hebraicis v. Betheſda* de Probatica Piſcina hæc habet: „ Piſcina in Hieruſalem, quæ vocatur προβατική, & a nobis inter- „ pretari poteſt pecualis. Hæc quinque quondam porticus habuit; oſtendun- „ turque gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri ſolet, alter „ mirum in modum rubeus, quaſi cruentis aquis, antiqui in ſe operis teſta- „ tur. Namque hoſtias in eo lavari a Sacerdotibus ſolitas ferunt, unde & „ nomen accepit „. Joſephi ergo ſilentio Woolſtonus, pro ſuo more inepte abutitur. Sed reliqua videamus.

Præter omnem itaque rationem Woolſtonus conqueritur, quas ipſe recenſet, ab Evangeliſta circumſtantias non fuiſſe commemoratas. Non ſolum enim non oportuit, ut ab Evangeliſta commemorarentur, quia Sacri Scriptores non completa commentaria, ſed Jeſu Chriſti vitam ſimpliciter ſcribere ſibi propoſuerunt, quemadmodum pluribus ſupra explicavimus (b); ſed etiam quia ad

(a) Quæ hic dicimus, nemo iis contraria eſſe putet, quæ inferius diſputaturi ſumus, quando etiam Joſephum Chriſti divinitati aliquod teſtimonium perhibuiſſe demonſtrabimus. Nam ut peculiariter Chriſti miracula indicaret, a Joſephi ingenio alienum fuiſſe, hoc vero eſt quod nunc ſolummodo volumus, quamvis alioquin teſtimonium de Chriſto, atque illud quidem inſigne, ex ore ejus ipſa vis veritatis extorſerit.

(b) Hoc eſt, dum veritatem miraculi, quo mulierem liberavit a fluxu ſanguinis, adverſus ejuſdem VVoolſtoni calumnias nu. 3. vindicaremus.

ad rem nostram non requirebatur. Quandoquidem ad veritatem miraculi, quod a Christo factum fuisse S. Evangelista tradit, nosse quo determinato tempore, quotve vicibus Angelus descenderet, ut aquas moveret, & num plures, vel pauciores antea sanati essent, nihil refert; sicuti etiam quæ per Christum sanatio miraculose facta fuit, eas non confirmat, quæ per aquam piscinæ antea contigerant. S. ergo Evangelista, ut referret, quod Christus gessit, hoc vero est, quod sibi proposuit. Quapropter si de infirmorum multitudine loquitur; hoc facit, ut ejus, qui a Christo curari meruit, infelicem statum demonstret: si de aquarum virtute mentionem habet; ut rationem reddat, cur in porticibus Probaticæ Piscinæ infirmorum tanta multitudo jaceret. Illud autem Woolstonus negare non potest, Probaticam Piscinam cum omnibus circumstantiis a S. Joanne fuisse descriptam: „ Quæ quidem describitur (inquit „ S. Thomas in *Ioannis* cap. I. lect. I.) ex quatuor; scilicet ex nomine, ex „ dispositione, ex inhabitatione, & ex virtute. Ex nomine quidem, quum „ dixit: *Probatica Piscina*. Probatio enim græce ovis dicitur. Probatica ergo Piscina quasi oviaria, vel pecuaria dicitur, ex eo quod Sacerdotes ca„ davera bestiarum, & præcipue ovium, quæ ut plurimum in sacrificiis of„ ferebantur, ibi abluebant... Ex dispositione autem describitur, quia erat „ *Quinque porticus habens*, scilicet per circuitum, ut multi Sacerdotes absque „ impedimento commode starent ad lavandum cadavera bestiarum... Ex in„ habitatione autem describitur, quia in his, scilicet porticibus, *Jacebat mul„ titudo magna*. Cujus litteralis ratio est propter occursum omnium infirmo„ rum ad virtutem aquæ: quæ quia continue non sanabat, nec multos simul, „ oportebat, quod multi illic expectantes morarentur... Ex virtute vero de„ scribitur Piscina, quia sanat ab omni infirmitate corporali virtute Angeli „ descendentis. Et ideo dicit: *Angelus autem Domini descendebat secundum „ tempus in Piscinam, & movebatur aqua* „.

Tempore autem Paschatis descendisse Angelum, ut aquam moveret, juxta narrationem Evangelicam valde probabile est. Verum ad veritatem miraculi, de quo agimus, istud quoque certo nosse, nihil refert.

Modo autem contra Woolstonum de iis circumstantiis, quas absurdas, atque risu dignas vocat. Si qui ergo erant, qui hujusmodi infirmitate laborarent, ut per se in aquas intrare non valerent, aliorum ope hoc consequi poterant. Hinc languidus, quem Christus sanavit, hominem se non habere dolebat, a quo in Piscinam mitteretur, quando aqua illius turbata foret. (a)

Præclarissimum vero patientiæ argumentum hunc languidum præsetulisse, dum per spatium triginta, & octo annorum expectavit, ut aquæ moverentur, negari quidem non potest; non vero dici debet, impossibile fuisse, ut tanto intervallo temporis patientia illius non frangeretur. Omni enim humana ope destitutus erat, quum a quo in aquas mitteretur, quando eæ movebantur, non haberet: aliunde vero infirmitate tanta laborabat, ut in aquas per se descendere non posset: ergo nihil aliud illi reliquum erat, si tamen a suo morbo convalescere cupiebat, quam ut patienter expectaret aquæ motum, quo infirmitas, quam patiebatur, ab eo depelleretur. Et re quidem vera patienter se semper habuisse, inde quoque merito conjici potest, quia a Christo per miraculum statim sanari promeruit.

„ Re-

(a) *Ioan.* 5. v. 1.

„ Responsio languidi (inquit S. Thomas in 5. cap. Joan. lect. 1.) ponitur, „ quum dicit: *Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo: ut quum „ turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius „ ante me descendit*. Et duo insinuat, quæ tamen erant diuturnæ infirmitatis, „ scilicet paupertatem, & debilitatem. Quia enim pauper erat, non poterat „ habere hominem, qui mitteret eum in piscinam. Unde dicit: *Domine, ho- „ minem non habeo*. Et forte secundum Chrysostomum opinabatur sibi Chri- „ stum utilem fore ad mittendum eum in aquam. Quia vero debilis erat, & „ festinanter ire non poterat, præveniebatur ab alio. Unde dicit: *Dum venio „ enim ego, alius ante me descendit*. Et sic poterat dicere cum *Job. 6. Ecce „ non est auxilium mihi in me* „. Verum etiam ex ipsa Evangelica narratione colligi potest, haud difficulter contingere potuisse, ut iste homo per multos annos eo remedio uti non potuerit, quod erat in aquis. „ Est autem Jero- „ solymis (ita *Joan.* 5. v. 2. & seq.) Probatica piscina, quæ cognominatur „ hebraicæ Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo ma- „ gna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ mo- „ tum; Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & „ movebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinam post motionem „ aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate „. Quid ergo mirum, si inter multos unus, qui non habebat, a quo adjuvari posset, spatio triginta octo annorum primus omnium in aquas se immergere non potuerit, quando tempore determinato ab Angelo movebantur?

Fatemur autem cum S. Augustino *Tract. 17. in Joannis 5.* cap. num. 1., quod „.. Si mediocri corde, & quasi humano captu, & ingenio consideremus fa- „ cientem, & quod ad potestatem pertinet, non magnum aliquod perfecit, „ & quoad benignitatem parum fecit. Tot jacebant, & unus curatus est, quum „ posset uno verbo omnes erigere. Quid ergo intelligendum est, nisi quia po- „ testas illa, & bonitas illa magis agebat, quid animæ in factis ejus pro sa- „ lute sempiterna intelligerent, quam quid pro temporali salute corpora mere- „ rentur? ... Animæ ergo crediture, cujus peccata dimittere venerat, ad cu- „ jus languores sanandos se humiliaverat, de hoc languido sanato magnum signum „ dederat „. Anne hoc Christus facere non poterat? conveniens non erat, ut „ faceret?

At Woolstoni tanta impudentia est, ut non solum eorum, quæ Christus gessit, modum sibi exploratum esse velit, sed etiam rationem agendorum ipsi Christo præscribere audeat. Verum quam inepte hunc languidum a Christo sanatum non esse inde inferat, quia non omnes curati sunt, nunc expendamus. Unum e multis, qui ad supplicium damnati sint, Regis clementia liberatum esse demus, quia ex cau. Rex aliqua in eo perspexerit, quæ ad misericordiam illum inclinaverint: ergo quum, licet posset, non omnes liberaverit, neque istum liberatum esse dici debet. Recta ne hæc argumentio putaretur? Hujusmodi autem illa est, qua utitur Woolstonus. Sed quoniam de charitate potissimum pugnat: beneficentiam Regis tantam fuisse ponamus, ut sæpissime etiam non rogatus alienis miseriis occurrerit, rogatus vero omnium, qui illi se obtulerunt, indigentiis prospexerit; tamen aliquando unius tantum necessitati subvenerit, quia ex caussa sua ope eum peculiariter dignum esse viderit, ceteros autem certam aliquam ob caussam præterierit: ergone hunc

Regem misericordia præditum non esse, dici debet? Bella sane consequutio! Christus Dominus ille fuit, qui morbos omnis generis sæpissime curavit, dæmones ejecit, mortuos suscitavit, omnibus male habentibus sanitatem restituit (a), dum castella, & civitates circuivit, curavit *Omnem languorem, & omnem infirmitatem* (b); vestes ejus *Quicumque tetigerunt, salvi facti sunt* (c); *Accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos* (d): septem panibus, paucisque piscibus quatuor millia hominum satiavit, (e) aliaque sane multa in beneficium omnium suæ charitatis argumenta evidentissima exhibuit; tamen apud Probaticam Piscinam unum tantum hominem sanavit, quem a triginta sex annis patienter expectasse, ut aquæ moverentur, divinitus noverat: ergo non fuit insigni charitate præditus. Hanc Woolstoni illationem non minus impiam, quam primis logicæ regulis adversantem esse, quis non videat? Quum itaque beneficentia Christi tanta semper ubique extiterit, ut non unus, aut alter, sed populi, atque nationes illius in se effectus experti fuerint, quamvis apud Probaticam Piscinam ob aliquam rationem, quæ infinitæ sapientiæ ejus solummodo perspecta esse potuit, unum tantum sanaverit, nihil tamen detractum esse eximiæ charitati, qua fervebat, fatendum est.

At vero etiamsi nulla eorum, quæ Christus gessit, ratio habeatur, tamen a nemine negari posse, hunc languidum curatum ab eo esse, hoc vero est, quod modo contendo. Quandoquidem per hoc, quod Jesus illi dixit: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*, statim sanus factus fuit, quamvis infirmitas tam inveterata in illo esset, ut a triginta sex annis eamdem sustineret. Tunc autem vidisse Christum hominem naturaliter ab infirmitate convaluisse, delirantis Woolstoni commenta sunt, & somnia ridicula. Nempe ex infirmitate triginta & octo annorum homo naturaliter, absque remediis, in ictu oculi repente convaluit! Idque Christus, juxta Woolstonum purus homo, continuo sensit! Ridicula, inquam, somnia. Quæ quidem inde quoque confutantur, quia qui sanitatem acquisivit, virtute Christi se acquisivisse palam, & coram omnibus professus fuit, & Judæorum nemo extitit, qui contradiceret; immo ipsa rei veritate convicti quum miraculum a Christo revera factum non fuisse, calumniari non possent, accusandi illum occasionem inde accepere, quia hominem die sabbati curasset. Unde quum pro hujus miraculi veritate tum ejus, qui illud in se expertus fuit, tum Judæorum, quamvis infensissimo odio in Christum flagrarent, testimonium habeamus, ipsum per se unicuique evidentissimum esse debet.

Quid tandem Woolstonus velit, quando quærit, quomodo per Jerosolymitanum magistratum factum fuerit, ut infirmiores tantum aquarum beneficio fruerentur, non satis constat. Illud ergo rationi consonum esse dicimus, nihil hac de re a Jerosolymitano magistratu fuisse constitutum, sed unicuique permissum, ut, prout vellet, atque indigeret, suam salutem per aquas recuperare conaretur.

Num.

(a) *Matt.* 8. v. 16.
(b) *Matt.* 9. v. 35.
(c) *Matt.* 14. v. 36.
(d) *Matt.* 15. v. 30.
(e) *Matt.* eodem ca. v. 38.

Num. VIII.

De cæco a Christo sanato Joan. 9.

Oculi, inquit Woolstonus, multiplicibus morbis obnoxii sunt, quorum alii natura, atque arte curari possunt, alii non item. Inde vero est, ut certo definiri non possit, num cœcus, cui videndi facultatem *Joannis 9.* Christum contulisse legitur, per miraculum sanatus fuerit: nam non constat utrum natura, vel arte cœcitas oculorum ab eo depelli posset. Profecto si Jesus, nullis remediis adhibitis, fecisset, ut statim videret, tunc miraculo locus esse posset: at quum humanis remediis usus fuerit, atque ut oculos cœci aperiret, sputo, atque luto linierit, & deinde aqua abluendos curaverit, nihil per miraculum gestum fuisse dici debet. Aliunde autem res ista est omnino incredibilis, prout eam peractam fuisse a Joanne narratur: nam lutum sputo commixtum quomodo tandem pro oculis salutare remedium esse potest? Hæc quidem ad excœcandum valent, non vero ad restituendam videndi facultatem. Unde dicendum est, Christum ad remedia medicinæ secreto recurrisse, & quum aliquid balsamicum aptum ad depellendam cœcitatem in ore teneret, saliva eodem jam imbuta oculos cœci linivit, ut operaretur, quod jactatur. Huc usque Woolstonus.

At hic illud primo contra Woolstonum observandum occurrit, ipsum sæpe dolere, Sanctos Evangelistas earum circumstantiarum nullam mentionem fecisse, quæ comitatæ sunt id, quod per miraculum gestum fuit; contraque ex hoc ipso circumstantiarum capite rejicere, quod revera factum fuisse nullus dubitandi locus superesse potest. Quamvis autem S. Joannes nullas circumstantias omittat, quæ curationem cœci vel præcesserunt, vel comitatæ, vel subsequutæ sunt, aliundeque hæc res sit evidentissimis confirmata testimoniis, eam tamen negat, atque pro more suo ad impia commenta confugit. Verum quoniam huc atque illuc aberrare non est vitium illius maximum omnium, ad alia pergamus.

Et nos ergo fatemur, nonnullos morbos oculorum natura, atque arte curari posse, alios non item. Verum hunc, de quo loquimur, natura, & arte curari potuisse quo tandem ore Woolstonus dicet? Profecto (a) *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati*, uti etiam in arte medica peritiores consentiunt; (b) sed hic, de quo loquimur, erat a nativitate cœcus: ergo arte, vel industria a cœcitate curari non potuit.

Quia in hac curatione, inquit Woolstonus, remedia adhibita fuere, evidenti argumento esse potest eam per miraculum peractam non fuisse. Bella sane consequutio, & Woolstono digna! Sed primo videamus, qua contradictione ipse per se implicetur. Ipso fatente, lutum sputo commixtum non ad depellendam, sed ad inducendam cœcitatem valet: ergo tantum abest, ut dici possit, Christum remediis ab hoc homine cœcitatem abegisse, quin potius quæ adhibuit, huic effectui producendo contraria fuisse, unusquisque, atque etiam Woolstonus, fateatur oportet: ergo inepte, imperite, atque impie Woolstonus sibi manifeste contradicit.

 Ve-

(a) Joan. 9. v. 32.

(b) Joecheri altera *Dissert. de Examine Paralogismorum Thomæ Woolstoni de Miraculis Christi* nu. 2. consulatur.

Verum in eo quoque Woolstonus graviffime peccat, quod nullum miraculo locum esse posse falso putat, quando, dum illud fit, aliquid exterius adhibetur, five applicatur. Miraculum fine applicatione cujusdam rei naturalis tam fieri, quam non fieri potest; tamen cum applicatione cujusdam rei naturalis quando fit, videndum, num quæ adhibentur, talia fint, ut producere id possint, quod per miraculum factum fuisse dicitur: si possint; nullus est miraculo locus: si autem non possint; verum miraculum habetur, quamvis illa adhibeantur; atqui cœnum sputo commixtum, quod Christus ad depellendam cœcitatem hujus hominis adhibuit, etiam fatente Woolstono, non solum nullam ad depellendam, sed multam ad inducendam cœcitatem efficaciam habere debebat: ergo remedia, quæ in curatione cœci Christus adhibuit, non solum nihil prodesse, sed multum obesse poterant: ergo quamvis Christus aliqua adhibuerit, tamen curationem per miraculum factam fuisse dici debet. Licet itaque etiam Deum, dum miracula fecit, quædam media fæpe adhibuisse legamus; tamen quum ea effectum, qui consequutus est, ex sui natura producere non possent, illum effectum per miraculum contigisse, recte colligimus. Ita dum aquæ amaræ per lignum a Moyse injectum (a), & iterum per salem ab Elisæo afpersum (b), dulces evasere, incensio hostiæ Gedeonis per baculum Angeli (c), & inter opera Christi, immissio digitorum in aures surdi ad restituendum auditum (d), immissio cœni saliva commixti in oculos cœci ad depellendam cœcitatem, impositio manuum ad depellendam febrim (e), Divina miracula sunt, in quibus quædam media adhibita fuere, ejusmodi tamen, quæ ad producendum effectum, qui consequutus est, fine Divina virtute idonea non fuissent.

At vero quoniam Woolstonus non dissimulanter, sed aperte dicit, se non negaturum, verum a Christo miraculum peractum esse, quacumque tandem cœcitate iste homo laboraret, si ad eam pellendam nihil aliud, præter solum verbum, adhibuisset, & homo cœcus videndi facultatem statim recepisset, consequens inde est, ut vera a Christo miracula peracta fuisse negare non possit, quando statim solo verbo homini cœco, atque muto, nullis mediis adhibitis, oculorum, & linguæ usum contulit [f], quando eadem ratione Bartimæo videndi facultatem tribuit [g], quando absens paralyticum puerum Centurionis sanavit [h], quando *Imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna* [i]; quando *Ejiciebat spiritus verbo* [k]; quando *Voce magna clamavit: Lazare, veni foras, & statim prodiit, qui fuerat mortuus* [l]; quando homini, qui manum aridam habebat dixit: *Extende manum tuam: & extendit, & restituta est manus ejus* [m]; quando demum *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis* [n]. Quo-

(a) *Exodi* 15. v. 25.
(b) IV. Regum 2. v. 23.
(c) *Judicum* 6. v. 21.
(d) *Marci* 7. v. 33.
(e) *Matt.* 8. v. 15.
(f) *Matt.* 12. v. 22.
(g) *Marci* 10. v. 52.
(h) *Matt.* 8. v. 14.
(i) *Matt.* 8. v. 26.
(k) *Matt.* 8. v. 16.
(l) *Joan.* 11. v. 43. & 44.
(m) *Lucæ* 6. v. 10.
(n) *Lucæ* 14. v. 19. & seq.

Quocumque ergo homo impius se vertat, sibi ipsi adversatur.

Qua itaque ratione Christus hujus cœci oculos sputo, atque luto linivit, deindeque præcepit, ut ad natatoriam Siloe eosdem ablutum pergeret? „ Sputo illuminat (inquit S. Thomas in cap. 9. *Joannis* lect. 1.) ut ostendat, quod „ virtute a se egrediente hoc faciebat, & nulli alteri rei miraculum adscribatur. *Lucæ* 6. v. 19. *Virtus de illo exibat*. Licet enim omnia miracula Dominus solo verbo facere potuisset, quia ipse dixit, & facta sunt; frequenter tamen corpore suo eis utitur, ut ostendat ipsum, in quantum est Divinitatis organum, virtutem quamdam salutarem esse sortitum. Lutum autem fecit ex sputo ut ostendat se membra homini deficentia posse formare, qui formavit totum primum hominem. Unde sicut primum hominem de luto formavit, ita lutum fecit, ut formaret oculos cœci nati, ut ostenderet se conditorem corporum per id, quod potissimum est in corporibus. Homo enim inter creaturas corporales præcellentior est: inter membra vero hominis præcellit caput: inter membra autem capitis oculus excellentior est. Unde *Matt*. 6. *v*. 22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus*. Formando ergo oculum ceteris corporalibus excellentiorem, ostendit se creatorem esse totius hominis, & naturæ corporeæ. Dixit autem: vade; lava te, ne videretur terra super oculos linita virtutem sanativam oculi habere. Unde quandiu lutum in oculis habuit, non vidit, sed postquam lavit. Misit autem eum longe ad lavandum, scilicet ad natatoria Siloe; primo quidem ad confutandam Judæorum duritiem: nam oportebat eum transire civitatem, ut sic omnes viderent eumdem cœcum euntem, lutum super oculos habentem, & redeuntem, visu restituto. Secundo vero ut commendetur cœci obedientia, & fides. Frequenter enim forte lutum in faciem receperat, frequenter in natatoria Syloe se laverat, & non viderat. Unde potuisset dicere: lutum solet magis excœcare, & multoties me ibidem lavi, & in nullo sum adjutus „. Eadem fere habet etiam S. Joannes Chrysostomus *bom*. 56. in *Joannem* nu. 2., alias *bom*. 55. „ Quia enim *inquit*, audierant Deum, quum hominem formaret, accepisse limum de terra; ideo ille limum formavit. Si enim dixisset: ego sum qui accepi pulverem de terra, & hominem formavi, id auditoribus offensioni fuisset: ubi vero id ipso opere ostendit, non repugnare potuerunt. Accepto itaque pulvere, quem cum sputo commiscuit, sic occultam virtutem suam manifestam reddidit. Non parva enim gloria erat, quod creatura opifex crederetur. Ex hoc enim cetera sequebantur „. Quapropter, ut ait S. Cyrillus Jerosolymitanus lib. 6. in v. 6. ca. 9. *Joannis* „. Et curationis modum mirantibus exclamare operæ pretium: *Quam magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti. Psal*. 91. v. 6. „

Sola autem Woolstoni impietas, atque audacia eo pervenire poterat, ut Christum hac quoque in re dolis, atque fallaciis usum esse, affirmare non erubuerit. Verum non est, cur modo tam turpem calumniam, atque evidentissimæ rationi omnino adversantem pluribus refellamus, quum hac de re multa ex Eusebio disseruerimus, quando veritatem miraculi, quo Christus mulierem liberavit a fluxu sanguinis, adversus eumdem vindicavimus. Quia ergo sicuti Celsus, ut constat ex Origene lib. 1. contra eumdem nu. 68., ita etiam Woolstonus miracula, quæ Christus patravit, iis similia esse effutit, quæ præstigiatores faciunt, quæ Origenes Celso, & nos Woolstono reponemus:

„ Nunc

„ Nunc vero, (inquit Origenes) nullus præstigiator per ea, quæ facit, spe-
„ ctatores ad morum emendationem excitat, aut Dei timorem docet, qui spe-
„ ctaculis stupent, aut studet persuadere, ut vivant, quasi Deo rationem red-
„ dituri. Nihil horum præstigiatores faciunt, quia non possunt, aut non con-
„ silium habent, aut volunt corrigendis hominibus operam dare. Hic vero,
„ qui miraculis suis spectatores eorum, quæ bene faciebat, ad morum cor-
„ rectionem adducebat, quomodo non erit existimandum se præbuisse non so-
„ lum illis, qui proprie discipuli ejus vocati sunt, sed etiam reliquis omnibus,
„ exemplum optimæ vitæ? Discipuli quidem ut excitarentur ad homines do-
„ cendos, quæ sit voluntas Dei; reliquis vero hominibus, ut ejus verbis, &
„ moribus potius, quam miraculis, edocti, quomodo vivere oporteat, eo spe-
„ ctarent, ut quæcumque facerent, Deo placerent omnia. Si autem Jesu vi-
„ ta fuit ejusmodi, quo jure quis eum cum præstigiatoribus conferat, & non
„ potius crediderit eum, quum Deus esset, ut promissum fuerat, visum fuis-
„ se in humano corpore, ut nostro generi prodesset „?

Tandem facere non possumus, quin contra Woolstonum observemus, ut ejus audacia, atque temeritas magis magisque semper testata maneat, tamde cæcitate hujus hominis, quam de videndi facultate a Christo divinitus accepta constare auctoritate multorum, qui de falsitate suspecti nullo modo esse possunt. Nam hunc hominem a nativitate cæcum fuisse non solum Christi discipuli perspexerunt, sed etiam quotquot Judæorum eum antea mendicantem viderant. Immo quum stupenda curatio a Christo peracta ad Pharisæos delata esset, quomodo cæcus videndi facultatem recepisset, ipsi per se cognoscere voluerunt, non quidem ut cum gaudio mirarentur, quod factum fuerat, sed ut aliquam inde Christum calumniandi occasionem arriperent. Hinc est, ut primo quidem cæco se talem a nativitate fuisse affirmanti fidem præbere renuerint, deinde vero etiamsi & ipsius cæci, & parentum ejus testimonio convicti in rem illam consenserint; tamen nunquam opposuerunt Christum in depellenda ejus cæcitate quibusdam naturalibus remediis usum esse, sed sup suffragio miraculi veritatem comprobantes, sicut antea sæpe fecerant, Christum accusarunt, quia die sabbati cæcum sanasset. Quapropter si de veritate alicujus facti certissime constat, quando etiam illorum testimonio, & quidem oculari, comprobatur, qui in eam ita animati inquisierunt, ut fraudem detegere vellent, si qua subesse poterat, quia hoc ad eos plurimum intererat, illud inde consequitur, ut hac miraculosa curatione a Christo peracta nihil certius, atque evidentius esse possit.

„ Unum dicunt (ita S. Thomas lect. 3. in cap. 9. *Joan.* explicans illa ver-
„ ba Pharisæorum ad cæcum: *Da gloriam Deo*) sed aliud intendunt. Inten-
„ dunt quidem, ut cogant eum dicere, se non fuisse illuminatum a Christo.
„ Vel si hoc non possunt, saltem confiteatur se ab eo aliquo maleficio cura-
„ tum. Hoc tamen non aperte dicunt, sed tacite, & sub prætextu religio-
„ nis, ad hoc enim inducere volunt dicentes; *Da gloriam Deo*: quasi dicant:
„ illuminatus es, sed hoc non est a Deo. Ergo hoc nulli alii attribuas nisi
„ Deo, & non illi scilicet Christo, quia si hoc facis, ostendis te non acce-
„ pisse a Deo curationis beneficium, quia Deus per peccatores non operatur
„ miracula „. In eadem vero lectione exponens hæc alia verba: *Dixerunt ergo illi; quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?* hæc alia habet, quibus

Woolstoni putidissimæ calumniæ semper magis magisque refelli possunt „. Hic „ iterato interrogant, [inquit S. Thomas] ut calumniam inferant. Et primo „ ponitur dolosa Pharisæorum interrogatio: secundo respondentis cœci derisio „ ibi: *Respondit eis &c.* Dicit ergo in quantum ad primum: *Dixerunt ergo* „ *illi: quid fecit &c.* quia enim cœcus confessus fuerat se a Christo visum „ recepisse, quod isti non quærebant, sed potius in ipso modo faciendi con- „ tra Christum calumniam inferre intendebant, ideo non dicunt: qualiter vi- „ disti: sed quomodo *Aperuit tibi oculos*. Nunquid aliquo præstigio, seu male- „ ficio hoc fecit?.... Quia enim cœcus quasi jam viderat, ideo non remisse, „ sed audacter de reliquo eis loquitur. Unde primo irridet Pharisæorum ite- „ ratam interrogationem, dicens: *Dixi vobis jam, & audivistis: quid iterum &c.* „ Ex quo semel dixi vobis, quid iterum vultis audire? Hoc enim insipientis „ est. Videtur enim, quod non attenditis ad ea, quæ dicuntur: unde non est „ ultra respondendum vobis inaniter interrogantibus, & cavillari potius, quam „ discere volentibus... Secundo deridet præsumptuosam Pharisæorum intentio- „ nem dicens: *Nunquid & vos vultis &c.* Quando enim aliquis diligenter in- „ quirit, aut hoc facit bona intentione, ut scilicet ei adhæreat, aut mala, „ eum condemnet: quia ergo illi diligenter quærebant, & cœcus non est au- „ sus eis imponere, quod mala intentione quærerent, declinat ad aliam partem „ dicens: *nunquid & vos vultis discipuli ejus fieri* „?

NUM. IX.

De Miraculosa Sanatione Paralytici.

Credibile non est, inquit Woolstonus, in loco tam humili, in quo Christus versabatur, quando Paralyticum sanasse dicitur, tantum fuisse populi concursum, ut qui paralyticum deferebant, eum ante Christum præsentare non potuerint. Si autem hoc ab eis propter populi concursum fieri non potuisse demus, longe, inquit, probabilius est, expectasse eos, ut multitudo populi minueretur, quam chordis supra tectum paralyticum extulisse, ipsumque tectum rupisse, ut ex eo paralyticum ante Christum una cum suo lecto demittere possent. Si ut præfertur, hoc fecissent, zelo, ait, magis inordinato ferri non poterant. Si autem hujus ægroti curatio tanti referebat, cur Christus solo verbo sanitatem illi non restituit? Deinde nonne præcipere multitudini poterat, ut locum ei darent? Permisisse autem, ut ejus domus, quam inhabitabat, tectum frangeretur, nullo modo dici debet. Addit: si circa domum multitudo hominum tanta erat, quanta supponitur, non solum qui paralyticum deferebant, eum ante Christum ponere non potuissent, sed neque etiam accedere ad domum; in qua Christus erat, multoque minus paralyticum elevare supra tectum. Quid tandem de eo dicendum est, ad quem ipsa domus spectabat? Non enim tulisset, ut tectum suæ domus ita impune frangeretur.

Belle sane, atque pro more suo Woolstonus. Tantam ergo populi multitudinem fuisse, ut qui paralyticum deferebant, eum ante Christum præsentare non potuerint, nihil magis veritati consentaneum esse potest. Nam Christus, antequam Capharnaum accederet, multa, eaque insignia miracula patraverat. Inde vero contigit, quod postquam *Auditum est*, uti tradit S. Marcus cap. 2.

cap.

v. 2. *quod in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum:* inde quoque fuit, quod, uti ait S. Lucas cap. 5. v. 15. & seq. *Perambulabat magis sermo de illo, & conveniebant turbæ multæ, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat. Et factum est in una dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos.* Res ergo quum ita se habuerit, qui paralyticum deferebant, eum ante Christum præ turba præsentare non potuisse solus Woolstonus contra historiam Evangelii nimis evidentem, atque manifestam dubitare ausus est.

Neque est cur Woolstonus miretur, hosce homines sibi expectandum ratos non fuisse, donec turba minueretur. Quandoquidem homines, qui accurrerant, brevi tempore non esse recessuros, ipsi quoque inde cognoscere poterant, quia *Virtus Domini erat ad sanandum eos*, & Christus *Sedebat docens*. Anne existimare poterant, multos, qui propter pervulgatam famam miraculorum Christi illuc advenerant, abscessuros, antequam obtinuissent, quod volebant? anne putare, qui accesserant, ut eum audirent, ad suas domos redituros, antequam Christus finem loquendi faceret? anne divinare Christum in iisdem instituendis non diutius persistiturum? Deinde qui rei cujuspiam desiderio est vehementer incensus, nullam moram pati posse, qua ab ejusdem consequutione retrahatur, etiam Woolstonus noscere poterat, nisi pro impietatis stimulo calumniandi libidine præoccupatus fuisset. Quid vero dicendum erit, si qui paralyticum deferebant, certa judicii ratione putarunt non esse expectandum ut turba minueretur. Christus, quando alia vice Capharnaum se contulit, non solum in synagoga docuit omnes, sed etiam spiritum immundum ab homine ejecit, & socrum Simonis à febri liberavit: deinde (a) „ Vespere autem facto, quum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & „ dæmonia habentes. Et erat omnis civitas congregata ad januam. Et cura„ vit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat, „ & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. Et diluculo mane surgens, „ egressus abiit in desertum locum, ibique orabat „. Qui ergo paralyticum deferebant, ipsa experientia edocti timere poterant, ut hac quoque vice Christus mane diluculo surgens abiret, atque ita tum ipsi, tum paralyticus sua spe frustrati remanerent. Tantum itaque abest, ut imprudenter se gesserint, quin potius provida sollicitudine curaverunt, quæ debebant.

„ Tecta apud Palæstinos (inquit Calmetius in *Marci* cap. 2. v. 4.) in „ areæ formam complanata erant, domusque in exteriori pariete instruebatur „ scala, qua ascensus dabatur in tectum, quin opus esset intra domum subi„ re. Addunt in medio ejus areæ spatio patuisse fenestram valvis desuper pa„ tentibus clausam, additis circum cancellis. Extollebantur valvæ, quum diei „ lux in subjectum conclave admittenda erat; claudebantur vero, quum ni„ mis esset solis æstus, sive plueret, vel ningeret. Has igitur valvas sustu„ lere, inquiunt, ut paralyticum coram Jesu in subjecto conclavi docente „ demitterent „. Probabilius dicendum, domum, uti plerasque nunc in Orien„ te consuetas, (b) nulla fuisse contignatione divisam. Quamobrem viros Paraly-

(a) *Marci* 1. cap. v. 32.

(b) Ab habitatoribus illarum regionum etiam ego hoc didici, qui & illud mihi retulerunt, domus ita esse constructas, uti per solarii foramen lucem excipiant.

„ ralyticum portantes, ablatis tegulis aliquibus, quibus area tecti insterneba-„ tur, ampliorem effecisse fenestram, demissumque paralyticum coram Jesu „ in foribus, vel in fenestra loquentem jacuisse „.

Et re quidem vera domus Hebræorum ita fuisse constructas, ut & per solarii foramen lumen exciperent, & per duplicem scalam unam interiorem, exteriorem alteram in tectum conscendi posset, ex iis, quæ *Marci 13. v. 15.* leguntur, non obscure colligitur. Nam hoc loci Christus præcipit, ut qui tempore desolationis fuerit *Super tectum, ne descendat in domum, nec introeat, ut tollat quid de domo sua*: ergo e tecto in domum per scalam interiorem descendi potuisse oportet, adeoque & in solario fuisse foramen, per quod descenderetur. Non voluit tamen Christus, ut in tecto morarentur, sed ut fugerent ad montes, qui in Judæa futuri essent, indeque colligitur, per scalam exteriorem, fuisse descensioni locum [a]. Judaicarum ergo domuum quum talis forma esset, ejusdem quoque illam fuisse, in qua Christus habitabat, dubitari non debet. Qui itaque paralyticum deferebant, quum præ turba ad Christum penetrare non possent, per scalam exteriorem [quam ante januam domus, in qua tunc temporis turba consistebat, positam fuisse improbabile non est] eum supra tectum efferendum sibi esse putarunt, ut deinde sicuti fecerunt, per foramen, quod in solario patebat, ante Christum demitterent. Quia vero solarii foramen non erat ita amplum, ut per illud una cum lecto paralyticum demittere possent, ideo etiam aliquas tegulas ab eis removeri necesse fuit: quod quidem tum S. Marcus cap. 2. v. 4., tum S. Lucas cap. 5. v. 19. innuisse videntur.

Nihil autem facilius contingere potuit, quam ut dominus ipsius domus hoc moleste passus non fuerit, vel saltem quamvis primo id moleste passum fuisse demus, statim omnis ab eo turbatio amota sit. Quandoquidem si advertit; statim noscere potuit, quid ii facere volebant, qui supra tectum conscenderant: hoc autem impedire nimis crudele fuisset, atque omnino alienum ab eo, qui Christi Domini sermonibus audiendis intentus erat. Si autem primo violentiam sibi inferri putasse concedamus, nonne deinde postquam fidem tum paralytici, tum eumdem deferentium perspexit, multoque magis quando Christus paralytico peccata dimisit, atque jussit, ut, sublato lecto, ambularet, de eo, quod factum fuerat, potius gaudere, quam irasci debebat? En tandem quomodo Woolstoni gravissimæ difficultates evanescant.

Illud quoque contra Woolstonum hic monendum esse censemus, plura quoque nunc sæpe fieri, quæ sine maxima difficultate, atque etiam sine molestia aliorum non fiunt. An fortasse propter hoc facta fuisse negandum erit, quamvis plurimorum sint confirmata testimonio, atque etiam illorum, quorum facta non fuisse quam maxime intererat? Profecto ita res ista se habet, de qua agimus, si illud quoque demus, paralyticum chordis supra tectum fuisse sublatum, atque tectum non sine gravi molestia ipsius domini confractum, ut paralyticus ante Christum demitti posset. Hæc omnia difficilius fieri potuisse & nos quoque damus. At nonne eorum tota turba, quanta erat, quæ

(a) Hac de re consulatur Bernardus Lamy *de Tabernaculo* lib. 2. sect. 2. & Stackhouse in lib. inscripto *Le sens litteral de l'Ecriture Sainte* ch. 20., atque præcipue *Novum Testamentum Græcum* Joannis Jacobi VVestenii cura editum in *Adnotationibus* ad *Marci* v. 4. cap. 2., *Matth.* cap. 24. v. 17. & cap. 10. v. 27. In his enim testimoniis Antiquorum nostra sententia præclare confirmatur.

ad Christum accurrerat, testem habemus? Nonne Scribæ, & *Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem* eadem & suis oculis conspicere, & quamvis inviti, testari debuerunt? nonne ad ea, quæ Christus fecit, dum paralyticum sanavit, [a] *Stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie?* Sola ergo Woolstoni impudentia requirebatur, ut hæc in dubium revocari possent.

In refellendis autem iis, quæ contra Christum Woolstonus impie calumniatur, S. Joannis Chrysostomi auctoritate utendum putamus: „ Tu vero perpendas (inquit S.Doctor homil. 29. in *Matt.* nu. 2., alias homil. 30.) quam „ modestus, quam mansuetus sit Dominus. Nam & antea turbus amoverat, „ & a Gadarenis pulsus non obstitit, sed secessit, etsi non procul. Rursumque quum ascendisset, in naviculam trajecit, quum posset pedes transire. „ Neque enim semper mirabilia patrare volebat, ne œconomiæ suæ rationem „ labefactaret. Matthæus igitur ait: (b) *Attulerunt eum*: alii vero dicunt ægrum per diruptum tectum demissum fuisse, & ante Christum positum, nihil dicentibus illis, qui attulerant, sed totum ipsi permittentibus. Nam initio quidem ille circuibat, neque tantam ab accedentibus postulabat fidem: „ hic autem & accesserunt, & fides ab eis requisita est: nam ait: (c) *Videns fidem illorum*; id est, eorum, qui demiserant paralyticum. Neque ubique ægrotorum requirit fidem, ut quum desipiunt, vel alio modo capti sunt. „ Hic vero ægroti fides erat magna; alioquin enim non se demitti permisisset. „ Quoniam igitur tantam exibuere fidem, exhibet & ipse potentiam suam, „ cum omni potestate peccata solvens, ac per omnia demonstrans se Patri æqualem. Hic perpende: superius id ostendebat ille, quum docebat eos tamquam potestatem habens; per leprosum qum dixit: (d) *Volo mundare*; per „ Centurionem, quum dicente illo: (e) *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*, miratus est, ipsumque, plusquam omnes, laudibus extulit; per mare, quum ipsum verbo tantum frænavit; per dæmones, quando ipsum judicem esse confitebantur, & cum potestate magna ipsos ejecit. Hic rursus „ majori modo inimicos suos æqualitatem illam fateri cogit, & per ipsorum „ verba id conspicuum reddit... & dicebant: (f) *Hic blasphemat: quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* „ Huc usque S. Joannes Chrysostomus.

Tandem illud quoque hic observetur oportet, Christum non solum per hoc dedisse præclarissimum argumentum suæ Divinitatis, quod paralytico peccata dimiserit, eumque ab infirmitate liberaverit, sed etiam quod cognoverit ea, quæ in suis cordibus Scribæ versabant. Nam quum Christum blasphemare intra se Scribæ cogitarent, Christus ita illos fuit alloquutus: (g) „ Quid illa „ cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere paralytico: dimittuntur „ tibi peccata tua; an dicere: surge, tolle grabatum tuum, & ambula? Ut „ autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: ait paralytico: tibi dico: surge, tolle grabatum tuum, & vade in „ domum tuam. Et statim surrexit ille „. Scribæ autem vel inviti consentire debuerunt, Christum assequutum fuisse, quod ipsi in sua mente volvebant.

N u m.

(a) *Lucæ* 5. v. 26.
(b) Cap. 9. v. 2.
(c) Eodem cap. & v.
(d) *Matt.* 8. v. 3.
(e) *Matt.* eodem cap. v. 8.
(f) *Marci* 2. v. 7.
(g) *Lucæ* 2. v. 8. & seq.

Num. X.

De tribus mortuis, quos a Christo in Evangelio resuscitatos fuisse legitur.

Tres mortuos Christum resuscitasse in Evangeliis memoratur; hoc est filiam Jairi, filium viduæ, & Lazarum. Hæc tamen tria miracula, inquit Woolstonus, ita præter omnem ordinem in Evangelica historia referuntur, ut inde suspecta haberi merito possint. Unius ejusdemque generis ea quidem sunt; omnium tamen maximum est resuscitatio Lazari, deinde venit resuscitatio filiæ Jairi, postremo filii viduæ. Res ergo quum ita se habeat, qua tandem factum ratione fuit, ut Matthæus, Marcus, atque Lucas, qui suum Evangelium ante Joannem scripserunt, nullam de resuscitatione Lazari mentionem fecerint? Quandoquidem Evangelistæ omnes id sibi proposuerant, ut Christi gloriam, atque potentiam evulgarent. Cur ergo vel non omnia miracula singuli retulerunt, vel plerique eorum præcellentius occultarunt? Profecto si S. Matthæus Lazari historiam tantum retulisset, S. Lucas historiam filii viduæ suo Evangelio adjecisset, & S. Joannes deinde veniens contentus fuisset describere historiam filiæ Jairi per alios Evangelistas omissam, nihil fortasse contra dici posset; at vero, inquit, priores Evangelistæ de resurrectione Lazari nihil referunt, ex alia vero parte Sanctus Joannes & in extrema senectute, & post mortem eorum, qui hujus resurrectionis testes esse potuerunt, eamdem publicavit.

Pergit porro; atque, his omissis, inquit, quoniam Christus tres mortuos resuscitare voluit, qua de caussa potius quam juvenem, puellam, atque Lazarum hominem incognitum resuscitaret, hanc suam virtutem non manifestavit in iis, qui vel Reipublicæ utiliores esse possent, vel saltem in ea ob aliquam dignitatem præcellerent? Deinde unde nam contigit, ut Evangelistæ nobis non retulerint, neque quandiu ii vixerint, neque quid pro communi societate egerint, quos a Christo resuscitatos fuisse tradunt? unde evenit, ne id quidem in favorem Religionis, atque Christianorum præstare voluisse, ut nobis significarent, quid suis amicis resuscitati retulerint de statu, & loco, in quo fuerunt, & de societate, quam habuerunt, dum separati a corpore manerent? Hoc, inquit, silentium frustra adhibitum non fuit.

In hisce ergo tribus miraculis concludit errori, & illusioni locum fuisse. Filiam itaque Jairi inordinatis quibusdam vaporibus oppressam profundiori somno correptam fuisse fieri potuit. Eam dormire Christus affirmavit, qui quum illud quoque puellæ parentibus præceperit, ut miraculum occultarent, miraculi fidem minuit. Quod autem viduæ filium spectat, lethargo oppressum fuisse dicendum erit: quis enim scire potest, an de eo, quod in ipso contigit, mater ejus, atque Christus inter se non convenerint? Saltem modus, quo Christus in via, & quidem incognita, atque occulta occurrit, id demonstrat. Quoad Lazarum autem omnes circumstantiæ ipsius miraculi suspectæ sunt: nam Christum planxisse legitur, Lazarum alta voce evocasse, ipsum Lazarum sudario coopertum surrexisse: quæ omnia imposturæ opera fuisse dici potest.

Hujus autem rei præsumptioni, vel saltem dubitationi locus (nam sic pergit) inde esse potest, quia Judæi contra Christum, atque Lazarum ita insurrexerunt, ut eos occidere vellent. Si autem Lazarus a mortuis suscitatus reve-

revera fuisset, nihil hac impietate, atque crudelitate deterius excogitari posset. Probabile ergo est, fraudem fuisse detectam, atque falsitatis convictum prodigii auctorem, ideoque Christus [a] *Jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis*.

Quoniam, ut sæpe monuimus, quæ fuit Celsi, eadem quoque est Woolstoni impietas, ideo quæ Origenes Celso reponebat lib. 2. contra eumdem num. 48., eadem in medium a nobis primo adducenda esse arbitramur: „ Jam „ sæpe Celsus [inquit Origenes] quia inficiari non poterat miracula, quæ „ Jesus fecisse scribitur, illa præstigiis tribuenda esse calumniatus est; & nos „ contra sæpe pro viribus pugnavimus. Nunc autem nobis quasi interrogatis, „ qua caussa illum esse Dei filium judicavimus, id responsi adscribit, nos ita „ judicasse, *Quod & claudos, & cæcos curaverit*, quibus addit: *Quodque, „ ut dicitis vos, mortuos suscitaverit*. Claudos, & cæcos a Jesu curatos fuisse, quamobrem illum pro Christo Deique filio habemus, inde perspicuum „ est, quod & in Prophetiis scriptum sit: (b) *Tunc aperientur oculi cæcorum, & „ aures surdorum audient; tunc scilicet claudus, ut cervus*. Mortuos autem „ fuisse suscitatos, nec istud commentos esse, qui Evangelia scripserunt, æ„ que constat: nam si figmentum esset, plures resuscitatos recensuissent, eos„ que diutius in monumentis dixissent fuisse moratos. Illi contra, quæ sua „ sinceritas est, perpaucos enumerant: nimirum Archisynagogi filiam, de qua „ nescio, (c) cur dixerit: (d) *Non mortua est, sed dormit*, peculiare quid de „ illa inquiens, quod omnibus mortuis non inerat; & unicum viduæ filium, „ quem miseratus vitæ restituit, jussis bajulis consistere; tertium denique La„ zarum jam quatuor dies in sepulcro inclusum. Qua de re harum rerum æ„ stimatores, & præsertim nostrum Judæum admonebo, quemadmodum tem„ pore Elisæi prophetæ multi erant leprosi, solus vero sanatus est Naaman „ Syrus; sicut multæ viduæ fuerunt ætate Eliæ prophetæ, nec tamen ad ul„ lam missus est Elias, præterquam ad Sarephtanam in Sidonios, quæ Divino „ quodam judicio digna erat, cujus gratia miraculum in panes Propheta face„ ret; sic multos dum Jesus in vivis esset, mortuos fuisse, sed solos esse „ suscitatos, quos suscitari expedire verbum judicavit, ut miracula illa non „ solum quarumdam rerum signa essent, sed etiam per se ad admirabilem „ Evangelii doctrinam multos allicerent „.

Evangelistæ itaque, ut peculiariter ad rem nostram veniamus, „ Invicem „ concurrunt (inquit S. Cyrillus Jerosolymitanus *Comment. in Joan.* lib. 1.) „ ad Divinorum dogmatum explicationem, & ad unum velut e carceribus fe„ runtur scopum. Diversus autem in eis quodammodo habitus orationis texi„ tur, & mihi similia videntur esse nonnullis, qui jussi quidem sunt in unam „ urbem convenire, sed per unam eamdemque regiam viam non utique visum „ est procedere. Alios enim videre est Evangelistas accurate admodum Ser„ vatoris genealogiam secundum carnem explicare, & ab Abrahamo ad Jo„ seph usque illius seriem deducere, aut facto rursus ascensu a Joseph usque „ ad Adam; Beatum vero Joannem istahæc haud multum curasse, sed per „ quam

(a) *Joannis* 11. v. 54.
(b) *Isaiæ* 35. v. 5.
(c) Hujus rei rationem nos infra reddemus ex S. Thoma, & S. Joanne Chrysostomo.
(d) *Lucæ* 8. v. 52.

„ quam calido, & fervido animi motu ea statim attingere, quæ mentem hu-
„ manam superant, & arcanam, atque ineffabilem Dei Verbi nativitatem
„ audacter exponere „. Sicuti ergo Sanctorum Evangelistarum in describenda vita Jesu Christi non una eademque ratio fuit, mirandum non est, si nonnulla miracula memoriæ posterorum unus tradenda esse putaverit, non item alius, sed secundum diversam rationem, quam unusquisque eorum, Sancto Spiritu dirigente, sequutus est, aliqua omnes, quædam vero unus, aut alter litteris consignaverit.

At vero illud quoque expendamus, quando nam fides alicujus auctoris inde nobis suspecta esse debeat, quia aliqua gesta esse tradiderit, quæ alii, dum eadem de re scriberent, omiserunt. Profecto tunc huic suspicioni locus esse potest, si qui eadem de re scripserunt, omnia persequutos se esse testentur; contra vero si nonnulla quidem licet distincte retulerint, tamen plura alia, quæ ipsi solummodo generatim indicant, singillatim referenda superesse inde demonstrent, tunc fides illius, qui ab aliis non memorata refert, in dubium omnino immerito revocabitur. Hoc vero est, quod in re nostra contingit. Quandoquidem verum quidem est, Sanctos Evangelistas Matthæum, Marcum, atque Lucam, plura eorum, quæ a Christo per miraculum gesta sunt, distincte referre; at quam sæpe etiam, dum Christi miracula commemorant, vel omnes, qui ei se obtulerunt, sanatos fuisse, vel Christum omnes male habentes curasse, vel omnem languorem abstulisse, vel fecisse sanos, quotquot eum sequebantur, vel demum mutos, cœcos, claudos, debiles, & alios multos ab omni infirmitate liberasse dicunt (a)? Quid plura? Nonne præter eam, quam a mortuis a Christo resuscitatam S. Matthæus tradit, alios quoque resuscitatos fuisse manifeste innuit (b)? Fides ergo Sancti Joannis nonnisi impie, atque imperite in dubium inde revocari potest, quia ipse tantum resuscitationis Lazari mentionem fecerit.

Quid vero dicendum erit, si S. Joannes tum resuscitationis Lazari, tum aliorum miraculorum, quæ ceteri Evangelistæ omiserunt, peculiarem rationem habuit, cur mentionem faceret? Nam S. Joannem inductum fuisse ad Evangelium scribendum, ut Ebionitas, Cerinthianos, atque Nicolaitas, qui Verbi Divinitatem tunc temporis negabant, potissimum confutaret, quoniam in hoc ceteros Evangelistas non omnem operam posuisse animadverterat, & Patres antiquissimi tradunt (c), & quæ ab ipso Evangelii initio S. Joannes prosequutus fuit, aperte demonstrant. Profecto tanta tamque insignia miracula Christus operatus fuit, non quatenus homo erat, sed quia humanitas a Divino Verbo in unionem hypostaticam assumpta fuerat: ergo si Christus, quatenus Deus erat, propria virtute, atque potestate miracula patravit, semel ac Joannes Divinitatem ejus peculiariter manifestare sibi proposuit, consequens inde quoque fuit, ut nonnulla miracula, quæ alii omiserant, ipse commemoraret, quamvis non omnia persequutus fuerit. Hinc non solum de resuscitatione Lazari, sed etiam de conversione aquæ in vinum in nuptiis Canæ Galilææ, de prophetico colloquio, quem cum Samaritana habuit Christus, de curatione filii

(a) Consulatur *Matt.* cap. 8. v. 16., cap. 9. v. 35., cap. 12. v. 15., cap. 14. v. 14., cap. 15. v. 30., cap. 19. v. 2., *Marci* cap. 1. v. 34., cap. 3. v. 10., cap. 6. v. 56., *Lucæ* cap. 4. v. 40., cap. 7. v. 21.

(b) *Matt.* 11. v. 5.

(c) S. Hieronymus lib. *de Viris Ill.* cap. 9., S. Epiphanius *adversus Hæreses* lib. 2. *Hæres.* 51. num. 12., & Auctor *Præfat. ad Tractat.* 124. S. Augustini *in Joannem*.

filii cujusdam Reguli, paralytici apud piscinam Betsaidæ, & cœci a nativitate expresse mentionem fecit.

Tandem nonne ea supplenda esse S. Joannes existimare poterat, quæ Christus gesserat initio suæ prædicationis, & ab aliis Evangelistis omissa fuerant? Hoc vero est, quod Eusebius tradit *Ecclesiast. Hist.* lib. 3. cap. 24. „ Perlatis „ jam (inquit) in omnium, ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tri„ bus Evangeliis, approbavisse ea Joannes, & veritatem Scriptorum suo te„ stimonio confirmasse dicitur: solam vero narrationem earum rerum, quas „ Christus circa prædicationis initium gesserat, desiderasse. Et profecto ita se „ res habet „. Non minus ergo impie, quam inepte Lazari resuscitationem a Woolstono in dubium inde revocatur, quia solus Joannes de ea mentionem fecit.

Verum, inquit Woolstonus, quum resuscitatio Lazari quid peculiare habeat supra ceteras, nulla ratione ab aliis Evangelistis omitti debuerat. Hoc quidem verum esse posset, si quæ Christus gessit, singula referre Evangelistæ sibi proposuissent, vel nihil aliud præter Lazari resuscitationem adducere potuissent, quo infinitam Christi virtutem commendarent. Tamen neque illud a se præstandum susceperunt, & plura alia habuerunt, quibus Christi Divinitatem vindicarent.

At vero illud quoque a Woolstono quærimus, Lazari resuscitationem quid peculiare habuisse supra ceteras, quæ ab aliis Evangelistis commemorantur, unde tandem concludat. Profecto qui mortui sunt, eadem infinita Divina virtus quoad omnes requiritur, ut vivificentur, quum quoad omnes æquali ratione id præstari oporteat, quod natura non potest: ergo eadem Divina virtus necessaria fuit, tam ut Lazarus, quam ut filius viduæ, & filia Iatri resuscitaretur: ergo si resuscitationem in se spectemus, Christi Divina virtus tam in Lazaro, quam in filio viduæ, & filia Iatri æqualiter manifestata fuit; sed in resuscitatione in se spectata vis miraculi potissimum consistit: ergo ex hoc quoque capite resuscitationis Lazari etiam ab aliis Evangelistis mentionem fieri debuisse, Woolstonus temere, ut omnia, & absurde jactat. Tametsi, quia Lazari corpus jam computruerat, minus idoneum erat ad vivificationem, quam corpora filii viduæ, & filiæ Iatri: unde quamvis vivificatio in hisce omnibus æqualis fuerit, quia singuli æque vita carebant, nihilominus vivificatio Lazari quoad suum subjectum quid peculiare habuit, quod ad substantiam ipsius vivificationis non spectat.

Illud quoque observetur oportet, uti jam alibi (a) ex S. Thoma (b) monuimus, miraculum esse triplicis generis: nam quædam miracula naturæ facultatem excedunt quantum ad id, quod fit, quia natura illud facere non potest; quædam quantum ad id, in quo fit; nonnulla quantum ad modum, & ordinem faciendi. Ea miracula naturæ facultatem excedunt quantum ad id, quod fit, per quæ aliquid producitur, quod natura nullo modo producere potest: hujus generis miraculum contingit, quando Divina virtute fit, ut duo corpora sint in eodem loco, quum per naturæ vires hoc evenire nullo modo possit. Quando autem Divina virtute id in aliquo subjecto producitur, quod per naturæ vires produci non potest in eodem subjecto, quamvis in alio & produci possit, & producatur, tunc miraculum naturæ vires excedit quantum ad id, in quo fit: hujusmodi est resuscitatio mortuorum, quia vita per naturæ vires causari

(a) Lib. 2. *Theol. Revel.* qu. 2. ar. 2. (b) I. par. qu. 105. art. 8.

fari non poteſt in corpore mortuo. Demum ſi aliquid per Divinam virtutem fiat, contra ac naturæ ordine contingere poteſt, miraculum naturam excedit quantum ad modum, & ordinem faciendi: tale eſt miraculum, quo quis ſtatim ab infirmitate curatur, vel aër momento temporis denſatur in pluvias. Miracula primi generis præ ceteris omnibus præcellentiora eſſe, etiam me tacente, nemo non videt. Hiſce vero ſuccedunt, quæ naturæ facultatem excedunt quantum ad id, in quo fiunt, & ultimum locum ea obtinent, quæ ſunt ſupra naturam quantum ad modum, & ordinem faciendi. Illud ergo a Woolſtono modo quæro, an naturaliter fieri poſſit, ut quinque, vel ſeptem panibus pauciſque piſcibus quatuor, aut quinque millia hominum ſaturentur, plurimumque etiam ex iiſdem ſuperſit? Profecto tam impudenter inſanum eum eſſe non arbitror, ut hac de re contendere velit: ergo hoc miraculum tale in ſe eſt, ut etiam reſuſcitationem mortui dignitate præcellat: ſed de hujuſmodi miraculo S. Matthæus, Marcus, atque Lucas mentionem faciunt (a): ergo quamvis demus reſuſcitationem Lazari etiam in ſe ſpectatam aliquid præcellentius continere, quam reſuſcitationem filii viduæ, & filiæ Jairi; tamen ob hanc præcellentiæ dignitatem contra ac Wolſtonus contendit, nihil neceſſe erat, ut de ea Matthæus, Marcus, atque Lucas mentionem facerent, quum aliud miraculum commemoraverint, quod Lazari reſuſcitationem in dignitate ſuperat. Evangeliſtarum ergo nemo fuit, qui Chriſti gloriam, atque potentiam eo miraculi genere non evulgaverit, quod primum inter cetera locum obtineret: ergo Woolſtonus nullam calumniandi occaſionem inde arripere poteſt, quod Evangeliſtæ omnes Chriſti gloriam, atque poteſtatem evulgare ſibi propoſuerant.

Sanctum Joannem autem Evangelium in ſua ſenectute conſcripſiſſe, Woolſtono damus, non vero tunc temporis illos omnes fuiſſe mortuos, qui reſuſcitationis Lazari teſtes eſſe potuerunt. Quandoquidem ſi reſuſcitationi Lazari unus tantum, aut alter teſtis fuiſſet, ſi non plures Lazarum reſuſcitatum cum Jeſu Chriſto accumbentem vidiſſent, ſi demum eo intervallo temporis, quod interceſſit a Lazaro reſuſcitato uſque ad ſcriptionem Evangelii S. Joannis, multi Lazarum noſcere, & cum eo etiam familiariter agere non potuiſſent, fortaſſe Wolſtonus aliquam arripere poſſet calumniandi occaſionem; ceterum quum multi ex Judæis adfuerint, quando Chriſtus Lazarum reſuſcitavit (b); quum turba multa Judæorum convenerit ad videndum Lazarum cum Chriſto in cœna recumbentem (c); quum demum multi alii Lazarum videre deinde potuerint; ſolus Woolſtonus cum ea fronte affirmare poterat, omnes illos mortuos fuiſſe, quando S. Joannes ſuum Evangelium conſcripſit. Quandoquidem, uti S. Ephiphanius tradit lib.2. *adverſus Hæreſes hær.* 66. nu. 34. „ Nec eſt, quod ſibi „ quiſquam perſuadeat Lazarum ſubinde eſſe mortuum. Hoc enim Evange„ lium aperte declarat, accubuiſſe poſtea Jeſum, & cum eo Lazarum ſimili„ ter accubuiſſe. Quin & illud inter traditiones reperimus, triginta tum an„ nos natum fuiſſe Lazarum, quum a mortuis excitatus eſt: atque idem ille „ poſtea triginta aliis annis vixit „ (d). Verum quod Woolſtonus ita ſuſpican-

(a) *Matt.* 15. ver. 35, & cap. 16, v. 9., & 10. *Marci* 8. v. 5. & ſeq. *Lucæ* 9. v. 13. & ſeq.

(b) *Joannis* 11. v. 45.

(c) *Joannis* 12. v. 9.

(d) Hac de re Launojus conſulatur in Opuſculis *de Commentitio Lazari & Maximini, Magdalenæ, & Marthæ in Provinciam appulſu*, atque Natalis Alexander *in Hiſt. Eccleſiaſt.* ſæc. I. *Diſſert.* 17. quamvis enim contra ſe pugnent, evidentibus teſtimoniis antiquorum a Woolſtono uterque advertatur.

do erraverit, veniam illi damus; at quod inde se colligere velle significat, hoc est, S. Joannem hanc historiam tradidisse memoriæ posterorum, quando nemo amplius supererat, a quo redargui posset, hoc vero est, quod nullo modo ferre possumus. Quid? anne eorum, quæ Christus gesserat, Christiani recentem memoriam adhuc non habebant? anne Judæi tantum mendacium, cujus ipsi testes adhibebantur, taciti prætериissent? Verum hac de re infra uberius disseremus, quemadmodum alias innuimus.

„ Joannes Apostolus (inquit S. Hieronymus *de Viris Illustribus* cap. 9.) „ quem Jesus amavit plurimum, filius Zebedæi, frater Jacobi Apostoli, quem „ Herodes post passionem Domini decollavit, novissimus omnium scripsit Evan„ gelium, rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, aliosque hæreti„ cos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum „ ante Mariam non fuisse. Unde & compulsus est Divinam ejus nativitatem „ edicere. Sed & aliam caussam hujus scripturæ ferunt, quod quum legisset „ Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probaverit quidem textum historiæ, „ & vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantum anni, in quo & passus est, „ post carcerem Joannis historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cujus acta „ a tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Joannes clauderе„ tur in carcere, gesta narravit: sicut manifestum esse poterit his, qui dili„ genter quatuor Evangeliorum volumina legeriut „. Rogatus ergo S. Joannes ab Asiæ Episcopis in sua senectute quum fuerit, ut Evangelium scriberet, mirandum non est, si senex hoc opus perfecerit. Deinde nonne *maxime Ebionitarum hæresis tunc consurgens* ad scribendum Evangelium eum potissimum impulit, quemadmodum ex iis, quæ scribendo peculiariter prosequutus fuit, unicuique compertum esse potest? „ Quum Lucas [inquit S. Epiphanius *adver„ sus Hæreses* lib. 2. *hæresi* 51. num. 12.] ab inferioribus ad superiora gene„ rationes perduxisset, ac Divinum Verbum e cœlo delapsum esse significas„ set, simulque susceptæ carnis ab eo mysterium attigisset, ut cœcos homi„ nes ab errore revocaret: hoc illi tamen assequi nequiverunt. Ob id dein„ de Spiritus Sanctus Joannem, invitum licet, ac religione quadam, & animi „ moderatione defugientem, ad scribendum Evangelium impulit, affecta jam „ ætate, utpote qui jam nonagesimum annum excederet, postquam a Patmo „ insula reversus est, quod quidem, Claudio imperante, contigit. Quamobrem „ quum multos jam annos mansisset in Asia, Evangelium scribere coactus est „. Quod ergo Evangelium S. Joannes quadam necessitate compulsus in sua senectute conscripsit, antea conscribere præmeditatus non fuerat: ergo certa quoque ratio fuit, cur senex hoc præstiterit, cujus quidem rei etsi nullam Woolstono rationem afferre possemus, tamen calumniandi occasionem non haberet, quum & alii multi fuerint, qui ætate provectiori aliqua conscripserint.

At cur Christus tres resuscitavit, qui nullius auctoritatis in Republica erant? Hic quoque audacia Woolstoni se prodit. Profecto si ab homine, qui gratuita liberalitate nonnullis benefecerit, non item aliis, illud quæratur, cur iisdem potius profuit, quam aliis, nonnisi impudenter hoc quæri posse ex se constat. A Christo autem, qui omnia novit, atque vidit, qui non minus infinita potentia, quam sapientia, & sanctitate præditus est, hoc Woolstonus non impudentissime quæret? Rursus: ineptissimus ille haberetur, qui aliquem hominem nemini benefecisse inferre inde vellet, quia aliquibus tantum profuisset,

ſet, non tamen illis, quos adjuvandos eſſe ipſe ſibi confingeret. Hoc vero eſt, quod Woolſtonus inſipientiſſime contendit: nam Chriſtum tres infimæ conditionis homines reſuſcitaſſe non alia de cauſſa conqueritur, niſi ut horum quoque trium reſuſcitationem in dubium revocet. Summam ergo ſemper inſipientiam prodit cum audacia conjunctam.

Id ergo Chriſtus primo ſibi propoſuit, quando miracula fecit, ut ſuam doctrinam, ſuamque miſſionem iis argumentis confirmaret, quæ evincerent utramque Divinam eſſe, deinde vero ut aliorum miſeriæ ſuccurreret. Unde num in beneficium unius, qui nullius conditionis erat, an in favorem alterius, qui dignitate præcellebat, ea patraverit, parum refert.

Attamen Jairum fuiſſe unum de plebe hominem falſum eſt. Nam S.Matthæus cap. 9. v. 18. de eo ita habet: *Ecce princeps unus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt*. S. Marcus vero (a), & S. Lucas (b) unum ex Archiſynagogis fuiſſe dicunt. Lazarus autem Chriſti amicitia dignus habitus jam fuerat: quid ergo convenientius, quam ut in eo Chriſtus ſuæ potentiæ ſimul, atque benignitatis argumentum daret? Tandem mater filii, quem Chriſtus ſuſcitavit a mortuis, & vidua erat, & præter mortuum filium alium non habebat, propter quod etiam ut vicem illius multi dolerent, promeruiſſe viſa eſt, quia (c) *Turba civitatis multa cum illa*: cur ergo etiam Chriſtum ejus miſereri convenientiſſimum non fuerit?

Hiſtoriam autem Jeſu Chriſti ſcribere Evangeliſtæ ſibi propoſuerunt: hinc eſt, ut quæ referunt, non propter ſe ipſa referant. Sed quatenus ad eam ordinantur. Quapropter illud ſatis eſt, ut quæ requiruntur ad cognoſcendam veritatem miraculorum diſtincte tradiderint, non vero neceſſarium erat, ut ſingulorum hominum, quos commemorare debuerunt, hiſtoriam texerent. Nimis profecto operoſum hoc fuiſſet, & ab eorum inſtituto alienum.

Quid vero de his, quos reſuſcitatos fuiſſe legimus, factum fuerit, probabiliter conjici poteſt; hoc eſt, vel ſequutos Apoſtolos, vel unumquemque eorum accepti beneficii memorem pro viribus curaſſe, ut Chriſti Divinitas agnoſceretur. Negari tamen non poteſt, quæ Lazarus geſſit ex antiquis Scriptoribus noſſe nos poſſe, de quibus non eſt, cur modo diſputemus. Quadratus in *Apologia*, quam pro defenſione Chriſtianæ Religionis Ælio Adriano obtulit, aliquos eorum, qui a Chriſto reſuſcitati fuerant, ad ſua uſque tempora vixiſſe tradit; uti legitur apud Euſebium *Eccleſiaſt. Hiſt.* lib. 4. cap. 3. „ Servatoris autem noſtri opera, *inquit*, ſemper conſpicua erant, quippe quæ vera eſſent: ii ſcilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non ſolum dum ſanabantur, conſpecti ſunt ab omnibus, ſed ſequuto deinceps tempore. Nec ſolum quandiu in terris moratus eſt Servator noſter, verum etiam poſt ejus diſceſſum diu ſuperſtites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad noſtra uſque tempora pervenerint „.

Si alius præter Woolſtonum a reſuſcitatis aliqua quoad ſtatum, & locum, in quo fuerunt, & quoad ſocietatem, quam habuerunt, diſcere ſollicitus fuiſſet, ferri fortaſſe poſſet; at Woolſtonum id audere, ferri nullo modo debet. Nam quoad iſta fidem Evangeliſtis præberet, vel non præberet: ſi fidem ſe iiſdem habiturum dicat; cur ergo & aliis quoque non habet, quæ clare, aper-

(a) Cap. 5. v. 22. (b) Cap. 8. v. 41. (c) Lucæ 7. v. 12.

te, atque distincte Evangelistæ retulerunt? si autem & hæc quoque se negaturum affirmet; cur ergo ea nosse cupit, quæ rejicere, & contemnere in animo habet? Verum mirandum non est, si homo impius in hujusmodi laqueos sese conjecerit.

Deinde undenam tandem Woolstonus novit in eo statu separationis non potuisse esse suspensas animæ operationes, ita ut nullas novas ideas, qui resuscitati fuerunt, acquirere possent, vel etiamsi acquirere potuerint, eas tamen nec retinere, nec de iisdem alios certiores facere potuerint? Profecto S. Paulus raptus ad tertium cœlum (a) *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Cur ergo & hi, qui resuscitati fuere, ea audire, vel videre non potuerunt, quæ hominibus loqui non liceret? Verum neque necessarium fuit, ut de hisce rebus aliquid manifestarent: nam in Evangelio quid tam justis, quam impiis futurum sit, ut eveniat, distincte revelatum, sæpiusque repetitum habemus. Quapropter sicuti diviti roganti Abraham, ut Lazarum jam mortuum mitteret ad suos fratres, ne caderent in locum tormentorum, in quo ipse erat, Abraham recte respondit: (b) *Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*; ita & nos quoque Woolstono reponere possumus; si Evangelium non audis, ne iis quidem crediturus esses, quæ resuscitatos dixisse, in eodem Evangelio narraretur.

Illud ergo nunc superest, ut solvamus, quæ contra veritatem horum trium miraculorum Woolstonus directe opponit. S. Thomas in *Matthæi* cap. 9. explicans illa verba: *Non est mortua puella*, hæc quoad rem nostram recte observat: „ Hic, *inquit*, dat spem. Non est mortua, scilicet sibi, sed dormit, „ quia est ita facile resuscitare, sicut alicui aliquam excitare a somno. Simi„ le habetur *Joannis* 11. *Lazarus amicus noster dormit*. Et quare dixit hoc „ modo? Quia deridebant eum. Et quare voluit derideri? Hoc fuit, ut non „ possent contra miraculum dicere. Unde primo adversarios faciebat confite„ ri, ut post contradicere non possent. *Et quum ejecta esset turba*. Et quare „ ejecta fuit turba? Quia videre non fuit digna „. Verum etiam S. Joannem Chrysostomum hac eadem de re uberius differentem audiamus: „ Pulchra „ certe (inquit S. Doctor homil. 31. *in Matthæum* num. 2., alias homil. 32.) „ Archisynagogorum indicia, quum post mortem tibiæ, & cymbala ad fle„ tum moverent. Quid igitur Christus? Alios omnes expulit, parentes autem „ introduxit, ne dici posset alium curavisse: & antequam suscitet, voce il„ lud efficit, quum ait: *Non est mortua puella, sed dormit*. Multis quoque „ aliis in locis hoc facit: ac sicut in mari primum discipulos increpavit; sic „ & hoc loco ex præsentium mentibus perturbationem ejecit, simul ostendens „ facile sibi esse mortuos suscitare. Quod etiam in Lazaro fecit, dicens: (c) „ *Lazarus amicus noster dormit*, una docens non timendam esse mortem: ne„ que enim jam esse mortem, sed somnum. Nam quia ipse moriturus erat, „ aliorum corpora suscitando discipulos præparabat ad fiduciam sumendam, „ mortemque suam leniter ferendam. Postquam enim ipse advenerat, mors „ jam nonnisi somnus erat. Attamen deridebant eum: ipse vero non indigne „ tulit, quum non crederent iis, quæ mox ipse mirabiliter operaturus erat. „ Neque increpavit ridentes, ut & risus, & tibiæ, & cymbala, aliaque „ omnia mortis essent testimonia „.

Nu-

(a) II. *Corint.* 12. v. 4. (b) *Lucæ* 16. v. 31. (c) *Joan.* 11. v. 18.

Numero autem 3. ita prosequitur: „ Quia enim miracula patrata sæpe non
„ credunt homines, sua ipsorum responsione illos prævenit, ut & in Lazaro, &
„ in Moyse factum est: Moysi namque dixit: (a) *Quid hoc est in manu tua?*
„ ut quum vidisset serpentem factum, non oblivisceretur virgam prius fuisse,
„ sed vocis propriæ recordatus, de re gesta obstupesceret. Et de Lazaro ait: (b)
„ *Ubi posuistis eum?* Ut qui dixerunt: *Veni, & vide, & jam fœtet, quatri-*
„ *duanus enim est*, non dubitare potuissent, quin ipsum mortuum suscitavisset.
„ Videns igitur cymbala, & turbas, omnes ejecit, & in præsentia parentum
„ miraculum operatur... Apprehendit vero manum, ut spectatores certiores
„ fierent, & hoc exemplo viam pararet ad fidem resurrectionis. Pater nam-
„ que dicebat: *Impone manum*: ille vero plus facit: non imponit enim, sed
„ apprehendit, & suscitat mortuam, ostendens omnia ipsi prompta parataque
„ esse. Neque modo suscitat, sed cibum ipsi dari jubet, ne videretur res es-
„ se phantasma. Neque ipse dat, sed alios dare jubet. Quemadmodum & de
„ Lazaro ait: *Solvite illum, & finite abire*, & postea mensæ consortem effi-
„ cit. Etenim semper utrumque comprobare solet, & mortem, & resurrectio-
„ nem accuratissime assertam. Tu vero ne solam resurrectionem perpendas ve-
„ lim, sed etiam quod præceperit, ut nemini dicerent; & per omnia disces
„ fastum, vanamque gloriam omnino esse vitandam „. Hom. vero 32. nu. 1.
alias 33. explicans illa verba *Matt. 9. v. 30. Videte, ne quis sciat*, hæc habet:
„ Deinde post factam curationem præcepit, ut nemini dicant, non simpliciter
„ præcipit, sed vehementissime vetat: nam acriter illis interminatus est, inquit
„ Jesus, dicens: *Cavete ne quis sciat. Illi vero egressi prædicaverunt eum in tota*
„ *terra illa*. Non se continere illi potuerunt, sed fuere præcones, & Evangelistæ,
„ jussique tacere id, quod factum fuerat, obsequi non potuerunt. Quod si alibi di-
„ cat: *Vade, & narra gloriam Dei*, illud jam dictis non repugnat, immo illis ad-
„ modum consonat. His enim nos instituit, ut ne prædicemus nos ipsos, immo &
„ coerceamus eos, qui nos celebrare vellent: si vero ad Deum gloria referatur,
„ non modo non impediamus, immo id agere aliis præcipiamus „. Impie er-
go pro more suo Woolstonus puellam vere resuscitatam non fuisse inde cavilla-
tur, quia adstantibus Christus præcepit, ne a se patratum miraculum manifesta-
rent. Nam Christus suo exemplo in iis quoque, quæ Divina virtute operaba-
tur, nos docere voluit, unde mirandum non est, si, ut humilitati a nobis in-
hærendum esse insinnaret, sua miracula aliquando occultari voluerit. Verum
quum, omnibus inspicientibus, eorum plura fecerit; quum omnem suspicionem
falsitatis ipse per se ab iisdem amoverit; quum sæpius præceperit, ut ea ma-
nifestarentur, immo talia plerumque fuerint, ut non manifestari non possent;
unus tantum Woolstonus adinveniri poterat, qui in hoc miraculo fraudi locum
fuisse nugaretur, quia Christus illud occultari præcepit.

Verum enimvero, ut Woolstonus de falsitate, atque impietate suæ su-
spicionis magis magisque convincatur, totam rem istam adhuc diligentius expen-
damus. Christo itaque redeunti e regione Gerasenorum Archisynagogus occur-
rit, qui procumbens ad pedes ejus, qua orationis efficacia potest, ipsum ob-
secrat, ut ad suam domum accedat, quia unica filia, quam habebat, jamjam
moritura erat. Roganti Christus morem gerit, & una cum eo, aliisque non-
nullis versus domum ejus iter instituit. Nuncius interea advenit, qui puellam
Q 2 mor-

(a) *Exodi* 4. v. 2. (b) *Joann.* 11. v. 38.

mortuam esse affirmat. Christus hoc audiens patrem consolatur, eique jubet, ut fide non deficiat: id si fecerit, filiam salvam futuram esse pollicetur. Institutum ergo iter prosequitur, & Archisynagogi domum dum intrat, fletu, & clamoribus eam undique personare comperit. Imperat ergo omnibus, ut a lacrymis sibi temperent, quia, *Non est*, inquit, *mortua puella*, idest perinde ac si, ut ipsi putabant, mox resuscitanda non esset, *sed dormit*, hoc est non magis vitam ejus reliquam desiderabitis, quam tantisper dormientis: a cunctis irridetur: tunc vero ipse, puellæ manu apprehensa, inquit: (a) *Puella, surge: & reversus est spiritus ejus, & surrexit continuo*. Tota res ita gesta fuit; nunc autem videamus, num aliqua Impostura subesse potuerit. 1. Itaque ab impostore alienum est, ut de aliena graviori infirmitate certior factus, ad eam curandam vocatus statim accedat, potius quam varias excusationes prætexat, ne qualis est, cognoscatur; atqui Christus non ita se gessit: ergo. 2. Impostores eos se resuscitaturos non promittunt, quos revera mortuos esse dubitare non possunt; sed Christus, quamvis puellam mortuam esse dubitare non possit; tamen eam se resuscitaturum promittit: ergo. 3. Impostores malum, quod se ablaturos esse falso spondent, non minus, sed majus esse jactant, quam in aliorum sententia sit, ut plurimum auctoritatis inde sibi concilient; sed Christus non ita se gessit: ergo. 4. Impostores, quod præstitisse simulant, in vulgus spargi curant, præcipue si apud adstantes fidem obtinuerint; sed Christus hoc de eo prohibuit, quod revera præstiterat: ergo. At vero puellam aliquo deliquio oppressam, & non revera mortuam fuisse ponamus, atque ita fraudi locum esse potuisse. Verum impostor, quomodo id noscere poterat, antequam puellam videret, vel etiam postquam viderat, si omnia signa mortis præseferebat? quomodo perspectum habere momentum, quo a deliquio excitanda erat? qua ratione tangendo manum ejus efficere, ut statim surgeret, & omnino sana evaderet? At non est, cur in his diutius immoremur, immo in refellenda tam putida calumnia, a Sanctissimo Servatore nostro indignissime indigna tandiu immoratos fuisse puderet, nisi ad id impia hominis impudentia nos coegisset.

Convenisse autem inter Christum, & matrem unici filii de resuscitatione, quæ sicuti Woolstonus impie contendit, simulanda erat, unde nam tandem impius homo novit? vel potius undenam vel levissimam, atque omnino apparentem suspicionem habuit? Profecto etiamsi de vulgari homine ageretur, si tamen ad ea attendamus, quæ in Evangelio leguntur, nullus hujusmodi suspicioni locus dari merito posset: de Christo autem quum agatur, qui tanta operatus fuit, qui semper sanctissima præcepta tradidit, qui Deum se esse verbis comprobavit, atque factis, adeo impius Woolstonus erit, ut hoc suspicari audeat? Sanato ergo servo Centurionis, versus civitatem Naim Christus pergebat: (a) ,, Quum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa ,, cum illa. Quam quum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, ,, dixit illi: noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt) & ait. Adolescens, tibi dico: surge. Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem ,, omnes timor: & magnificabant Deum dicentes: quia Propheta magnus sur- ,, rexit

(a) *Lucæ 7. v. 12. & seq.*

„ rexit in nobis: & quia Deus visitavit plebem suam „. Ex hujusmodi autem narratione hæc contra impiam Woolstoni suspicionem observanda per se occurrunt. 1. Ut humano modo loquamur, fortuito incidisse Christum tam in puerum, qui ad sepulturam deferebatur, quam in alios, qui eum comitabantur. 2. De morte filii constitisse testimonio multorum. 3. Quando ad sepulturam deferebatur; hoc est, postquam a morte illius intercesserat aliquid temporis, a mortuis fuisse resuscitatum. 4. Hoc miraculum, multis inspicientibus, etiam non rogatum Christum fecisse. 5. Sola voce defunctum puerum a mortuis revocasse. 6. Tandem omnes adstantes de miraculi veritate fuisse persuasos. His autem omnibus Woolstoni suspicionem omnino destrui unusquisque per se videre potest.

At non revera mortuus, sed lethargo oppressus puer iste fuerit, quamvis, omnibus consentientibus, veræ mortis indicia manifesta in se haberet. Impostor qua ratione divinare momentum potuisset, in quo a lethargo excitandus erat? qua ratione efficere, ut sua voce excitaretur, ut statim loqueretur, atque sanus, & incolumis suæ matri restitueretur? Verum non est, cur in hisce diutius immoremur.

Quæ ergo contra Lazari resuscitationem Woolstonus opponit, eadem ratione, ac superiora, non minus impia, quam futilia esse nunc superest, ut demonstremus. Patrum vero auctoritate id potissimum præstabimus. „ Fremuit spi-
„ ritu [inquit S. Thomas lect. 5. in *Joannis* 10. cap.] quasi judicium rationis
„ servans... Quandoque autem contingit, quod hujusmodi passiones sensitivæ
„ partis nec fiunt spiritu, nec servant moderamen rationis, quin potius ipsam
„ magis perturbant, quod quidem in ipso non fuit, quia infremuit spiritu. Sed
„ quid significat fremitus Christi?.... Responsio: dicendum, quod hic fremi-
„ tus in Christo iram quamdam, & indignationem cordis significat: omnis
„ autem ira, & indignatio ex aliquo dolore, & tristitia causatur. Duo autem
„ hic suberant. Unum, de quo Christus turbabatur, quod erat mors homini in-
„ flicta propter peccatum. Aliud autem, de quo indignabatur, erat sævitia
„ mortis, & diaboli. Unde sicut quando aliquis vult repellere hostem, dolet
„ de malis illatis ab ipso, & indignatur ad animadvertendum in eo, ita &
„ Christus doluit, & indignatus est. Potestatem autem: quia ipse suo imperio
„ turbavit semetipsum. Nam hujusmodi quidem passiones aliquando insurgunt
„ ex caussa indebita, sicut quum aliquis de malis gaudet, & de bonis trista-
„ tur... Et hoc non fuit in Christo. Unde dicit: (a) *Ut vidit eam plorantem*.
„ Aliquando insurgunt ex aliqua caussa bona, non tamen ratione moderantur:
„ & propter hoc dicit: (b) *Infremuit spiritu*. Aliquando autem etsi moderen-
„ tur ab aliquo, præveniunt tamen judicium rationis, cujusmodi sunt subiti
„ motus. Quod quidem in Christo non fuit, quia omnis motus appetitus sen-
„ sitivi fuit in eo secundum modum, & imperium rationis, & ideo dicit: (c)
„ *Turbavit semetipsum*: quasi dicat: judicio rationis hanc sibi tristitiam assum-
„ psit... Voluit autem Christus se turbare, & tristari ex triplici caussa: pri-
„ mo quidem ad probandam conditionem, & veritatem humanæ naturæ: se-
„ cundo ut dum tristatur, & cohibet se ipsum, doceat modum servandum esse
„ in tristitiis. Stoici enim dixerunt, quod nullus sapiens tristatur. Sed valde
„ inhumanum esse videtur, quod aliquis de morte alicujus non tristetur. Ali-
„ qui

(a) *Joan.* 11. v. 33. (b) Ibidem. (c) Ibidem.

„ qui autem ſunt, qui in triſtitiis de malo amicorum nimis excedunt. Sed Dominus triſtari voluit, ut ſignificet tibi, quod aliquando debeas contriſtari, „ quod eſt contra Stoicos, & modum in triſtitia tenuit, quod eſt contra ſecundos... Tertia ratio eſt, ut inſinuet, quod nos pro mortuis corporaliter „ triſtari, & plorare debemus ſecundum illud *pſal. 37. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis*. Conſequenter Dominus affectum ſui cordis verbis demonſtrat, unde dicit: (a) *Ubi poſuiſtis eum?* „

„ Sed contra: nunquid Dominus locum ubi poſitus erat, ignorabat? videtur, quod non. Nam ſicut virtute Divinitatis abſens ſcivit mortem ejus, „ ita ſcivit etiam locum ſepulcri. Quare ergo quærit, ex quo ſcivit? Reſponſio: dicendum, quod, non ut ignorans interrogat, ſed quum a populo ſibi „ ſepulcrum oſtenditur, vult eos cofiteri Lazarum mortuum, & ſepultum; & „ ſic miraculum ab omni ſuſpicione eripiat „.

Lectione vero 6. exponens illud Joannis: (b) *Jeſus ergo rurſus fremens in ſemeptipſo*, hæc habet. „ Et ſicut Joannes ceteris Evangeliſtis expreſſius „ Divinam naturam, & poteſtatem oſtendit; ita etiam quædam infirmiora de „ eo loquitur, ſicut quod lacrymatus eſt, quod infremuit, & hujuſmodi, „ quæ maxime affectum in Chriſto demonſtrant humanæ naturæ... Sed quæritur, quum majus ſit ſuſcitare mortuum, quam removere lapidem, quare „ non etiam ſimul cum hac ſua virtute lapidem ſuſtulit? Ad quod reſpondet „ Chryſoſtomus, quod factum eſt ad majorem certitudinem miraculi, ut ſcilicet eos teſtes faciat miraculi, ut non dicant, quod in cæco dixerunt: non „ eſt hic, qui mortuus fuit „, Hinc etiam „ ad oſtenſionem veritatis miraculi, quaſi jam per putrefactionem inciperent membra reſolvi „ factum fuiſſe dicit S. Doctor, ut Lazari corpus fœteret, antequam reſuſcitaretur.

Tandem S. Doctor in eadem lectione explicans illa verba (c). *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata*, iſta ſuperaddit: „ Id eſt, faſciis, quibus antiqui mortuos „ involvebant: *& facies ejus ſudario erat ligata*, ne ſcilicet horrorem faceret. Ideo autem ligatum, & coopertum reſurgere juſſit, ut miraculum magis approbetur. Mandat, ut ſolvatur, cujus quidem ratio eſt, ut ipſi, qui „ ſolverant, fidentiores teſtes eſſent miraculi, & ejus, quod ſit, tenaciorem „ memoriam haberent. Similiter etiam dum, quum tangunt, & ſibi appropinquat, videant, quod vere eſt ille. Ideo autem addidit: (d) *Sinite abire*, „ ut oſtendat miraculum non eſſe phantaſticum. Aliqui enim Magi aliquando „ viſi ſunt mortuos ſuſcitaſſe, non tamen ad hoc eos perducere potuerunt, „ ut priſtina officia exequerentur, & hoc quidem erat, quia eorum reſuſcitatio phantaſtica tantum erat, & non vera „. Hæc S. Thomas. Ex hiſce vero omnibus illud conſtat hujus miraculi veritatem etiam inde confirmari, unde Woolſtonus calumniandi occaſionem impudenter accipit.

Cur autem contra Lazarum, atque Chriſtum animi Judæorum incitati fuerint, plures rationes affert S. Joannes Chryſoſtomus homil. *66. in Joannem* nu. 1., alias homil. 65. „ Atqui *inquit*, multa ſigna fecerat, ſed nullum eos „ ita efferaverat, non paralyticus, non cæcus. Hoc enim ex natura mirabilius erat, & poſt multa alia factum. Reſque ſtupenda erat videre mortuum „ qua-

(a) Eodem cap. v. 34.
(b) Eodem cap. v. 38.
(c) Eodem cap. v. 44.
(d) *Ibidem.*

„ quatriduanum ambulantem, & loquentem. Pulchra sane festi officia, cædibus solemnitatem miscere! Præterea illic de violato sabbato accusabant eum „ & hac ratione populum abducebant; hic vero quia nihil poterant criminis „ offerre, contra suscitatum machinantur. Neque poterant hic dicere ipsum „ esse Patri adversarium: precatio enim cohibebat illos. Quoniam igitur sublata erat assidua illa accusandi materia, signumque conspicuum erat, ad eadem feruntur: idipsumque facturi erant erga cœcum, nisi sabbati crimen adfuisset. Alioquin ignobilis ille erat, ejeceruntque illum de templo: hic autem vir insignis, ut liquet ex eo, quod multi sorores ejus consolatum venerint, & miraculum, videntibus omnibus, editum fuerat, atque stupendo modo. Ideo omnes visum accurrebant. Hoc illos mordebat, quod, instante solemnitate, illa missa, omnes Bethaniam advolarent. Illum ergo occidere moliti sunt, & nihil audere sibi videbantur, ita sanguinarii erant „. Verum S. Augustini verbis ut utar *Tract.* 51. *in Joannem* ca. 12. 4. „ O stulta cogitatio, & cœca sævitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, nunquid auferebatis Domino potestatem „?

Quum autem tempus passionis nondum advenisset, ideo mirandum non est, si Christus post patratum miraculum a Judæis se subtraxit, ne ab iisdem caperetur. Et sane evidenti rationi nihil magis contrarium esse potest, quam quod Woolstonus inde impie calumniatur. Quid? nonne Christus post non multos dies e civitate Ephrem Bethaniam rursus rediit (a). *Ubi Lazarus fuerat mortuus*? nonne ibi una cum Lazaro simul cœnavit? nonne (b) „ Cognovit turba „ multa ex Judæis, quia illic est: & venerunt non propter Jesum tantum, „ sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis „? Nonne (c) „ In crastinum turba multa, quæ venerat ad diem festum, quum audissent, quia „ venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt „ obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel? Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum.... Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum a mortuis. Propterea & obviam „ venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum „. Sola ergo Woolstoni impudentia huc pertingere poterat, ut affirmare auderet Christum aufugisse, quia impostura, quam in resuscitatione Lazari adhibuisset, detecta esset.

Num. XI.

De miraculo, quo Christus paucibus panibus, atque piscibus plura millia hominum in deserto satiavit.

Nihil magis a veritate alienum esse potest, inquit suo more Woolstonus, quam tantam gentium multitudinem, quantam in Evangelio legimus, Christum in deserto docentem fuisse sequutam, ut Christum per triduum patienter auscultaverit, sine alimentis in loca se deserta contulerit, nullumque subsidium ab iis sibi procuraverit, qui in vicinis locis habitabant. Hisce vero omnibus simul unitis illud efficitur, probabile non esse, paucis panibus, atque pisci-

(a) *Joann.* 12. v. 1. (b) Eodem cap. v. 9. (c) Eodem cap. v. 12. & seq.

piscibus plura millia hominum exsaturata fuisse, quemadmodum in Evangelio legitur.

At quod de multitudine hominum, qui Christum sequebantur, Woolstonus opponit, contra ipsum facit. Inde enim manifesto consequitur, de veritate miraculorum Christi multos ita fuisse persuasos, ut de illius Divina virtute nullo modo dubitaverint. Verum fallaciam hominis, ineptamque cavillandi rationem expendamus. Non omnes Judæi, ita ipse argumentatur, in Christum crediderunt: ergo Christi miracula vera non erant. Probabile non est, tantam multitudinem hominum Christum in deserto docentem fuisse sequutam: ergo falso dicitur, Christum effecisse, ut paucis panibus, atque piscibus plura millia hominum saturarentur. Ibi ergo ob defectum multitudinis, quæ in Christum crediderit, Christi miracula vera non fuisse, demonstrare contendit: hic autem propter multitudinem, quæ Christum sequebatur, miraculum rejicit, atque contemnit. Multitudo ergo hominum, & defectus illius eamdem apud ipsum vim habent, quando de miraculorum Christi veritate neganda agitur, propter insignem perversitatem, qua præceps fertur.

Attamen modo videamus, quam consonum rationi sit, hominum plura millia fuisse, qui Christum docentem sequerentur. Nam vel de eo miraculo sermo est, quo Christus quinque panibus, & duobus piscibus satiavit quinque millia hominum, quemadmodum legimus apud quatuor Evangelistas (a); vel de altero, quo Christus septem panibus, paucisque piscibus quatuor millia hominum effecit, ut saturarentur, sicuti tradunt S. Matthæus, atque Marcus (b). Si de priori loquamur; turbas, postquam audierunt Jesum in locum desertum secedere, eum sequutas fuisse *Pedestres de civitatibus* (c) *quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur*, (d) & tunc Jesum misertum esse eis, & curasse languidos eorum, atque cœpisse illos docere multa, (e) ex Evangelistis novimus; per triduum autem cum Christo in deserto perstitisse non solum non novimus, sed contrarium ejus in iisdem expressum habemus, quum vespere ejus diei, quo turbæ ad Christum accesserunt, hoc miraculi genus a Christo patratum fuisse, unanimi consensione Evangelistæ tradant [f]. Ex hisce autem duo consequuntur, quæ contra Woolstonum æque faciunt. 1. Nullum admirationi locum esse debere, si quinque mille homines Christum sequuti fuerint: nam hæc multitudo ex vicinis civitatibus & convenire facile poterat, & ut ad sequendum Christum conveniret, illius miracula effecerant. 2. Turbas ad Christum in deserto morantem accessisse, tum ut ab ipso curarentur, tum etiam ut cœlestis doctrinæ pabulum reciperent. Unde habuisse animum diutius morandi simul cum Christo in deserto necesse non fuit, adeoque neque mirandum est, si secum non detulerint, quæ eis ad victum suppetere possent (g). Deinde quamvis hunc animum habuerint, nonne in

(a) *Matt.* 14. v. 17. & seq. *Marci* 6. v. 38., & seq. *Lucæ* 9. v. 13., & seq. *Joan.* 6. v. 9., & seq.

(b) *Matt.* 15. v. 34., & seq. *Marci* 8. v. 5., & seq.

(c) *Matt.* 14. v. 13. *Marci* 6. v. 33. *Lucæ* 9. v. 11.

(d) *Joan.* 6. v. 2.

(e) *Marci* 6. v. 34. *Lucæ* 9. v. 11.

(f) *Matt.* 14. v. 15. *Marco* 6. v. 35. *Lucæ* 9. v. 12. *Joan.* 6 v. 5.

(g) „ Dicendum igitur (inquit Tostatus in *Mat.* 14. cap. qu. 74.) quod caussa hujus necessitatis fuit, qui turba sciebat locum, ad quem nunc Christus ibat, esse desertum, & tamen esse prope castella, & villas; ita quod si Christus non moraretur

in vicina castella se conferre poterant, atque sibi comparare, quæ ad vitam sustentandam necessaria erant? Hinc est, ut discipulos ad Jesum dixisse legatur: (a) *Dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas*. Postremo Christus hoc tam insigne miraculum edere volebat: ergo consequens fuit, ut omnia ita vellet disposita esse, ut miraculo locus, & occasio daretur.

Si autem sermo sit de altero miraculo, quo Christus septem panibus, paucisque piscibus quatuor millia hominum effecit, ut saturarentur, sicuti Sancti Evangelistæ Matthæus, atque Marcus tradunt; observandum est, quod tunc adductæ fama miraculorum Christi (b) *Accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos; & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos, ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel.* Unde neque quod magno numero accesserint, neque quod diutius Christum patienter audierint, mirandum est (c). Licet autem pro victu aliqua secum detule-

„ retur prædicando, nisi sicut solitus erat, possent competenti hora redire ad loca proxima, ut ibi manducarent, & ideo noluerunt secum onera ciborum portare. Christus autem moratus est prædicando ultra solitum, ita ut jam declinaret dies, & sic erat jam hora tarda ad redeundum in loca proxima pro cibis; & ita fuit occasio, ut Christus, qui tenuerat turbam in sermone, & impediverat a quærendo cibos, daret ei cibos. Et hoc patet, quia discipuli non accesserunt ad Jesum ad hoc quod dimitteret turbas, nisi quando erat hora tarda: nam dixerant. *Hora jam præteriit*. Et sic videtur, quod si non fuisset sermo Christi tam longus, non fuerat necesse, quod discipuli accederent ad eum, ut dimitteret eas, sed ipsæ poterant ire in loca proxima ad cibos quærendos, quia adhuc hora competens ad hoc eis superesset „.

(a) *Matt*. 14. v. 15.

(b) *Matt*. 15. v. 30., & 31.

(c) „ Quæritur (inquit Tostatus quæst. 127. in *Matt*. 4. cap.) de ista turba copiosa, quæ veniebat ad Christum, quare veniret?

„ Dicendum, quod non veniebant omnes eadem intentione. Quidam enim veniebant ad Christum solum desiderio audiendi doctrinam ejus: & sic erant aliqui viri devoti, qui consolabantur in verbis Christi, & audire volebant, quia per illa putabant sibi esse salutem. Et istud erat quantum ad plurimos, sicut dicitur *Lucæ* 15. scilicet: *Erant autem appropinquantes publicani, et peccatores, ut audirent illum*. Alii veniebant ad audiendum Christum solum ut viderent, si possent eum in aliquo reprehendere. Sic erant Pharisæi, & Legisperiti, qui invidebant ei, & desiderabant eum perdere *Marci* 6. ca. Et tamen multi de his sequebantur eum, & audiebant ipsum: eodem cap. Erant autem observantes ad os ejus, si aliquod verbum erroneum diceret. *Lucæ* 14. ca. scilicet: *Intravit Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum*, scilicet quid faceret, aut diceret. Et non solum observabant, sed etiam interdum consilia faciebant, quomodo possent eum capere in sermone: sicut quando petiverunt, *An liceret censum dare Cæsari*, infra 22. cap., & quando præsentaverunt ei mulierem deprehensam in adulterio: *Joan*. 8. *cap*. Nam dicitur ibi *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare ipsum*. Alii veniebant ad Christum, quia vocabantur: sic fuit de Apostolis, & Discipulis, quos Christus vocavit, ut patet supra de Petro, & Andrea, Jacobo, & Joanne. Nam isti obligabantur venire, ut supra ostensum est in quadam quæstione. Alii veniebant, ut a Christo panibus saturarentur. Nam Christus bis saturaverat turbas miraculose, infra 14., & 15. cap. Et hoc videntes aliqui volebant ipsum sequi, ut semper eos sic saturaret. Et ita Christus dixit turbis illis, quæ sequebantur eum, quia de panibus ejus comederant, *Joan*. 6. cap. scilicet: *Amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis panem, & saturati estis*. Et Christus increpat eos, quod non sequantur eum propter istum finem, quia non est honestum, „ di-

tulerint, tanta tamen esse facile non potuerunt, ut pro tribus diebus sufficere possent. Hinc Christus ne jejunos eos dimitteret, ex septem panibus, atque paucis piscibus effecit, ut omnes saturarentur. Deinde nonne allecti suavitate Divinorum eloquiorum, & non fama, sed ostensione signorum permoti, diutius, quam constituerant, cum Christo commorari potuerunt, sic ut denique necessaria ad victum eisdem non suppeterent? Postremo quanta Christus dicendi efficacia polleret, quam mirabili ratione & permulceret aures, & corda moveret, quomodo mentem audientium illustraret, & veritate sanctissimorum præceptorum imbueret, quis unquam cogitando satis assequi potest? Qui ergo eum audiebant, si sui obliti esse, idque non sine Divino consilio videbantur, quo omnes Christi virtutem experirentur, & si de vitæ sustentatione non cogitabant, mirandum non est.

Verum quid Woolstoni audacia impudentius fingi potest? Res hæc est, quæ intra domesticos parietes remotisque arbitris peracta non fuit, sed in deserto coram omnibus, qui non solum ejusdem oculati testes fuerunt, sed & beneficium sensibus perceperunt. Quæ deinde fragmenta reliqua fuisse legitur, quæque Christus auferri jussit, nonne etiam post peractum miraculum Divinam virtutem testabantur? „ Quod quidem Dominus (uti recte observat S. Thomas „ lect. 1. in *Joannis* cap. 6.) non ad superfluam ostentationem fecit, sed ut „ ostenderet factum miraculum non esse phantasticum, per hoc quod collectæ „ reliquiæ diu servatæ sunt, & aliis in cibum fuerunt. Voluit etiam per hoc „ miraculum illud firmius discipulorum animis inhærere, quibus & fragmenta „ portanda præcipit, quoniam eos maxime erudire volebat, qui orbis terrarum „ debent esse magistri „. Et sane Woolstoni impietas, dum hujus miraculi veritatem negat, eo detestabilior est, quo plures, quam alias fuerunt, quibus Christus profuit: nam antea aliqui tantum participes suæ virtutis, alii autem spectatores voluit esse; in hoc miraculo omnes, quotquot aderant, vult, ut beneficium experiantur. „ Quia enim [inquit S. Joannes Chrysostomus *in Matthæum* homil. 49. nu. 2., alias homil. 50.] in infirmis semper signa edebat, „ confert & universale beneficium, ne multi spectatores tantum essent eorum, „ quæ aliis contingebant, sed & ipsi dono fruerentur. Et quod mirabile Judæis videbatur in deserto, quum dicerent: (a) *Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* hoc ipse operibus exhibuit. Ideoque in „ desertum illos adduxit, ut sine ulla prorsus suspicione miraculum fieret, ne- „ que

„ dicens: *Operamini non cibum, qui perit,* „ *sed qui permanet in vitam æternam*, quasi „ dicat: non sequamini me propter cibum „ istum temporalem, quem vobis dedi, quia „ iste perit, sed propter verbum Dei, quod „ permanet in vitam æternam. Alii sequebantur Christum propter curationes ægritudinum, quia sanabat omnes male habentes, & offerebantur ad eum omnes infirmi. Sicut dicitur *Joa.* 6. cap. scilicet: „ *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur*. Et quia curabat eos gratis, veniebant omnes ad ipsum *Lucæ* 4. „ cap. scilicet: *Quum sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus,* „ *ducebant illos ad eum, et ille manus singulis imponens, curabat eos*. Alii autem „ sequebantur Christum, tam ut audirent „ verbum ejus, quam ut ab ipso sanarentur „ a languoribus: *Lucæ* 6. cap. scilicet: „ *Stetit multitudo copiosa plebis, quæ venerant, ut audirent eum, & sanarentur a languoribus suis. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Alii veniebant ad audiendum „ verbum Christi, vel desiderabant illum videre solum propter curiositatem, quia „ audiebant magna de illo, & cupiebant videre, quomodo illa faceret. Sic Herodes „ desiderabat Christum videre *Lucæ* 13. „

(a) *Psal.* 77. v. 21.

„ que putaret, quemdam vicinum vicum panem in mensam intulisse. Iccirco „ non locum modo, sed etiam horam memorat„. Demum ut cum Lactantio concludam *Divin. Instit.* lib. 4. cap. 15. „ Quaero, quid hic potuerit ars magi- „ ca moliri, cujus peritia ad nihil aliud, quam ad circumscribendos oculos „ valet „? Haec tamen omnia argumenta manifestae veritatis Woolstono non sufficere, quispiam non mirabitur, semel ac advertat, impium hominem id sibi proposuisse, ut res certissimas ineptis cavillationibus dubias faceret.

Num. XII.

De adventu Magorum ad Christum natum adorandum.

Ea bona, quae in Evangelio leguntur; hoc est aurum, thus, & myrrham, ipsi Christo a Magis oblata fuisse, credere ineptum est, inquit Woolstonus, quum talia non sint, quae puero convenire possint. Quapropter saccharum potius (ita impius homo scurriliter in re sacrosancta nugatur) placentas, atque candelas afferre debebant, quae tum puerulo, tum indigenti matri illius magis utilia futura fuissent. Deinde quid opus fuit, ut per stellam, quasi per fatuum quemdam ignem, ad locum, in quo Christus natus erat, Magi deducerentur? Nonne, pergit, Divino instinctu, visione, atque somnio, quemadmodum fecit, quando ad suam patriam remeare debuerunt, Magos ad hoc iter suscipiendum Deus inducere poterat? Quid necesse erat, ut praeter consuetum ordinem peculiaris stella pararetur? vel qui tandem inter stellam, atque Magos nexus fuit, ut illi noverint, quid illa significaret, atque ad tam longum iter suscipiendum eorumdem animos induxerit?

Nimirum ingenium suum hic quoque impius retinet. Magos quidem, quem adoratum venerant, putasse esse Regem Judaeorum, nullo modo dubitari potest: nam statim ac Jerosolymam pervenerunt, ubi esset Rex Judaeorum, qui natus erat, sciscitati sunt (a). Ea itaque dona secum afferre oportuit, quae Regio puero convenire possent. Hujusmodi autem sunt aurum, thus, & myrrha, quae apud Arabes maxime pretiosa habebantur, & revera erant. Et sane ex iis, quae Woolstonus a Magis offerri debuisse inepte contendit, consequeretur advenisse eos, ut Christum a miseria sublevarent, non vero ut adorarent. Verum adorandi caussa tam longum eos iter suscepisse, nimis comperta res est. Unde & dona, quae attulerunt, exhibitioni cultus respondere oportuit. „ Illi „ vero [hoc est Magi, inquit S. Joannes Chrysostomus *in Matt.* hom. 8. nu. 1., „ alias homil. 9.] non modo adorant, sed, apertis thesauris suis, munera of- „ ferunt, munera, inquam, non quasi homini, sed quasi Deo. Thus enim, „ & myrrha Dei maxime symbolum erant. Quid igitur hoc illis suasit? Id „ ipsum quod excitavit illos, ut, relicta domo, tantum iter susciperent; nimi- „ rum stella, & illustratio mentis a Deo ipsis indita, quae paulatim illos ad „ perfectiorem notitiam deduxit. Nisi enim res ita se haberet, quum omnia, „ quae istic videbantur, vilia essent, non ei tantum adhibuissent honorem.

„ At cur illos, inquies (ita idem Sanctus Doctor homil. 6. *in Matt.* nu. 3. „ alias hom. 7.) per talem visum adduxit? At quomodo oportuit? an Pro- „ phetas mittere? Sed magi Prophetis non credidissent. An vocem superne

 „ pro-

(a) *Matt.* 2. v. 2.

„ proferre? verum non attendissent. An Angelum mittere quoque? Sed hunc „ quoque forsan præteriissent. Quapropter, illis omnibus omissis, Deus summa utens indulgentia per consueta vocat illos, ostenditque stellam magnam „ ab aliis diversam, ut ipsos & ex magnitudine, & ex pulchritudine spectaculi percelleret, nec non etiam ex cursus modo. Hæc & Paulus imitatus „ ex ara cum Græcis disserendi occasionem accipit, & Poetarum testimonia „ in medium adducit: Judæos vero circumcisionem memorans alloquitur, & „ eos, qui sub lege viverent, a sacrificiis orsus doctrina imbuit. Quia enim „ consuetum sibi quisque morem libenter sequitur, & Deus, & viri a Deo „ ad orbis salutem missi ita res tractant. Ne itaque indignum Deo putes, „ quod ipsos per stellam vocaverit „. Et re quidem vera solus Woolstonus adinveniri poterat, qui eo usque desiperet, ut vel ipsi Deo agendi rationem præscribere auderet, & quoniam sequutus non est, quam sibi ipsi confinxit, quod evidentissime est, impie negare non dubitaret.

Verum S. Leo Serm. 32., qui est tertius in Epiphaniæ solemnitate, alteram quoque peculiarem rationem affert, ob quam Christi ortus per stellam indicatus fuerit Magis. „ Hujus autem, Dilectissimi, inestimabilis misericordiæ „ manifestatio facta est, *inquit*, Herode apud Judæos jus regium tenente, ubi „ legittima Regum, successione cessante, alienigena obtinuerat principatum: „ ut veri Regis ortus, illius prophetiæ probaretur voce, quæ dixerat: *Non* „ *deficiet Princeps ex Juda: neque dux de femoribus ejus, donec veniat, cui* „ *repositum est, & ipse erit expectatio gentium*. De quibus quondam Beatissimo Patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis „ semine, sed fidei fœcunditate generanda: & ideo stellarum multitudini comparata, ut ab omni gentium Patre, non terrena, sed cœlestis progenies „ speraretur. Ad credendam ergo promissam posteritatem hæredes in syderibus designati ortu novi syderis excitantur, ut in quo cœli adhibitum fuerat „ testimonium, cœli famularetur obsequium. Commovet Magos remotioris „ Orientis habitatores stellis ceteris stella fulgentior, & demirandi luminis claritate viri ad hæc spectanda non inscii magnitudinem significationis intelligunt; agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione Divina, ut eos „ tantæ visionis mysterium non lateret, & quod oculis ostendebatur insolitum, „ animis non esset obscurum. Denique officium suum cum religione disponunt, „ & his se instruunt donis, ut adoraturi unum, tria se simul credidisse demonstrent: auro honorantes personam regiam, myrrha humanam, thure Divinam „.

Eadem autem homil. *in Matt.* num. 6. hæc alia habet S. Joan. Chrysostom., quibus reliquæ Woolstoni ineptiæ confutantur. Postquam ergo plures difficultates sibi opposuit, rem totam ita explicat: „ Sed ne difficultates difficultatibus nectentes, in caliginem obscuritatemque vos dejiciamus, age demum, „ ad quæsitorum solutionem properemus, & a stella duceamus initium. Si enim „ discamus quæ, & qualis illa sit, an ex numero aliarum, an diversa ab illis, an natura sua, an specie tantum stella, tunc facile cetera omnia sciemus. Unde ergo hæc comperiamus? Ex ipsa Scriptura. Quod enim hæc „ stella non ex numero aliarum, immo ne stella quidem esset, ut mihi quidem „ videtur, sed invisibilis quædam virtus, quæ stellæ speciem præferret, primo ab ejus itinere arguitur. Nulla enim, nulla utique stella est, quæ tali

„ per-

,, pergat via ; nam & solem, & lunam, & alias omnes stellas ab Oriente
,, videmus ad Occidentem pergere : hæc vero stella a septentrione ad meri-
,, diem ferebatur. Palestinæ quidem hic situs est, si Persidem spectes. Se-
,, cundo illud etiam a tempore probari potest : neque enim noctu apparet, sed
,, in meridie, lucente sole, quam vim nec stella, immo ne luna quidem ipsa
,, habet.... Hæc vero stella splendoris sui vi etiam solis radios splendore su-
,, perabat, majoresque emittebat radios. Tertio probatur, quod ea modo lu-
,, cem emitteret, modo cessaret : nam venientibus in Palæstinam luxit; post-
,, quam autem Jerosolymam advenerant, sese occultavit : deinde, Herode
,, relicto, postquam illum de caussa itineris certiorem fecerant, iter susceptu-
,, ris apparuit: quod certe non stellæ motui competit, sed virtuti intelligentia
,, præditæ. Neque enim proprium sibi cursum habebat ; sed ubi pergendum
,, erat, illa pergebat, ubi standum, stabat, secundum opportunitatem omnia
,, dispensans; sicut columna illa nubis, quæ Judæis monstrabat, quando castra
,, movere, quando sistere oporteret. Quarto ab ipso lucendi modo id clare
,, discitur : non enim in alto cœlo constituta : neque enim poterant illo modo
,, dirigi, sed inferne demissa locum monstrabat. Nostis enim non posse stellam
,, locum ita parvum monstrare, qui tugurium contineret ; immo locum, qui
,, corpus infantuli capere posset : quia enim immensa erat altitudo, non pote-
,, rat stella tam angustum locum indicare volentibus invisere.... Quomodo
,, igitur, quæso, locum tam angustum præsepis, & tugurii stella ostendisset,
,, nisi, relicta illa celsitudine, ad inferiora descendisset, & supra caput ipsum
,, pueri stetisset? Quod subindicans Evangelista dicebat : (a) *Ecce stella ante-*
,, *cedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer*. Viden' quot ar-
,, gumentis probatur hanc stellam non fuisse ex numero aliarum, neque se-
,, cundum seriem externæ illius genesis apparuisse ,,. Stellam ergo, quam Ma-
gi viderunt, quaque duce ad Bethleemiticum antrum pervenere, non fuisse unam earum, quæ suum in firmamento locum obtinent, vel saltem non eodem modo, ac illæ solent, suum cursum tenuisse, ex iis, quæ apud Matthæum legimus, nimis comperta res est. Qui autem effecit, ut hæc stella præter consuetum ordinem appareret, atque determinatum cursum perageret, efficere quoque potuit, ut per eam Magi de nato Rege Judæorum interius admonerentur, & ad eum adorandum itineri sese committerent. Quapropter tum apparitione stellæ, tum illustratione mentis attracti Magi fuerunt, ut Christum adoraturi Bethleemum se conferrent. Nihil ergo Woolstonus opponit, quod ineptum, atque futile per se non sit ; quod tamen non est, cur miremur, quum dedita opera contra manifestam veritatem impius homo per summam audaciam pugnare instituerit.

Vindicata itaque jam a nobis veritate illorum Christi miraculorum, quæ Woolstonus singillatim oppugnat, nonnulla alia diluemus, quæ contra omnia Christi miracula generatim opponit. 1. itaque veritatem miraculorum Christi suspectam inde reddere conatur, quia Judæorum non sunt confirmata testimonio. 2. Plura scripta Judæorum olim extitisse criminatur, in quibus falsitas miraculorum Christi detegebatur, atque fraude Christianorum factum fuisse, ut ea perirent, quoniam impares se esse videbant, ut iis responderent, quæ in eisdem opponebantur. 3. Plura absurda consequutura esse dicit, semel ac mira-

(a) *Matt. 2. v. 9.*

racula Christi vera esse admittantur; atque hinc est, ut ea fabulis, inanibusque commentis æquiparanda esse effutiat. 4. Christum virtute faciendi miracula nullatenus præditum fuisse inde calumniatur, quia, inquit, non quovis loco, & tempore edere miracula potuit. Quod si propter fidei defectum vel in spectatoribus, vel in illis; qui curandi erant, hoc contigisse ei reponatur, ne ullam suæ impietatis evomendæ occasionem omittat, statim regerit, quasdam infirmitates esse, quæ per artem medicinæ curari possunt, aliæ vero non item; in has autem si medici inciderint, laudem mereri apud omnes, dum easdem a se tolli non posse fateantur, contra autem esse vituperio dignos, si, ut aliis illudant, hujus rei defectum in infirmos refundant. Hæc vero agendi ratio est, inquit ipse, quam Christiani sequuntur, ut Christi auctoritatem tueantur: nam, ut ne quoad aliqua facienda suum magistrum imparem fuisse, fateri cogantur, vel adstantes, vel eos, qui curandi erant, fide defecisse criminantur. (a)

Hæc quidem omnia, quamvis talia sint, quæ a nobis merito contemni possent, ea tamen, licet non multis, confutare aggredimur, ut Woolstoni impia calumniandi libido magis magisque perspicua semper fiat. Primo ergo Woolstonus in eo desipit, quod miraculorum Christi testimonium ab iis quærit, quorum maxime intererat, ut ea occultarentur, atque etiam, si fieri posset, perpetua oblivione delerentur. Tales enim fuisse Judæos etiam ipse non videre non poterat. In eo quoque deinde turpiter errat, dum contendit silentio nonnullorum apertissima testimonia eorum quoque destrui, qui testes oculati fuerunt, quique nullam rationem habuerunt, ut mentirentur, atque etiamsi habuissent, res pro voto eisdem contingere non poterat, sicuti nu.3. ex Eusebio jam demonstravimus, atque infra uberius, data opera, demonstraturi sumus. Verum hoc quidem in Woolstono damnandum: illud tamen multo audacissime facit, quod silentio Judæorum audacter pro se abutatur, quando contra illum manifeste facit. Quid? anne adeo stultus quispiam erit, ut Judæos propter odium, quod contra Christum conceptum habebant, in facta illius animo calumniandi non diligenter inquisisse arbitretur? eos ne potentia, sapientia, atque calliditate, qua insignes erant, cognoscere non potuisse, quæ in sua patria quotidie contingere dicebantur? a Juda Iscariote proditore de Christi operibus illos non quæsivisse? Christum ad sua miracula sæpe provocantem æquo animo tulisse, potiusquam fraudem detegerent, atque manifestarent? inter præcipua capita accusationis hanc quoque Christi fraudem non fuisse relaturos? Profecto quum ea, qua poterant, ratione Christum uti impostorem, atque seductorem traducere curavisse legamus, & modo in virtute Beelzebub principe dæmoniorum miracula ipsum facere illi objecerint, modo de violato sabbato eum accusaverint; eos ne tacitos præterituros fuisse (quo sane capite rem totam statim conficere poterant) miracula, quæ jactabantur, nonnisi imposturas, atque præstigia esse, quisnam sanæ mentis unquam existimare poterit? ergo ex silentio Judæorum Christi miracula vera fuisse evidenter concluditur.

At vero nonne Woolstonus hac in re summa etiam confidentia aperte mentitur? Quandoquidem Nicodemum principem, & Legis doctorem inter Judæos suam, & aliorum doctorum fidem erga veritatem miraculorum Christi hisce verbis confirmasse legimus: (b) *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister: nemo*

(a) Ante VVolstonum etiam Vaninus in *Apologia* hoc idem opposuerat.
(b) *Joan.* 3. v. 2.

mo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Pharisæi autem convicti evidentia miraculorum, quum, quo se verterent, non haberent, ad virtutem Beelzebub recurrerunt. Quid plura? Synedrium quoque ipsum facere non potuit, quin veritati miraculorum Christi apertum testimonium perhiberet, ideoque inquiebat: (a) *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Postremo anne tot millia Judæorum, qui Christo prædicanti assensi fuere, quique non solum miraculorum ejus fama permoti, sed vel evidentia convicti, vel beneficium experti, ei adhæserunt, anne testimonium contemnendum, nulliusque momenti cuipiam, præterquam Woolstono, videri potest?

Periisse autem plura Scripta Judaica, in quibus Christi miracula confutarentur, unde nam tandem Woolstonus novit? vel potius quo id ore affirmare audeat, quum neque Josephus, neque Talmudici doctores eorumdem ullam mentionem fecerint? Si autem suspicionibus, inanibusque conjecturis standum est; has videlicet conjecturas, quæ cum suis nullo modo comparari possunt, solvat, impius homo, si potis est. Vetustate, aut casu forte contigit, ut ea Christianorum opera perierint, quibus hujusmodi calumniæ Judæorum refellebantur: nam in confutandis iis scriptis, quæ Religioni adversabantur, primos Christianos omnem sollicitudinem posuisse, nimis comperta res est. Judæorum autem opera, siqua fuerunt scripta contra Christi miracula, ipsorum Judæorum neglectu perierint, quia quum inepta per se essent, & contra evidentissima testimonia suorum pugnarent, contemptum aliorum in se magis magisque excitare poterant. Forte ea ætate nemo Judæorum fuit, qui contra Christi miracula scribere auderet, ne evindentissimæ veritati, quæ omnium testimonio confirmabatur, sese opponeret. Quid ad hæc Woolstonus? Profecto hæreat oportet.

Verum enim vero quisnam unquam doctores Judæorum rem suam adeo neglexisse putaverit, ut hæc monumenta omnino perire passi fuerint, atque nullo modo curaverint? Judæi nihil magis cordi unquam habuerunt, quam ut diligentius ea custodirent, quæ antiquitus tradita receperunt: quomodo ergo fieri potuit, ut hujusmodi scripta, quibus in sua agendi ratione irreprehensibiles ipsos esse, consequens erat, prorsus interire permiserint?

At non negligentia Judæorum Woolstonus dicit, sed fraude Christianorum factum fuit, ne aliquid hujusmodi operum superesset, quia iisdem confutandis impares se esse cognoverunt. Ita ne vero? Cur ergo in *Dialogo* Justini *adversus Tryphonem*, & in Tertulliani *Commentario adversus Judæos* quæ Judæi opponebant, adhuc legenda supersunt? cur Origenes in suis libris *adversus Celsum* ea omnia reliquit, quæ Celsi Judæus contra Christum blasphemabat? ergo fraude Christianorum hujusmodi antiqua scripta Judæorum periisse, Woolstonus impudenter effutit, atque etiam magis audacter insanit, dum Christianos hoc fecisse criminatur, ut delerent, quod refutare non poterant, quum a primis Ecclesiæ Patribus acceperimus, quæ contra Christianam Religionem Judæi tunc temporis opponebant, & confutata acceperimus. Verum hac una in re quam multa sint, in quibus impius homo peccat, paucis videamus. 1. Hæc antiqua scripta Iudæorum olim extitisse ad arbitrium sibi confingit. 2. Ea periisse eadem cum confidentia affirmat. 3. Sublata fuisse fraude Christianorum confidenter jactat. 4. Christianam Religionem ita valide iisdem confutatam blaterat,

(a) *Joann. 11. v. 47.*

terat, ut nullus responsioni locus esse posset. Ita ergo fit; ut, quod non extitit, ipse extitisse ponat: sublatum fuisse, quod nunquam fuit: fraude Christianorum periisse, quod perire non poterat, quum perire non possit, quod non existit; tandem, quod sane summopere ridiculum est, ea scripta plurimum valere ad convincendum, quæ nullo modo viderat, aut audierat, quia suo tempore jam omnino perierant. At reliqua prosequamur.

Ac priusquam Woolstonum de absurdis, quæ ex Christi miraculis, si ut vera admittantur, consequutura esse dicit, refutemus, juvat principio advertere (quod quidem ad rem maxime pertinet) nullam esse rem gestam tam certam, tamque testatam, cui apud homines rudes, & imbecilles, præsertim si male animati sint, callidus quispiam, atque impudens tenebras offundere non possit. Nam etsi is rationibus aut nullis, aut plane futilibus utatur; nihilominus, si rem detruncatam afferat, in eamque stylo jocoso, mimicum in modum, invehatur, multoque magis si jocis mendacia subdole, & callide admisceat, eaque confidenter, & sine dubitatione proferat: capitur videlicet iis verborum lenociniis, eaque scientiæ, & ingenii simulatione vulgus imperitorum, ac primum ipsa scurrilitate delectati ridere incipiunt, mox ratiunculis sæpius pulsati addubitare, postremo nebuloni fidem habere. At vero hujusmodi impugnandi rationem fraudolentorum impiorumque hominum esse, qui nec ullam bonam fidem habeant, & turpissima calumniandi libidine adversus veritatem abutantur, quis non videat? Talis profecto est modus, quem sequitur Woolstonus, dum contra Christi miracula agit, ut constat ex iis, quæ usque modo disseruimus. Nam ut Christi miracula facta non fuisse demonstret, testimonium illorum, qui non sinunt, ut de eorumdem veritate dubitemus, fraudolenter omittit; circumstantias per summam calliditatem non curat; propter miracula hominum plura millia, alios, ac antea erant, evasisse, silentio præterit; Christi agendi rationem deinde impudentissime cavillatur, ac per jocum sæpissime etiam contemnit: postremo omnium, quotquot extiterunt, impiissimus, non solum multos, qui Christi miraculorum vel testes, vel participes fuerunt, sed etiam ipsum Christum imposturæ, atque fraudis accusare non veretur. Ea ergo ratione Christi miracula Woolstonus obscurare, dubia atque incerta reddere tentavit, qua fieri ratione potest, ut facta quævis evidentissima per summam improbitatem obscurentur apud rudes, atque imbecilles, ad injuriam, & dedecus humanitatis.

Sed quoniam pugnat de absurditate eorum, quæ ad Christi miracula consequuntur; ejusdem blasphemias veras esse fingamus, atque quid ex iis consequens sit, observemus. Quam maxime absurdum est, ut pro impostore, qui vitam cruci affixus coram omnibus turpissime amisisset, a quo nihil boni neque in ista, neque in altera vita sibi expectare possent, discipuli ejus quoscumque labores voluerint pati, omnia mala sustinuerint, ipsamque vitam inter cruciatus libenter amiserint: ut autem istis longe plures, qui eorum, quæ in Christo contingerant, testes oculati fuerant, a suis defecerint, odia omnium in se excitaverint, persequutionibus occurrerint, nihilque omiserint, quo suam in hunc Christum fidem testarentur, ne confingi quidem potest. A veritate omnino abhorret, ut res commenticiæ apud eos venditari potuerint, qui ipsi rebus interfuerant, quum agerentur, quique adeo vera ne, an falsa prædicarentur, ipsi sibi erant conscii suo ipsorum experimento: supra omnium fidem est, homi-

mines cujusvis conditionis alios, ac antea erant, propter vana quædam commenta repente extitisse, atque tales, ut a voluptate ad virtutem, a vitiis ad honestatem, a liberiori vivendi ratione ad rectam, atque asperam traducti fuerint, ne in insipientis quidem mentem cadere potest, possibile fuisse in hac re gravissima, quæ ad unumquemque maxime spectabat, non solum neminem imposturam detegere, sed tam feliciter eam propagari potuisse, ut etiam primis temporibus ubique pervaderet, quando neque deerant, qui sua potestate, qua omnia poterant, sese fortiter opponerent, quin sua scientia impedirent, suoque odio prohiberent: tandem (infiniti enim prope esse possemus) factum esse, ut hujus universitatis tota facies propter aliquas imposturas mutaretur, quisnam tandem somniaverit? sed hæc omnia ad Christi miracula, quæ Woolstonus imposturas blasphemat, consequuta fuere: ergo quæ absurdissima sunt, quæque ne in stupidissimorum quidem hominum mentem cadere possunt, ad impiissimum Woolstoni systema consequuntur: contra vero hæc omnia, quæ re ipsa contigerunt, veritatis miraculorum Christi evidentissima, atque apertissima testimonia sunt: ergo absurditatem, quæ ad Christi miracula consequatur, absurdissime Woolstonus & stultissime appellat (a).

Christum autem non solum non ubique, sed neque etiam semper; ubi rogatus fuit, miracula fecisse damus, cujus rei S. Matthæum testem amplissimum habemus (b). At vero nonne alias sæpe multa, atque præclarissima miracula fecit; ergo ea faciendi potestatem habuit. Quapropter sicuti non rogatus aliquando miracula facienda a se esse duxit, aliquando non duxit; ita etiam rogatus sua Divina potestate modo utendum, modo non utendum esse existimavit? Quid? anne fortasse necesse est, ut qui aliqua est potestate præditus, ad arbitrium petentium ea semper utatur? anne, si non semper utatur, hujusmodi potestate non præditum esse dici poterit? Hoc sane est, quod Woolstonus vellet: verum sui similis semper exiilit. Tanta ergo quum semper fuerit Christus Dominus erga alios misericordia præditus, quemadmodum legenti vitam illius manifeste constabit, si quando non annuit votis aliquorum, qui miracula petebant, defectu eorum id evenisse Christiani recte tuentur: nam neque potestatem, neque misericordiam, atque benignitatem ei defuisse aliunde omnino perspectum habent: ergo si Christus etiam requisitus aliquando nulla miracula fecit, propter defectum petentium ea non fecisse sapienti judicio, & libera voluntate, non potestatis defectu, dicendum est. Quod autem Woolstonus de medico habet, & ineptum per se est, & nihil concludit. Nam majora quidem iis, quæ fecit, Christum miracula facere potuisse quamvis fateamus; talia tamen non erant, quæ Christus, postulantibus Pharisæis, atque Judæis, facere renuit: nam Pharisæi ipsum rogarunt, ut signum de cœlo faceret (c); Judæi autem, ut de cruce descenderet (d): illi multa præclarissima signa jam viderant, atque audierant? illi vero, præter signa, quæ viderant, atque audierant, paulo ante etiam Christi potestatem experti fuerant, quando eo dicente: (e) *Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in* ter-

(a) Quæ hujus quæ. art. præcedi § 4. de iis, quæ ad Evangelii prædicationem consequuta fuere, pluribus disseruimus. VVoolstoni ineptam calumniandi libidinem magis magisque produnt.

(b) Cap. 16. v. 1., & cap. 27. v. 43.

(c) *Matt.* 15. v. 1.

(d) *Matt.* 27. v. 42.

(e) *Joan.* 18. v. 6.

terram: præcellentius autem quiddam videtur in corpora aliorum, quam in proprium per miraculum agere.

Neque Woolstonus proficere inde potest, quia apud S. Matthæum ca. 14. v. 58. legimus, Christum in patria sua non fecisse *Multas virtutes propter incredulitatem eorum*, & apud S. Marcum cap. 6. v. 5. quod. *Non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus, curavit*: nam nonnulla signa etiam in sua patria Christum fecisse uterque Evangelista consentit. Unde cum S. Thoma 3. par. qu. 43. ar. 2. ad 1. „ Dicendum, „ quod hoc, quod dicitur, *Non poterat ibi ullam virtutem facere*, non est „ referendum ad potentiam absolutam, sed ad id, quod potest fieri congruenter: non enim congruum erat, ut inter incredulos operaretur miracula. Unde subditur: (a) *Et mirabatur propter incredulitatem eorum*: secundum „ quem modum Genesis 18. *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum*? „ Et 19. *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc* „.

Hæc vero contra Woolstonum de Christi miraculis disseruisse modo sufficiat; nam quod contra Christi resurrectionem opponit homo impius infra, data opera, confutaturi sumus.

§. I I I.

DE CONFIRMATIONE SUÆ DIVINITATIS, ATQUE MISSIONIS, QUAM IPSE CHRISTUS A MIRACULIS PETIVIT, ET RECTE QUIDEM PETIVIT.

Duo sunt, quæ in hoc paragrapho probanda suscipimus; hoc est, & Christum suam Divinitatem, atque missionem confirmasse miraculis; & recte quidem sapientissimeque confirmasse; atque hoc posterius illud est, quod contra Deistas potissimum nunc propugnandum suscipimus. Nam nullam vim ad fidem faciendam in miraculis inesse volunt. Hinc Woolstonus (b) miracula Christi cum miraculis Apollonii Tyanæi, Vespasiani, & cujusdam alterius famosi impostoris cum summa impietate comparat, atque etiam falsos Prophetas miracula patraturos a Christo prædictum esse opponit. Auctor vero *Cogitationum Philosophicarum* §. 42. ex miraculis missionem expendendam non esse dicit, pluraque in hujus rei confirmationem §. 47. & seq. inepte effutit.

Propositio. Christus suam Divinitatem, atque missionem miraculis confirmavit, & recte quidem sapientissimeque confirmavit.

Prob. prop. 1. pars., nempe Divinitatis suæ argumenta Christum attulisse ex miraculis ducta. Quum Philippus a Christo quæreret, ut Patrem, quem habebat, sibi ostenderet, respondit ei idem Christus: (c) *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite*. His autem verbis opera miraculosa, quæ fecerat, & ducere in cognitionem suæ Divinitatis, & icciroo facta fuisse, ut eo ducerent, Christus aperte significavit.

Dum in porticu Salomonis Christus ambularet, (d) „ Circumdederunt eum „ Judæi, & dicebant ei: quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, „ dic nobis palam. Respondit eis Jesus: loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de „ me

(a) *Marci* 6. v. 6.
(b) Consulantur *Acta Erud. Lipf.* tom. supra laud. & Joecheri atio Differt. nu. 6. 2.
(c) *Joan.* 14. v. 11. & 12.
(d) *Joan.* 10. v. 23. & seq.

„ me „ . Quum vero post alia multa Christus dixisset: *Ego, & Pater unum sumus*; atque ob hanc caussam Judæi lapidare eum vellent: „ Respondit eis „ Jesus: multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum „ opus me lapidatis „ ? Nimirum multa bona opera ex Patre suo, hoc est supernaturalia, illis sese ostendisse Christus dixit, propter quæ quinam tandem ejus Pater esset, cognoscere possent: ergo miraculis suam Divinitatem confirmatam esse contendit. Postremo dum Judæi Christum blasphemare calumniarentur, quia Dei filium se dicebat: „ Quem Pater sanctificavit (reposuit Chri- „ stus) & misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas; quia dixi: filius „ Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem „ facio: & si mihi non vultis credere; operibus credite, ut cognoscatis, & „ credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre „. Distinctius ne significare Christus poterat, operibus, quæ ipse fecerat, Divinitatem suam manifestari, atque declarari? Verum nonnulla quoque alia expendamus.

Quum Christus prævideret, quæ in morte Lazari esset operaturus, statim ac intellexit infirmitatem illius: (a) *Infirmitas hæc*, inquit, *non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam*. Per resurrectionem ergo Lazari uti Filium Dei se glorificandum esse videbat. Quando Joannes duos e discipulis suis ad Christum misit, ut ab eo quærerent, num ipse revera esset, qui venturus erat: (b) respondens Jesus, ait illis: „ Euntes renuntiate „ Joanni, quæ audistis, & vidistis. Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mun- „ dantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur „ . Hac autem loquendi ratione significavit Christus ex iis, quæ supra vires naturæ fecerat, facile cognosci posse se Filium Dei esse. Hinc etiam Christus dum de illis loqueretur, qui suos Apostolos persequuturi erant: (c) „ Si non venissem „ (inquit,) & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem ex- „ cusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum „ odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non „ haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum „. Si ergo qui Christum recipere noluerunt, nullam excusationem habebant, quia viderant opera ejus; dubitari non potest intendisse Christum, ut iis operibus manifestaretur sui divinitas.

Prob. altera pars de argumentis Divinæ missionis suæ a Christo ductis similiter ex miraculis. Et re quidem vera licet Joannes verum de Divina missione Christi testimonium perhibuisset; tamen ipse Christus testatus est, majus digniusque testimonium se habere. Hoc vero testimonium erant Divina opera ipsius: (d) „ Ego autem, *inquit*, habeo testimonium majus Joanne. „ Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipsa opera, quæ „ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Et qui „ misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem ejus un- „ quam audistis, neque speciem ejus vidistis „. Hinc est etiam, quod Christus, quando Lazarum quatriduanum resuscitavit, ad Patrem conversus ita eum alloquutus fuit: (e) „ Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem „ sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, di-

 „ xi:

(a) *Joan.* 11. v. 4.
(b) *Matt.* 11. v. 4. & 5.
(c) *Joan.* 15. v. 22. & seq.
(d) *Joan.* 5. v. 39. & 37.
(e) *Joan.* 11. cap. 2. 36. & 37.

„ xi : ut credant, quia tu me misisti „. Christus ergo in testimonium suæ Divinæ missionis, multis Judæis spectantibus, tantum, tamque insigne miraculum patrare voluit. Unde Nicodemus quum Christi prodigia vidisset: (a) „ Venit „ ad Jesum nocte, & dixit ei : Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magi„ ster: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus „ cum eo (b). De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chri„ stus quum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? & (c) „ quum esset [Jesus] Jerosolymis in Pascha in die festo multi crediderunt in „ nomine ejus videntes signa, quæ faciebat „. Miracula ergo Divinæ missionis Christi argumenta evidentia fuerunt.

Quum quidam infirmus, (d) *Triginta & octo annos in infirmitate habens*, sanatus a Christo fuisset, idque per eum, qui sanatus erat, Judæi comperiissent, Jesum calumniantes persequebantur, quia die sabbati hominem curasset; multo autem magis crevit odium, quod in Christum conceptum habebant, quando hæc sibi ab eo reponi intellexerunt: (e) *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*: tunc enim eum interficere quæsierunt. Quid tamen Christus contra reposuit? [f] „ Amen amen dico vobis: non potest filius a „ se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim „ ille fecerit, hæc & filius similiter facit.... Sicut enim Pater suscitat „ mortuos, & vivificat: sic & filius, quos vult, vivificat. Neque enim „ Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes hono„ rificent filium, sicut honorificant Patrem : qui non honorificat filium, non „ honorificat Patrem, qui misit illum „.

Virtute ergo Patris Christus se operari dicit, mortuos suscitare, atque alia facere, ut eumdem honorem, ac Pater, ab hominibus accipiat, ideoque fieri non posse, quin cum honore Patris, a quo missus est, suus quoque honor simul unitus sit: ergo Christus in testimonium suæ filiationis, atque missionis miracula fecit. Hoc autem ex iis magis magisque perspicuum fit, quæ Christus dixit, quando Lazarum a mortuis resuscitavit. Sublato ergo sepulcri lapide, in quo Lazarus quatriduanus jacebat, (g) „ Jesus... elevatis sursum „ oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem „ sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, di„ xi : ut credant, qui tu me misisti „ : ergo etiam resurrectionem Lazari argumentum suæ Divinæ missionis Christus esse voluit.

Prob. 3. pars. Quo enim aliter modo [ita S. Cyrillus lib. 6. *contra Julianum*, qui eodem modo, ac Deistæ nostri temporis, Christi miracula maxima cum impietate contemnebat] „ Deum esse agnosci potuit, & postquam „ homo factus est, id, quod erat, permansisse? An immenso, & infinito hoc „ cœlo revoluto, ac terra a nostra diversa ex undis jussa existere? an aliquid „ novum in sole, & luna, reliquisque syderibus molitus? Atqui quum hu„ manitatem assumpsit, scopum illum sibi propositum non habuit; sed potius „ misertus est hominis, quem fraudes impuri spiritus in extremum miseriæ „ genus, & vere naturaque Dei creatoris omnium ignorationem adduxerant...

„ Ut

(a) *Joan.* 3. v. 2.
(b) *Joan.* 7. v. 31.
(c) *Joan.* 2. v. 23.
(d) *Joan.* 5. v. 5.
(e) Laud. cap. v. 17.
(f) Laud. cap. v. 19. & seq.
(g) *Joan.* 12. v. 41.

„ Ut mortales igitur ad necessariam veritatis cognitionem animum transferrent, „ Christus in specie nostra apparuit, seque filium esse perhibuit ejus, qui hoc „ universum per ipsum compegit. Quumque miracula ad fidem incredulos pertrahant, ægris sanitatem, cœcis visum restituit: spiritibus impuris, ut in „ intimos recessus se quam primum reciperent, imperavit, nec detrectare imperium licuit, dæmoniacos liberavit, mare, & ventos increpans jussu sedavit. Nec ignoravit creatura potestatem imperantis. Mortuos e sepulcris „ eduxit, ac fœtidos jam corruptosque nutu Divino ad vitam revocavit. Quo „ quid illustrius, quæso, atque ita magnificum? Si ergo miracula patrare medicæ peritiæ opus erat, nihil Divinum existimet, ac impune despicere ipsi „ liceat. Quum vero virtutis opus esse, nemini non sit manifestum, quis veritatem eorum, quæ dixi, inficiabitur „?

Et re quidem vera per miracula fiebat, ut Christo, quamvis simplex homo videretur, omnia subjecta esse, quivis intelligere posset: ergo Christus sapientissime miracula patravit, quo omnes in cognitionem suæ Divinitatis pervenire possent.

Deinde quæ absque ullo periculo erroris conspiciuntur oculis, certius, atque firmius extorquent assensum nostrum: ergo Christus in argumentum suæ Divinitatis, atque missionis sapientissime miracula fecit. Prob. con. Miracula, quæ fecit Christus absque ullo periculo erroris omnium sensibus comprobari potuerunt (a): ergo si ea, quæ absque periculo erroris oculis conspiciuntur, certius, atque firmius extorquent assensum nostrum, & aliunde miracula solus Deus propria virtute facere potest (b), iisdem Christus in argumentum suæ Divinitatis, atque missionis sapientissime est usus.

Tandem in confirmationem suæ Divinitatis Christum sapientissime miracula adhibuisse, eventus probavit. „ Nunc autem (ita Origenes *contra Celsum* lib. 6. nu. 11.) solus Jesus est, qui ut filius Dei per terrarum orbem „ in hanc vitam venisse prædicatur. Nam qui hæc prodigiosis, ut Celsus, tribuentes artibus, similia prodigia facere conati sunt, ut eamdem sibi apud „ homines conciliarent auctoritatem, eos nihili faciendos esse compertum est: „ cujusmodi fuerunt Simon Samaritanus Magus, & Dositheus ejusdem, ac illius regionis. Ille se dicebat esse *Dei virtutem*, quam vocabat *magnam*; „ hic vero se ipsum Dei filium: tamen nusquam gentium nunc videntur Simoniani... Dositheani autem nec primum admodum valuerunt, & nunc omnino extincti sunt, ita ut vix triginta reliqui memorentur. Judas Galilæus, „ teste Luca in Actibus Apostolorum, (c) voluit haberi magnus aliquis, & „ ante illum Theodas: sed quoniam ex Deo non erat illorum doctrina, sublati sunt, & omnes, qui credebant eis, subito dissipati fuerunt „. At vero, ut observavit idem Origenes *contra Celsum* lib. 2. num. 50. „ Miraculorum „ Christi, & ejus discipulorum fructus est, non deceptio, sed animarum salus „.

Quapropter, sicuti argumentatur S. Augustinus lib. 10. *de Civit. Dei* cap. 17. postquam plura miracula commemoravit, quæ per Arcam Israelitæ a Deo facta viderant. „ Si Philosophi, præcipueque Platonici, rectius ceteris sapuisse laudantur, sicut paulo ante commemoravi, quod Divina providentia

„ hæc

(a) Veritatem hujus propositionis necesse non est, ut nunc pluribus adstruamus, quum ex iis, quæ contra VVoolstonum disputando superiori §. attulimus, comperta sit.

(b) *Theol. Revel.* lib. 1. qu. 2. art. 2.

(c) *Act.* 5. v. 37.

„ hæc quoque rerum infima, atque terrena administrare docuerunt, numerosarum testimonio pulchritudinum, quæ non solum in corporibus animalium, verum in herbis etiam, fœnoque gignuntur, quanto evidentius hæc adtestantur Divinitati, quæ ad horam prædicationis ejus fiunt, ubi ea religio commendatur, quæ omnibus cœlestibus, terrestribus, infernis sacrificari vetat, uni tantum Deo jubens, qui solus diligens, & dilectus beatos efficit„ ?

Tribus ergo modis, uti observat S. Thomas 3. par. qu. 43. art. 4. per miracula Christi Divinitas manifestabatur. „ Primo quidem secundum ipsam speciem operum, quæ transcendebant omnem potestatem creatæ virtutis, & ideo non poterant fieri nisi virtute Divina. Et propter hoc cæcus illuminatus dicebat *Joan. 9. A sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati: nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam*. Secundo propter modum miracula faciendi: quia scilicet quasi ex propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alii. Unde dicitur *Luca 6.* „ *Quod virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Per quod ostenditur, sicut Cyrillus dicit, quod non accipiebat alienam virtutem, sed quum esset naturaliter Deus, propriam virtutem super infirmos ostendebat, & propter hoc innumerabilia miracula faciebat... Tertio ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat, quæ nisi vera esset, non confirmaretur miraculis Divina virtute factis: & ideo dicitur *Marci 1. Quænam doctrina hæc nova, quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei* „ ?

Dices I. contra primam, & alteram partem. Si Christus in confirmationem suæ Divinitatis, atque missionis miracula fecisset, ea occultari non præcepisset, quia in hunc mundum venerat, ut manifestaretur; sed ea occultari præcepit: ergo. Prob. mi. Si dæmonibus imperat, ut ab obsessis corporibus exeant; (a) *Non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum*: si cæcis videndi facultatem restituit; simul eisdem præcipit (b), *Videte, ne quis sciat*: si leprosum sanat, illum statim ita monet (c) *Vide, nemini dixeris*: demum discipulis suis quanta passurus ipse esset, secreto manifestat (d): ergo. Accedit, quod Christus tam coram Herode, quam coram Pharisæis in eum non credentibus miracula facere recusavit; immo neque etiam in patria sua, in qua cognoscebatur ab omnibus, miracula fecit.

R., miracula Christi, licet nonnulla eorum evulgari prohibuerit, adeo evidentia fuisse, ut propter ea Divinitatem illius nemo non cognoscere potuerit. Quandoquidem Christus Judæos, sibi, quod & filius Dei, & a Patre missus esset credere tenuentes, ad sua miracula sæpe provocavit (e); immo propter sua opera nullam excusationem de peccato eos habituros esse dixit (f): ergo maximam partem miraculorum ejus ita manifestam fuisse oportet, ut ea seu videre, seu certissime cognoscere omnes potuerint; alioquin semper Judæi ita reponere potuissent: quænam tandem nobis miracula jactas? Hoc autem non fecisse legimus, quamvis ut a Christi exprobationibus sese expedirent, in principe dæmoniorum dæmonia ab eodem ejici calumniati fuerint: ergo evidenti argumento id esse debet, de evidentia miraculorum nullo eos modo dubios esse potuisse.

Et

(a) *Marci 2. v. 34.*
(b) *Matt. 9. v. 30.*
(c) *Marci 1. v. 44.*
(d) *Matt. 20. v. 17.*
(e) *Joan. 10. v. 23. & seq.*, & cap. 11. v. 4., cap 5. v. 36. & 37.
(f) Joan. 15. v. 42. &c.

Et re quidem vera anne publica, atque omnibus manifesta illa miracula non fuerunt, quibus sanavit servum Centurionis (a), viduæ filium a mortuis revocavit [b], Lazarum resuscitavit [c], quinque panibus, atque duobus piscibus, quinque millia hominum, præter mulieres & parvulos, satiavit (d), atque convivio Canæ Galilææ aquam in vinum convertit [e]? Quomodo deinde Christus non publice, omnibusque inspicientibus, miracula operabatur, (f) „ Si „ circuibat omnes civitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem „? Si quando in desertum locum secesserat, (g) „ Exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curavit languores eorum „? Si quum venisset ad mare Galilææ, atque in montem ascendisset, (h) „ Accesserunt ad „ eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos. Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Israel „? (i) Si „ Quum consumasset Jesus „ sermones istos, migravit a Galilæa, & venit in fines Judææ trans Jordanem; „ & sequutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi „? Si demum [k] „ „ Viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum „ inferre, & ponere ante eum, & non invenientes, qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum „ cum lecto in medium ante Jesum „? Qui quum, imperante Christo, surrexisset, tulissetque lectum suum; *Stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum*? Maximam ergo, atque præcipuam partem miraculorum omnibus manifestam fuisse, Deistæ impudenter negant. Sed quis eorum impia consilia non videat? Miraculorum Christi numerum minuere Celsus, atque Julianus conati fuere: hi autem eo audaciæ pervenere, ut etiam omnium splendorem obscurare contenderint, atque ut miraculis nullam fidem adhibendam esse colligerent, astruere conati sunt, quod est manifeste falsum, paucorum testimonio ea niti.

Talia ergo miracula quum Christum fecisse constet, quæ propter sui evidentiam omnibus nota esse poterant, quumque revera gentes, atque populi certissimum testimonium de iisdem reddiderint, non est, cur modo aliquas rationes, saltem convenientes, Deistis afferre solliciti simus, ob quas Christus nonnulla sua miracula manifestari prohibuerit.

Quanta autem esset passurus, ideo Christus Apostolis secreto communicavit, quia iis tantum datum erat, nosse mysterium regni cœlorum (l). Deinde si Apostoli nihil antea de Christi morte comperiissent, periculum erat, ne dum ea contingeret, scandalizarentur, quia nondum viri perfecti evaserant. „ Quia enim verisimile erat eos, qui nollent ista accidere (inquit S. Joa. Chry- „ sost. hom. 60. nu. 1., alias hom. 66.) horum oblitos esse, frequenter hæc „ in memoriam revocat, frequenti commemoratione animum illorum exercens, „ ac dolorem minuens: seorsimque illos necessario alloquitur: neque enim par „ erat

(a) *Lucæ* 7. v. 10.
(b) *Lucæ* eodem cap. v. 16.
(c) *Joan.* 11. v. 45.
(d) *Matt.* 14. v. 11.
(e) *Joan.* 2. v. 2.
(f) *Matt.* 9. v. 35.
(g) *Matt.* 14. v. 14.
(h) *Matt.* 15. v. 30. & 31.
(i) *Matt.* 19. v. 1. & 2.
(K) *Lucæ* 5. v. 18. & seq.
(l) *Matt.* 13. v. 11.

,, erat hæc in vulgus efferri, vel clare narrari; nihil quippe hinc boni emersisset. Si enim discipuli hæc audientes turbati sunt, multo magis vulgus ,, turbatum esset..... Discipulis vero non ideo solum prædixit; sed, quod ,, jam dixi, ut exspectatione illa exercitati facilius passionem ferrent, ne si ,, inexpectata accidisset, illos admodum perturbaret. Quapropter initio mortem tantum prædixit; postquam autem hoc meditati, & in his exercitati ,, fuerant, cetera omnia adjecit exempli gratia: tradent eum gentibus, illudent, flagellabunt: tum hac de caussa, tum etiam, ut quum hæc tristia viderent, resurrectionem expectarent. Nam qui tristia, & quæ probrosa videbantur, non occultaverat, jure circa prospera credendus erat,,.

Ea vero de caussa tum coram Herode, tum coram Pharisæis Christus miracula facere recusavit, quia tam ille, quam isti propter curiositatem miracula quærebant, non autem ut de veritate convicti remanerent; ideoque Christus illis morem gerendum non esse duxit. ,, Herode autem cupiente (inquit ,, S. Ambrosius lib. 10. *in Exposit. Evang. secundum Lucam* nu. 99.) aliqua mirabilia ejus videre, ipse tacuit, & nihil fecit, quia nec illius crudelitas merebatur videre Divina, & Dominus jactantiam declinabat,,. Alulfus autem in *Exposit. Novi Testam. super Evangelium secundum Lucam*, quæ in recentiori editione Operum S. Ggregorii Magni, ejusdem S. Patris Opera subsequitur cap. 88. ,, Lampas quippe, *inquit*, ante oculos ejus nullo radio lucis emicuit, ,, quia ei, qui se non pie, sed curiose quæsiverat, nil de se mirabile ostendit. Inquisitus itaque Dominus tacuit, expectatus miracula exhibere contempsit: quia Herodem non profectum quærere, sed scientiam, vel signa ,, mirari velle perspexit,,. Deinde quum Pharisæi miraculis evidentissimis non acquievissent, quin potius ex iisdem calumniandi occasionem accepissent; non erat, cur Christus alia miracula coram iis faceret.

Demum Evangelista Matthæus non dicit *nullas*, sed *non multas* in patria sua Christum fecisse *virtutes*. Hujus autem rei incredulitas civium fuit caussa.

Dices contra tertiam partem. Falsos quoque Prophetas miracula esse patraturos tum Moyses, tum ipse Christus affirmavit: [a] ergo miracula idonea esse non poterant ad confirmandam Divinitatem Christi, atque missionem ejus.

R., uti jam prædiximus, [b] licet Angeli, sive boni, sive mali, nulla per se miracula patrare possint; aliqua tamen mirabilia faciendi virtutem eos habere, quæ cum potestatem hominum superent, pro veris miraculis ab iisdem interdum accipi possunt. Nam, quemadmodum observat S. Thomas in 24. *Matt.* cap. explicans ea verba v. 24. *Surgent enim pseudoChristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia*: ,, Sicut artifices aliqui aliquid ,, faciunt, quod videtur mirum aliis: sic & dæmones aliqua faciunt naturaliter, ,, quæ videntur nobis mira,,; & in *Disputatis* quæst. *6. de Miraculis* art. 5. ad 1., in quo laudata Matthæi verba sibi opponit, ait: ,, Quod signa, & prodigia dicuntur aliqua, quæ virtute naturali fieri possunt, hominibus tamen ,, mira, vel etiam per sensuum illusionem, ut dictum,,. Talia vero ea miracula sunt, quæ tum Moyses, tum Christus falsos prophetas affirmarunt esse patraturos: unde ut ab iisdem sibi caverent, ne in errorem inducerentur, omnes simul monuere,,. Porro autem [uti ait S. August. *de Civit. Dei* lib. 10. ,, cap.

(a) Ita VVoolstonus tom. supra laud. *Act. Lipsien.* Hoc quoque Celsus objiciebat, uti apud Originem legere est lib. 2. contra eumdem nu. 51.

(b) *Theol. Revel.* lib. 1. quæst. 2. art. 2.

„ cap. 12.] quæcumque miracula sive per Angelos, sive quocumque modo ita „ divinitus fiunt, ut Dei unius, in quo solo beata vita est, cultum, religionemque commendent, ea vere ab eis, vel per eos, qui nos secundum veritatem pietatemque diligunt, fieri, ipso Deo in illis operante, credendum „ est „. Hujus autem generis ea omnia miracula fuerunt, quæ Christus operatus fuit, ideoque etiam idonea fuerunt, quibus Divinitas illius comprobaretur. „ At quæ mira faciunt Antichristi (ut tradit Origenes *contra Celsum* li. 2. „ nu. 50.) iique, qui se patrandis miraculis pares Jesu discipulis esse venditant, vocantur signa, *& prodigia mendacia*, quæ *in omni seductione iniquitatis* vim habent *in eos, qui pereunt*. Miraculorum autem Christi, & ejus „ discipulorum fructus est, non deceptio, sed animarum salus. Quis enim dixerit, deceptione effici, ut emendetur vita, & malitia quotidie magis minuatur? „ Ex quibus omnibus hanc contra Woolstonum brevem ratiocinationem instituo: propter contrarium errorem non tollitur ea vis, quæ in veritate ad persuadendum inest: ergo ne falsa quidem miracula impediunt, quin quæ vera sint, demonstrent id, quod ex sui natura habent, ut demonstrent.

At vero quæ, & qualia Christi miracula fuerunt? Miracula, inquam, nostri Servatoris multo ante tempore, quam in hoc mundo nasceretur, prædicta fuisse principio animadvertendum est, uti præter alios Huetius *Demonst. Evang.* prop. 9. cap. 39. perspicue demonstravit. Secundo multa eorum talia fuisse, quæ non solum quoad modum, sed neque etiam quoad substantiam naturæ viribus, aut arte fieri possint. Tertio talem fuisse doctrinam, quam Christus pluribus miraculis confirmavit, ut neque veritatibus, quæ naturali ratione cognosci possunt, neque præceptis, quæ in Sacris litteris continentur, aliquo modo adversaretur. Hinc Christus se non venisse solvere legem, aut prophetas, sed adimplere, *Matt.* 5. v. 17. unumquemque monuit. Quarto illius doctrinæ sanctitatem tantam esse, quemadmodum jam demonstravimus, ut quæ præter ordinem naturæ fecit, Divina virtute fecisse inde inferri quoque debeat. Quinto majorem Dei gloriam suis miraculis Christum unice quæsivisse. Tandem tantam Christi miraculorum fuisse multitudinem, atque varietatem, ut non unum, aut alterum, sed propemodum innumera tam in hominibus vivis, atque mortuis, quam in aere, mari, aqua, arboribus, brutis animantibus, atque etiam dæmonibus, plerumque solo nutu, & voce ediderit, ut eorumdem multi non solum testes, sed aliquando etiam participes essent. Ratio ergo, qua miracula Christi a falsis distinguntur, nimis unicuique perspecta esse potest, si omnia expenderit, quæ illa antecesserunt, comitata, atque subsequuta sunt.

Cont. Apostolus ad *Galat.* 1. v. 8. Angelo, qui e cœlo descenderit, atque doctrinam diversam ab ea promulgaverit, quæ promulgata a se ipso fuerat, anathema dicit: ergo miracula non possunt esse certa argumenta Divinæ missionis.

Deinde populi omnes sua mirabilia, seu miracula habent, quæ falsa licet sint, tamen iisdem populi, atque gentes credere non renuerunt: quidni ergo etiam quoad Christianos idem contingere potuit?

Postremo de quodam Præsbytero Ecclesiæ Calamensis hæc habet S. Augustinus de *Civitate Dei* lib. 14. cap. 24. nu. 2. „ Quando ei placebat (rogabatur autem, ut hoc faceret, ab eis, qui rem mirabilem coram scire cupie- „ bant) ad imitatas quasi lamentantis cujuslibet hominis voces, ita se aufere- „ bat,

„ bat a sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellicantes, atque pungentes minime sentiret, sed aliquando etiam igne ureretur admoto „ sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere: non autem obnitendo, „ sed non sentiendo movere corpus, eo probabatur, quod tamquam in defun- „ cto nullus inveniebatur anhelitus: hominum tamen voces, si clarius loque- „ rentur, tamquam de longinquo se audire postea referebat „. Iis ergo, quæ miracula esse videntur, nos decipi possumus, adeoque miracula Divinitatis certa argumenta esse non debent (a).

R., Apostoli loquendi rationem eo loco hypotheticam, atque ab impossibili ductam esse; hoc est Galatas monet, ut hoc etiam semel admisso, quod tamen impossibile erat, Angelos e cœlo descendere, & doctrinam Evangelicæ contrariam promulgare, nullam eis fidem adhiberi oportere. Nempe ut Galatæ cognoscere possent, quam firmiter atque certo Legi Evangelicæ adhærendum sit exemplo ducto ab impossibili S. Apostolus uti voluit: quemadmodum & nos quoque sæpe facimus, quando aliis rem certissimam persuadere volumus. Verum quo tandem ore S. Apostoli auctoritate uti pro se Deistæ possunt? Quid? nonne a se patrata miracula in argumentum suæ Divinæ missionis S. Apostolus sæpius adducit? „ Signa tamen Apostolatus mei, (inquit ipse „ II. *Corint.* 12. v. 12. & 13.) facta sunt super vos, in omni patientia, in si- „ gnis, & prodigiis, & virtutibus. Quid enim est, quod minus habuistis præ „ ceteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos „? Et ad *Hebræos* 2, v. 3. & 4. „ Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ „ quum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierant, in „ nos confirmata est. Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtuti- „ bus, & Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem „. Voluisse ergo Apostolum miracula Divinæ missionis certissima argumenta esse, dubitari non potest.

Habuerint sane Gentes sua falsa miracula, quæ a suis Diis facta fuisse deprædicaverint: plures non defuerint, qui falsitate miraculorum aliis illuserint: vulgus quoque, atque imperita multitudo pro miraculis sæpe habeat, quæ vera miracula dici non debent: quid inde Deistæ inferre pro se possunt? Anne hæc omnia talia sunt, ut unius Dei cultum religionemque commendaverint? ut sine illusione sensuum contigerint? ut fraude dæmonum, quæ detegi facile potuit, & sæpius detecta fuerit, non evenerint? ut a falso rumore suam originem non duxerint? ut aliquid tale habuerint, quod Christi Apostolorumque ejus miracula habent? „ Age nunc veniat (ita contra *Incredulos* „ sui temporis Arnobius *adversus Gentes* lib. 1.) qui super igneam zonam, „ Magnus interiori ab orbe Zoroastres, Hermippo ut assentiamur auctori. „ Bactrianus & ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in „ primo. Armenius Hostanis nepos, & familiaris Pamphylus Cyri, Appollo- „ nius, Damigero, & Dardanus, Velus, Julianus, & Bæbulus, & si quis „ est alius, qui principatum, & nomen fertur in talibus habuisse præstigiis: „ permittant uni ex populo in officium sermonis dandi ora coarticulare muto- „ rum, surdorum auriculas reserare, sine luminibus procreatis oculorum redin- „ tegrare naturas, & infringentia olim membra sensus animasque reducere. Aut „ si ardua res ista est, neque aliis permittere talium possunt operum potestates, „ ipsi

(a) Ita Auctor *Cogitat. Philosoph.* §. 42., 48. & seq.

„ ipsi faciant, & cum suis ritibus faciant, quidquid malefici graminis nutri- „ cant terrarum sinus, quidquid virium continet fremor ille verborum, atque „ adjunctæ carminum necessitates, non invidemus, adjiciant, non interdicimus, „ colligant. Experiri libet, & recognoscere, an cum suis efficere Diis possint, „ quod a rusticis Christianis jussionibus factitatum est nudis „.

Hinc vero est, ut ii quoque, qui hujusmodi miracula posterorum memoriæ tradiderunt, nullam fidem iisdem se adhibere professi fuerint, quemadmodum de Livio lib. 1. *Theol. Revel.* qu. 2. ar. 2. observavimus.

At vero dum Deistæ miraculorum falsitatem obtrudunt, ut in veris miraculis ad demonstrandam Divinam missionem alicujus nullam vim inesse evincant, contra se faciunt, seque contra communem consensionem omnium gentium pugnare manifesto indicant. Quid? Ethnici suis Diis non alia de caussa miracula tribuerunt, nisi ut Divinitatis, quam in iisdem inesse falso putabant, aliqua argumenta proferrent: iis quoque hominibus, quos propter præclare res gestas inter Deos cooptatos putarunt, virtutem miracula faciendi adjudicarunt, ut nemini de Divinitate eorum dubium esset: si qui autem fuerunt astuti, atque dolosi homines, qui falsitate miraculorum aliis illuserint, ideo hoc fecerunt, ut in se aliquid Divini esse mentirentur: tandem vulgus, atque populus tunc miraculis locum esse solummodo putarunt, quando aliquam Divinam virtem operari posse suspicati sunt: ergo miracula Divinitatis, seu Divinæ missionis præclarissimum argumentum esse, communis omnium gentium semper consensio fuit: ergo dum miracula Divinitatis, Divinæque missionis certum argumentum esse Deistæ negant, pugnant contra commumem consensionem omnium gentium.

Quamvis autem nonnulla citra miraculum aliquando contigerint, & sæpe etiam contingant, quorum rationem nullo modo assequi possumus, semper tamen æque constat, miracula apertissimum Divinitatis argumentum esse. Quandoquidem quæ vere miracula sunt, uti videndi, audiendi, loquendi, ambulandique facultas iis subito reddita, qui eadem omnino destituti erant, multiplicatio panis, atque piscium, conversio aquæ in vinum, revocatio mortuorum in præsentem vitam ad imperium vocis alterius, neque unquam aliqua occulta vi facta legimus, neque aliquando fieri posse certissime constat (a).

COROLLARIUM.

Etiam ea, quæ Christus de sua Divinitate prædicavit, rècta ratio requirit, ut litterali sensu accipiantur.

Si enim Christus, ea, quæ de Divinitate sua dixit, non proprie, & litterali sensu, sed similitudinarie tantum accipi voluisset; nihil opus fuisset, ut ad eam rem argumentis ex miraculorum operatione ductis uteretur; ecquid enim attinet miraculorum testimonio, ut is, qui nonnisi homo apparet, homo esse existimetur, & non Deus? atqui Christus miraculorum testimonio, ut ostendimus, usus est ad persuadendam Divinitatem suam: ergo de hac sua Divinitate, non similitudinarie, sed proprie, & litterali sensu se intelligi voluit.

 Rur-

(a) Quamvis hac tota de re *Theol. Revel.* qu. 2. ar. 2. fuse, & copiose egerimus, quæque Deistæ opponunt, jam diluerimus; tamen quum isti ad fastidium usque eadem semper repetant, hæc alia & nos quoque adjicienda esse putavimus.

Rursus: ex Christi mente ita de Divinitate sua loquens intelligendus est, quemadmodum de miraculis, & ex æquo; nam ex miraculis probavit Divinitatem suam: atqui de miraculis loquitur proprie, & in sensu litterali; supra enim ostendimus, miracula ejus physice, & realiter patrata fuisse: ergo etiam de Divinitate sua loquens proprie, & in sensu litterali intelligendus est.

Et re quidem vera Christum in hunc mundum se venisse sæpius dixit, ut pauperibus evangelizaret, atque hac de caussa sermones suos ad eos plerumque direxit: ergo quum hoc genus hominum subtiliora assequi, & quæ metaphoricum sensum habent, facile interpretari non possit, sequitur voluisse Christum, ut litterali sensu acciperentur, quæ de se affirmabat. Hinc vero est, quod quamvis Judæi lapidibus eum obruere sæpe tentaverint, quia Dei filium se faciebat; tamen Christus non solum nunquam eosdem monuit, non recte eos intellexisse, quæ de sua Divinitate prædicaverat; sed in eo perstitit, & opera, quæ fecerat, suæ Divinitatis argumenta satis evidentia esse confirmavit (a).

Hinc etiam est, quod quando seniores plebis, principes sacerdotum, atque Scribæ inter se convenerunt, ut Christum, quia se fecerat Dei filium, morti traderent, atque hac de caussa ab eo exquisierunt, num revera esset Dei filius, Christus eisdem respondit: (b) *Vos dicitis, quia ego sum*: inde autem factum fuit, ut omnes simul clamaverint: (c) *Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus testimonium ejus*; & Summus Sacerdos dixerit: (d) *Quid adhuc desideramus testes? audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis*. Ex quibus omnibus hanc argumentationem instituere possumus: Scribæ, atque Pharisæi quia litterali sensu ea acceperant, quæ Christus de sua Divinitate prædicaverat, eum morte dignum esse putaverunt: hoc licet Christus adverteret; tamen se Filium Dei esse libere professus fuit: ergo quæ de sua Divinitate affirmaverat, litterali sensu voluit ut acciperentur. Prob. ant. Christus neque ad tribunalia deferri, neque ut blasphemator haberi potuisset, neque etiam fuisset, cur Pilato Judæi reponerent: (e) *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit*, si litterali sensu non accepissent, quæ Christus de sua Divinitate affirmaverat: quandoquidem tam Judices, quam ceteri omnes Dei filios adoptivos se esse putabant, & nemo unquam uti blasphemator, & morte dignus habitus ab iisdem fuit, aut haberi poterat, quia adoptivum Dei filium sese diceret.

SCHOLION.

Veritatem miraculorum Christi etiam ii Ethnici confessi sunt, qui in Christianam Religionem odio quam maximo flagrabant.

Etenim Julianus, quamvis Christianæ Religioni summopere infensus fuerit, pluraque contra Christum cum summa impietate blasphemaverit; tamen facere non potuit, quin claudos, & cæcos a Christo sanatos, & dæmoniacos fuisse liberatos confiteretur. Postquam enim Christum contempsit, ita habet, ut apud S. Cyrillum lib. 6. contra eumdem legere est: *Nisi quis claudos, ac cæ-*

(a) *Joan.* 10. v. 31. & seq.
(b) *Lucæ* 22. v. 70.
(c) Ejusdem cap. v. 71.
(d) *Marci* 14. v. 64.
(e) *Joan.* 9. v. 7.

cæcos curare, & dæmonio correptos adjurare in pagis Bethsaida, & Bethania, magni alicujus facinoris habeat. Alter non minus infensus hostis Christianæ Religionis Porphyrius fuit: hic autem virtute Christi factum fuisse, ut oraculorum ora obmutescerent, fateri debuit: „ Postea enim quam Jesus colitur (ita „ ipse apud Eusebium *Præparat. Evangelica* lib. 5. cap. 1.) nihil utilitatis a „ Diis consequi possumus: neque mirum, si tam multis annis postea civitas „ vexatur, quum Æsculapius, & alii Dii longe absint ab ea „. Hinc quamvis nolens facere non potuit, quin nonnulla de Christo, & quidem etiam ex testimonio inanium oraculorum, cum laude prædicaret: „ Dicit etiam bona „ [inquit S. Augustinus de *Civitate Dei* lib. 19. cap. 23. num. 2.] philosophus „ iste de Christo, quasi oblitus illius, de qua paulo ante loquuti sumus, contumeliæ suæ; aut quasi in somniis Dii ejus maledixerint Christo, & evigilantes eum bonum esse cognoverint, digneque laudaverint. Denique tam„ quam mirabile aliquid, atque incredibile prolaturus, *præter opinionem*, in„ quit, *profecto quibusdam videatur esse, quod dicturi sumus. Christum enim* „ *Dii piissimum pronunciaverunt, & immortalem factum, & cum bona prædicatione ejus meminerunt*. Deinde subjicit velut Deorum oracula blasphe„ mantium Christianos. Et post hæc: *de Christo autem*, inquit, *interrogantibus si est Deus, ait Hecate: quoniam quidem immortalis anima post corpus* „ *ut incedit, nosti, a sapientia autem abscissa semper errat, viri pietate præstantissimi est illa anima, hanc colunt aliena a se veritate* „. Quis ita stul„ tus, (ita S. Augustinus num. 3. postquam alia quoque oracula retulit a Por„ phyrio laudata, quæ licet in Christi honorem, tamen in infamiam Christiano„ rum cedunt) ut non intelligat, aut ab homine callido, eoque Christianis „ inimicissimo hæc oracula fuisse conficta, aut consilio simili ab impuris dæ„ monibus ista fuisse responsa; ut scilicet quoniam laudat Christum, propte„ rea credantur veraciter vituperare Christianos; atque ita, si possint, inter„ cludant viam salutis æternæ, in qua fit quisque Christianus „? At sive hæc oracula a Porphyrio conficta, sive ab impuris dæmonibus pravo consilio prolata fuerint, a Porphyrio certe vel invito Christum laudatum fuisse semper æque constat.

Veritati miraculorum Christi Hierocles quoque testimonium reddidit, qui parum habens, quod in Christianos sæviret, opus composuit *Philalethem* inscriptum, in quo miraculorum Apollonii Thyanæi cum Jesu Christi gestis comparationem instituit: „ Sus deque nugantur [ita idem Hierocles apud Euse„ bium in *Demonstrat. Evangelic.* lib. contra Hieroclem confutat. lib. 1.] Je„ sum tollentes, ut qui cœcis videndi reddiderit facultatem, & alia id genus „ admiranda præstiterit „. Postquam autem plura Apollonii miracula recensuit, hæc habet: „ In quem ergo finem hæc commemoravi? ut nostrum il„ lud accuratum solidumque de omnibus judicium, & Christianorum levitatem „ inter se contendere liceret; quum nos illum, qui tanta patravit, non pro „ Deo, sed homine Diis charo gratoque habeamus, illi contra ob paucula quæ„ dam prodigia Jesum Deum prædicent „. Comparationem ergo miraculorum Christi cum miraculis Apollonii quamvis Hierocles impie inepteque instituerit; tamen veritatem illorum simpliciter negare non est ausus, solumque impius homo affirmavit, veritatem miraculorum Christi inde suspectam esse posse, *quod Jesu Christi res gestas Petrus, & Paulus, aliique similis notæ mirifice extulerint*,

rint, *homines mendaces*, *indocti*, *& impostores*. Hinc vero constat, quanta Deistarum nostri temporis, dum veritatem miraculorum Christi negant, audacia sit: nam longius progressi, ac Ethnici priorum sæculorum, quod illi quamvis insano contra Religionem Christianam odio flagrarent, manifesta rei veritate convicti negare non ausi sunt, isti effronti ore falsum pronunciant. Qua quidem in re eo impudentiores se esse demonstrant, quo ex iis, quæ ad Christi miracula consequuta sunt, veritatis eorumdem miraculorum evidentiora argumenta habent. At vero in eo quoque sese contemnendos, atque deridendos, seu ut verius dicam, commiserandos sapienti cuique viro præbent, dum Hieroclem imitati Christi miraculis miracula Apollonii opponunt; quasi vero *Philalethem* Hieroclis opus mendacii plenum esse, tum Eusebius, tum alii sapientissimi viri nostri temporis summa cum evidentia non demonstraverint. Hoc vero in caussa fuit, cur tum Woolstono, tum aliis ejusdem furfuris hominibus hanc comparationem impie instituentibus aut nihil, aut non pluribus respondendum esse censuerimus, ne actum ageremus.

Tandem etiam Celsus in odio adversus Christianos nemini secundus miracula patrata fuisse a Christo negare non est ausus, quamvis cum præstigiatorum prodigiis illa comparaverit, uti tradit Origenes lib. 1. contra eumdem num. 49. & seq.

Hisce autem omnibus si testimonium Judæorum adjiciamus, quos miraculorum Christi veritatem fuisse confessos, jam demonstravimus, de veritate miraculorum Christi tum testimonio Ethnicorum, tum aliorum omnium, qui infensum odium contra Christum gerebant, manifeste constare, unicuique perspectum non esse non poterit.

Veritati ergo existentiæ Christi, atque miraculorum ejus non est, cur amplius Auctor *Cogitat. Philos.* §. 46. sese opponat, quamvis ad fidem hujus rei faciendam consensionem unius gentis insufficientem esse inepte contendat, requiratque testimonium eorum, qui contra senserint, alteriusque religionis fuerint. Nam tum Judæi, tum Ethnici, licet utrique infenso odio contra Christianam Religionem flagrarent, apertissimum tum existentiæ Christi, tum miraculorum ejus testimonium reddidisse, jam demonstravimus. Dum vero superaddit, se potius assensurum uni, qui rem probabilem narrat, quam multis, qui aliquid referant, quod probabile non sit: quam varia ingenia hominum sint, semperque fuerint, se ignorare demonstrat. Quid? Nonne multa nunc quoque a quibusdam agi videmus, quæ ut agerent, vel nullam rationabilem caussam habuerunt, vel si habuerunt, ea nobis perspecta aut non est, aut esse non potest? Profecto semel ac admittamus, nihil eorum, quæ posteris tradita fuisse legimus, admitti debere, nisi simul certam rationem noverimus, cur evenerint, de historiæ veritate actum omnino esse, nemo non videt. Primo ergo in factis historicis num aliqua pugnantia sit, videndum est: deinde vero expendatur oportet, num fides adhibenda sit iis, qui rem gestam narrant. Hæc autem duo si simul unita consistiterint; hoc est, si & res gesta non repugnet, & omni fide digni sint, qui eam narrant, tunc dubitandi locus ei tantum superesse potest, qui de omnibus dubitare amat.

§. IIII.

§. IIII.

DE RESURRECTIONE CHRISTI DOMINI, EJUSQUE ASCENSIONE IN COELUM.

Multa licet Christus, atque insignia miracula fecerit, cujusmodi ea omnia sunt, de quibus usque modo mentionem fecimus; similia tamen iisdem, atque etiam quæ videntur majora, Apostolos patravisse, negari non potest. Inde vero non consequitur, ut miraculorum tum Christi, tum Apostolorum eadem ratio habenda sit: nam ab illis virtute Christi, a Christo autem virtute propria miracula patrata fuerunt: „ In Christo enim (inquit S. Augustinus *Enarrat.* in psal. 130. num. 6.) majora videntur fecisse Apostoli, „ quam ipse Dominus. Sed unde fieri potest, ut plus valeant sarmenta, quam „ radix? quomodo autem quasi majora videntur fecisse illi, quam ille? Ad „ vocem Domini surrexerunt mortui, ad umbram transeuntis Petri surrexit „ mortuus. Majus hoc videtur, quam illud. Sed Christus facere sine Petro „ poterat, Petrus nisi in Christo non poterat: *Quia sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (a) Non enim sibi [ita prosequitur S. Doctor *Enarrat.* in psal. „ 93. num. 8.] arrogare servi voluerunt potentiam Domini sui, ut dicerent „ a se factum esse, quod ille in ipsis faciebat. Honorem ergo dederunt servi Domino suo: dixerunt, quia quæ illi mirabantur, in nomine fierent ejus, „ quem illi crucifixerunt „.

Tria vero sunt miracula Christi, quæ ceterorum omnium miracula superant: primum est, quod ex virgine natus fuerit: secundum, quod tertia die propria virtute resurrexerit a mortuis: tertium, quod in cœlum ascenderit: „ Omnia quidem ceterorum miracula superat (inquit S. Augustinus *Tract.* 91. „ *in Joan.* num. 3.) quod est natus ex virgine, matrisque integritatem solus „ potuit nec conceptus violare, nec natus... Jam vero illud quod die tertia „ in carne, in qua occisus fuerat, de sepulcro se reddidit vivum, & nunquam „ deinde moriturus cum illa ascendit in cœlum, superat etiam cuncta, quæ fecit.. „ Nos igitur, omissa de primo miraculo disputatione, cujus ea conditio, & natura est, ut neque propter abditam mysterii rationem hominibus, qui omnia angustis rationis humanæ viribus metiuntur, explicari possit, neque propter venerabilem sanctitatem impiorum effronti garrulitati, vel defendendi caussa, objiciendum sit: continuo ad Resurrectionem Christi veniemus, deinde vero ad Ascensionem progrediemur; quorum amborum miraculorum tanta sunt, tamque perspicua testimonia, ut solis rationis humanæ, communisque sensus principiis impiorum temeritatem obmutescere cogant; eaque vis, ut ex his duobus miraculis comprobatis, reliquorum omnium, & Nativitatis Christi, totiusque Evangelicæ historiæ veritas consequenter inferatur. Sit igitur.

Propositio I. Christum resurrexisse a mortuis ea omnia argumenta demonstrant, quibus de certitudine alicujus facti evidentissime constare potest.

Ne ullus de hac re cuivis, dum tamen usum rationis omnino non amiserit, dubitandi locus superesse possit; 1. eam non unius, aut alterius testimonio, sed plurimorum, qui inter se mirifice consentiunt, innixam esse demonstrabimus: 2. nullam in iisdem, quoad rem istam sensuum illusionem, phantha-

(a) *Joan.* 15. v. 5.

thasiæ errorem aberrationemve mentis contingere potuisse: 3. contra institutionem, quam primitus habuerant, atque persuasionem, qua imbuti erant, hac de re tuisse plenissime convictos: 4. nullam rationem habuisse, cur mentirentur: 5. etiam si habuissent, alios decipere non potuisse: 6. tandem revera non fuisse mentitos. Hæc ergo omnia singulatim diligentius expendenda aggredimur.

Plures itaque fuisse, qui Christum a mortuis redivivum conspexerunt, testata res est: non solum enim Apostolis, sed etiam aliis multis datum fuisse, ut tam præcellenti visione fruerentur, ex Evangelica historia compertum habemus (a) „. Qui visus est Cephæ, (ait S. Apostolus Paulus I. *Corint.* 15. v. 5. „ & seq.) & post hoc undecim: deinde visus est plusquam quingentis fratri- „ bus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt: „ deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus „. Res ergo hæc est, quæ non unius, aut alterius, sed plurimorum est firmata testimonio. Plures autem quamvis sint, diversæ ætatis, institutionis, atque sexus, qui Christum a mortuis redivivum conspexisse leguntur; nemo tamen eorum est, qui cum altero non consentiat, uti tum ex Evangelica historia constat, tum etiam inde evinci potest, quia Judæi, quamvis nihil non tentaverint, ut Christi resurrectionem suspectam redderent, hoc Apostolis nunquam exprobarunt. Quapropter etiamsi multitudinis testium ratio tantummodo habeatur, Christi resurrectionem ex mortuis, rem esse, quam revera contigisse nemo, dum sit recta ratione præditus, eaque uti velit, negare queat, æquo jure contendimus. Nam & multiplices ii fuerunt, diversique generis, & testimonium eorum semper consentiens inter se fuit. Immo quum Christum redivivum a mortuis iidem sæpius conspexerint, uti ex Evangelica historia constat, consequens inde est, ut eorum testimonia testimoniis plurimorum merito æquivalere debeant. Unde hanc argumentationem instituo: si veritas rei alicujus, quæ contigisse legitur, quoad multitudinem testium tantummodo expendatur, a nemine in dubium ea revocari potest, si plures licet ætate, inclinationibus, atque sexu inter se differentes eamdem se sæpius conspexisse ita dicant, ut nulla in testimonio, quod reddunt, discrepantia occurrat; sed res, de qua agimus, hoc habet: ergo.

Illud quoque, quod secundo loco demonstrandum proposuimus, non minus evidens, atque certum est. Testes, quos Christi resurrectionis amplissimos habemus, Christum redivivum a mortuis se vidisse cum summa confidentia sæpius, & ubique testantur, uti Evangelistarum ultima capita legenti manifeste constabit: per dies quadraginta resurrectionis ejus plura argumenta sese habuisse (b), cum eo bibisse, atque comedisse (c), vidisse illum signa facientem (d), mandata eum sibi dedisse, ut suum Evangelium ubique promulgarent, atque docerent omnes gentes (e), *Promissum Patris* se eisdem missurum esse denunciasse (f), atque jussisse, ne ab Jerusalem discederent (g), demum promisisse affirmant, se semper futurum esse cum iis, qui in eum credent (h). Hi autem, qui tam sæpe, tamque certum resurrectioni Christi testimonium perhibent, iidem ipsi sunt, qui Mariæ Magdalenæ nuncianti se vi-

(a) *Marci* 20. *Lucæ* 24. & *Ioan.* 20., ac seq.
(b) *Actorum* v. 3.
(c) *Lucæ* 24. v. 30. 41. & 42. *Ioan.* 21. v. 1.
(d) *Ioan.* 20. v. 30.
(e) *Matt.* 28. v. 19. & 20.
(f) *Lucæ* 24. v. 49.
(g) *Lucæ* laud. ver.
(h) *Matt.* ult. v. ult.

vidisse Christum redivivum a mortuis fidem præbere noluerant (a), qui ab ipso Christo suam incredulitatem sibi exprobratam fuisse affirmant (b), qui testantur, Thomæ adhuc incredulo dixisse Christum: [c] *Infer digitum tuum hic, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis*. Hæc vero omnia talia esse, ut ab iis, qui resurrectionem Christi testantur, suspicionem illusionis sensuum, phantasiæ erroris, alienationisque mentis, nullam relinquant, hac argumentatione demonstro. Illusio sensuum in eo posita est, ut sensibus apparere videatur, quod revera non apparet: phantasiæ autem error tunc contingit, quando phantasmata rerum confictarum nobis obversantur: tandem alienatio mentis, quæ *Enthusiasmus* dicitur, efficit, ut quis judicandi recta facultate propter quamdam insaniam destituatur; sed impossibile fuit, ut Apostolis, ceterisque omnibus, qui Christum viderunt, appareret, quod revera non videbant, audiebant, atque tangebant, phantasmata rei confictæ obversarentur, atque judicandi recta facultate destituti essent: ergo. Prob. mi. 1. oportuisset, ut multorum eadem illusio sensuum, falsa repræsentatio phantasmatum, mentisque insania fuisset: 2. ut eadem ratione oculi, aures, tactus, phantasia, atque mens male affecta essent: 3. ut quo tempore unus, eodem quoque & alii multi hisce vitiis laborarent: 4. ut non semel tantum atque iterum, sed sæpius hoc eveniret: 5. ut nemo vel suam, vel alterius illusionem sensuum, phantasmatum falsam repræsentationem, insaniamque mentis in re tam evidenti unquam detegeret: 6. tandem, ne omnia prosequamur, ut ita decepti & summam efficaciam ad persuadendum habuerint, & multos in suam fidem induxerint; sed hæc fieri non posse, nullus, nisi insanæ mentis sit, negaverit: ergo.

Rursus: Apostoli ea evidentiori ratione, qua fieri poterat, de veritate resurrectionis corporis Christi convicti fuere: ergo. Prob. ant. Si quemdam hominem tum stantem, tum ambulantem quispiam videat, loquentem audiat, plura sibi explicantem auscultet, indeque cognoscat, quæ antea ignorabat, cum eo bibat, atque comedat, eum tangat, signa facientem aspiciat, sui incredulitatem sibi objicientem intelligat, evidentiori ratione, qua fieri potest, de existentia ejus convictus sit oportet; sed hisce omnibus modis veritatem resurrectionis Christi tum Apostoli, tum alii omnes diu, ac multum sæpe probarunt: ergo Apostoli ea evidentiori ratione, qua fieri poterat, de veritate resurrectionis Christi convicti fuere: ergo neque per illusionem sensuum, neque per phantasiæ errorem, neque per alienationem mentis contingere potuit, ut Christum resurrexisse putaverint. (d)

Etiam propter educationem, atque institutionem, multoque magis propter persuasionem, qua imbuti erant, contingere non potuit, ut Apostoli Christum a mortuis resurrexisse errando crediderint. Semel ac reponitur contra Atheistas, atque Deistas, fuisse multos, qui consenserint in rem aliquam, quam ipsi negant; ipsi e vestigio, tamquam ad proprium quemdam suum lo-

 cum,

(a) *Marci* 16. v. 11.
(b) *Marci* laud. cap. v. 14.
(c) *Joan.* 20 v. 27.
(d) Sensus ergo quamvis fallere, aut falli aliquando possint; tamen id neque semper contingere, neque omnino contingere potuisse in hac re, de qua agimus, nimis manifestum est. Unde quod Auctor *Philosophicarum Cogitationum*, ut quæ de resurrectione Christi Apostolorum testimonio constant, dubia faciat, nullam fidem sensibus adhibendam simpliciter esse contendit §. 52., non minus impie, quam inepte contendit.

cum, seu verius, effugium miserabile, confugientes, reponere solent, propter præjudicia infantiæ, & educationis id evenisse. Profecto hoc subterfugio nunc uti non poterunt, quum Apostoli, aliique omnes contra suæ infantiæ præjudicia, educationem, atque institutionem Christum a mortuis resurrexisse crediderint. Quandoquidem jam a teneris tum Apostolos, tum ceteros alios ea persuasione fuisse imbutos, futurum esse, ut Messias, quem Prophetæ promiserant, cum potestate veniret, & non solum nihil mali ab aliis ipse pateretur, sed etiam plures sibi subjiceret, gentisque suæ injurias ulcisceretur, valde probabiliter conjici potest, quum communis, & vulgaris Judæorum hæc opinio fuerit (a). Consequens vero inde est, ut tum Apostoli, tum alii omnes, contra ac eorum educatio, atque prima institutio ferebat, Christum a mortuis resurrexisse putaverint. Quum enim non solum nihil eorum gessisse Christum vidissent, quæ per Messiam, licet falso, certo tamen gerenda esse putabant, prout suæ nationis præjudicia ferebant, sed etiam turpem mortem oppetiisse, nihil magis a fide eorum alienum esse poterat, quam ut Christum a mortuis resurrexisse crederent: ergo tantum abfuit, ut propter suæ infantiæ præjudicia, atque educationem Christum resurrexisse, jactare potuerint, quin potius propter hæc impediebantur: ergo nihil absurdius dici potest, quam Apostolos, ceterosque omnes credidisse, Christum a mortuis resurrexisse, quia eorum infantiæ præjudicia, atque educatio ita ferebat.

In hanc autem fidem propter cognationem sui sanguinis naturaliter inclinati esse non poterant, quum impossibile esset, ut in Christi resurrectionem crederent, aliisque eam credendam proponerent, quin suam gentem uti impiam traducerent: ergo naturali amore, quem in suos habebant, ab hujusmodi fide removeri debuerunt, & quidem eo efficacius, quia eorum omnium odium inde in se concitandum esse videbant.

Demum neque etiam postquam Christus mortuus fuit, fieri poterat, ut aliqua falsa persuasione inducerentur, ut eum resurrexisse crederent. Nam quamvis Christus ante passionem de sua resurrectione illos monuisset; tamen vel non intellexerunt, quid Christus eis dixerat; vel si intellexerunt, propter mortem ejus, & scandalum crucis, hanc promissionem non attenderunt: (b) *Nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*. Hinc vero contigit, ut mulieres, Apostoli, omnesque discipuli Christi, ita sese gesserint, ut de resurrectione Christi vel non cogitare, vel etiam desperare se demonstraverint. Nam (c) „ Quum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Ma„ ria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et „ val-

(a) „ Tale aliquid in Christo (hoc est, „ divitias, victories, alieque similia tempo„ ralia bona, inquit S. Augustinus in lib. „ *ad Honoratum*. seu ep. 140. nu. 20., alies „ epist. 120.) expectebant fieri Judæi unde „ proberent. si vere filius Dei esset... At„ tendentes quippe tempus veteris Testamen„ ti, & illem patrum etiem temporelem „ felicitatem, in qua illis exhibenda demon„ stravit Deus etiam talie dona sua esse, „ non viderunt jam esse tempus, quo re„ velaretur in Christo, bona æterna proprie „ Deum præstare justis, qui bone tempora„ lia præstat & impiis „. At vero aliquos Christi discipulos usque ad Christi Ascensionem in cœlum in ea semper opinione perstitisse, ut per Christum regnum Israel temporale restituendum esse putaverint; hæc dubitare non sinunt, quæ discipulos ad Christum dixisse legimus *Actorum*. 1. v. 6. *Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?*

(b) *Ioan*. 20. v. 9.

(c) *Marci* 16. v. 1. & seq.

„ valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole. Et „ dicebant ad invicem: quis nobis revolvet lapidem ab ostio monumenti? Et „ respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et „ introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris cooper- „ tum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis: nolite expavescere „. Tantum ergo aberat, mulieres de Christi resurrectione cogitare, ut non solum tertia die, qua se resurrecturum esse prædixerat, ad ungendum corpus illius accesserint, sed etiam graviter vehementerque obstupuerint, quando Christi corpus in sepulchro jacens non viderunt; & licet Christum a mortuis resurrexisse, ab Angelo monitæ fuerint; tamen pavor, & tremor eas invasit. Quum ergo a monumento regressæ nuntiassent (a) *Hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus... visa sunt ante illos, sicut deliramenta, verba ista: & non crediderunt illis.* Quid plura? (b) *Petrus surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans, quod factum fuerat*; & tamen Petro, aliisque discipulis tertia die se resurrecturum esse Christus prædixerat, ut legitur *Matthæi* 16. v. 21. Duobus discipulis, qui fortasse discesserant ab aliis, ut ad pristinam professionem redirent, Christus apparet, & ab eis quærit, cur tristitia repleti essent? Nihil ipsi de ejus resurrectione suspicantur, quamvis Christum ita se increpantem audiant: (c) *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt Prophetæ! nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Licet vero postquam Christus cum eis recubuit, aperti fuerint oculi eorum, atque illum cognoverint; anne quum Jerusalem regressi essent, ut hæc omnia ceteris nunciarent, fidem apud eos invenerunt (d)? Discipulis simul congregatis Christus apparet? illi (e) *Conturbati vero, & conterriti existimabant se spiritum videre*, & nonnisi post multiplicia evidentiæ signa Christum resuscitatum agnoscunt, atque adorant. Verum Thomas, qui ab eis aberat, quando venit Jesus, in sua incredulitate persistit, & quamvis simul omnes se Jesum vidisse confirment; tamen iisdem obstinate reponit: (f) *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Et revera eo usque in incredulitate perstitit, donec Christus post dies octo discipulis simul cum Thoma congregatis iterum apparens, dixit Thomæ: (g) *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quis ergo non videat, Apostolos, discipulos, aliosque omnes etiam post Christi mortem persuasionem nullam habuisse, qua in fidem resurrectionis illius inducerentur? non minus ergo propter educationem, primamque institutionem, quam propter aliquam inanem persuasionem, qua imbuti essent, fieri nullo modo poterat, ut Christum resurrexisse crederent: ergo hac in re, de qua disputamus, ad infantiæ præjudicia, primam institutionem, & aliquam inanem persuasionem Deistæ recurrere non possunt, ut tantam impositam nubem testium declinent.

 Eo-

(a) *Lucæ* 24. v. 9.
(b) Eodem *Lucæ* cap. v. 12.
(c) *Lucæ* eodem. cap. v. 20. & seq.
(d) *Lucæ* laud. cap. v. 31. & 16. v. 13.
(e) *Lucæ* eodem. cap. v. 37.
(f) *Joan.* 20. v 25.
(g) *Joan.* eodem cap. v. 27.

Eo jam disputando pervenimus, ut nihil aliud demonstrandum supersit, nisi Apostolos hac in re non fuisse mentitos. Deistarum impudentia facit, [a] ut etiam ab hoc crimine viros Sanctissimos purgare debeamus, quamvis ne leviter quidem de eo suspecti esse possint; immo si eorum sanctitas, innocentia, agendique ratio spectetur, tantum facinus de iisdem cogitare mens ipsa perhorrescat. Sicut ergo jam proposuimus, nullam mentiendi caussam eos habere potuisse, primo loco demonstrabimus.

Apostolos itaque persuasum habuisse, irritam, atque inanem fidem eorum futuram esse, nullamque retributionem sibi post hanc vitam expectare posse, semel ac Christus a mortuis revera non resurrexisset, dubitari non potest: „ Si „ autem [inquit Apostolus I. *Corint.* 15. v. 12. & seq.] Christus prædicatur, „ quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam re„ surrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, ne„ que Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo „ prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Invenimur autem & falsi te„ stes Dei: quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit „ Christum: quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui „ non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, „ vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui „ dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo speran„ tes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus „.

Illud quoque certum unicuique esse debet, Sanctos Apostolos, dum Christum a mortuis resurrexisse promulgarunt, neque propria commoda quæsivisse, neque curasse, ut aliis placerent; quin immo libenter se ipsos objecisse omnibus malis, cunctorumque in se odia contempsisse. Quandoquidem quasi jam sui obliti essent, nihil hujus mundi aliquo in pretio habent, omne genus calamitatum æquo animo patiuntur, verbera, carceres, atque ludibria cum summa constantia perferunt, tandemque etiam ipsi morti postquam gravissimos, atque diutinos labores sustinuerunt, alacriter se subjiciunt. Dum vero tantis molestiis, tantoque sui periculo in fidem resurrectionis Christi cunctos inducere omni ope conantur, odia suæ gentis, & aliorum omnium in se concitanda esse non solum non videre non possunt, sed etiam acriter jam concitata patiuntur, & forti invictoque animo patiuntur. Nam hebetes, tardos, plumbeoque ingenio fuisse fingatur, quo furore sua gens in Christum exarserat, non videre non potuerant, aut non perspicere, futurum esse, ut ejus gentis impietas magis magisque detegeretur, si ille a mortuis propria virtute resurrexisset, quem tam impie, tamque crudeliter occiderant. Quid ergo aliud ab ea expectare sibi poterant, nisi ut contra se odio implacabili concitaretur? Quid ab aliis omnibus, quorum vivendi modum impium esse, aperte denunciare, omnibusque voluptatibus, in quas effusi erant, bellum indicere, sibi certo constituerant? Deinde hæc sibi imminentia mala licet non prævidissent; tamen quando supervenerant, ea non sentire non potuere. Quid? anne quando sentiunt, animo deficiunt? anne ab incœpto opere desistunt, aliumque agendi modum ineunt, & non potius ad quælibet perferenda promptiores, atque alacriores evadunt? Quibus ita con-

(a) Fidem Apostolis adhibendam non esse, VVoolstonus impie sæpe effutit, uti constat ex secunda Joccheri Dissert. *in Examine Paralogismorum Thomæ VVoolstoni de Miraculis Christi.*

constitutis, hanc argumentationem instituo. Resurrectioni Christi, quam omnibus Apostoli evulgabant, tota fides eorum innixa erat, nihilque eis superesse poterat, quod post hanc vitam sibi sperarent, si Christus a mortuis non resurrexerat; aliunde vero Christum a mortuis resurrexisse non ea de caussa omnibus denunciare instituerunt, ut aliquid utilitatis in hac vita sibi compararent, quin potius licet omnia mala, quæ jam præviderant, in se irruisse sentirent, usque ad extremum suæ vitæ spiritum fortiter pertulerunt, ac morte ipsa coronarunt: ergo Apostoli nullam rationem habuerunt, cur Christum a mortuis resurrexisse mentirentur. Conseq. constat: nam mentiti essent, ut multa mala in hac vita sustinerent, nihilque propter ea fructus in altera consequerentur.

„ Ceterum quum discipuli (ita recte ad rem nostram Origenes lib. 2. *contra Celsum nu.* 56.) se totos dederint doctrinæ, quam non sine summo periculo, ut hominum tunc vita erat, profiteri poterant, ipsi mihi videntur perspicuum esse, & evidens resurrectionis argumentum. Hanc enim doctrinam si finxissent, resurrexisse Jesum a mortuis, tanta constantia non annunciassent, ut non solum aliis mortis despectum instillarent, sed etiam ipsi priores hanc subirent „.

At vero non solum nullam caussam, cur mentirentur, Apostoli habuerunt, sed etiamsi alios decipere voluissent, possibile non fuisse contendimus, ut hoc eis succederet. Qua ergo ratione Apostoli, dum Christi resurrectionem promulgarunt, sese gesserint, primo expendamus. Eo loco, in quo contigisse affirmant, eam denunciant, atque manifestant: hoc vero faciunt non post multum temporis, ex quo Christum a se visum esse testantur, sed statim, & quam cito fieri potest: in hujus rei persuasionem non paucos tantum, aut minutum solummodo populum, eumque privatim, sed omnes, cujusvis conditionis ii sint, palam inducere summopere contendunt: (a) „ Viri Israelitæ (ita Petrus publice, & promiscue ad omnes, qui stupebant, quia Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum variis linguis loquerentur) audite verba hæc: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis: quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat, teneri illum ab eo „. Ad Principes vero, Seniores, Scribas, & quotquot erant de genere Sacerdotali, qui in unum convenerant, ut viderent, qua virtute claudus ex utero matris suæ sanatus esset: (b) „ Notum sit omnibus vobis, *inquit*, & omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus „.

Modo vero ita. Quamvis quispiam alteri imponere quoad ea facile possit, quæ vel multo ante tempore, vel in regionibus remotis contigisse refert: licet difficile non sit, ut multa, quæ falsa sunt, tamquam vera occulte traducantur, iisque imperitum vulgus decipiatur: etsi obscuris in locis inanes rumores ut disseminentur, sæpe contingat; tamen fieri non potest, ut quis in errorem alios quoad ea inducat, quæ & eo loco narrat, in quo contigisse dicit, & omnibus tum doctis, tum peritis palam, atque publice narrat, & quidem in ea civitate, cujus dignitas, ac majestas propter multa, quæ continet, su-

(a) *Actorum* 2. v. 22. & seq. (b) *Actorum* 4. v. 10.

supra ceteras praemineat: atqui hanc rationem Apostoli sequuti sunt, dum Christum a mortuis resurrexisse denunciarunt: ergo etiamsi voluissent, alios decipere non poterant.

Unum tantum, nisi mea me opinio fallit, ad istam argumentationem reponi posset; hoc est, possibile esse, ut quae quispiam per miraculum facta etiam eo loco, in quo contigisse dicit, statim ab eventu publice, & coram omnibus, celeberrimaque in regione narrat, ut vera habeantur, licet falsa sint, quia nemo ad ea diligentius animum advertere curet, aut rei veritatem investigare sollicitus sit.

Verum enimvero nihil minus fuit in re ista, de qua agimus: si quid enim unquam contigit, de quo omnes solliciti esse, & veritatem perscrutari debuerint, hoc sane fuit. Duabus enim de caussis evenire potest, ut etiam ea, quae supernaturaliter gesta esse, aliqui publice tradunt, ab iis, qui illa audiunt, non expendantur, nullaque sollicitudo habeatur, ut cognoscant, num vera sint; 1. quando ii, qui talia promulgant, cum omni efficacia non incumbunt, ut cunctos in eorum fidem inducant, & despiciuntur, atque contemnuntur. 2. quando num vera, aut falsa sint, quae nunciant, parum, aut nihil ad unumquemque refert.

At Apostoli nihil magis cordi habuerunt, quam ut omnes Christum resurrexisse crederent, non contemptum, sed admirationem in se omnium concitare debuerunt, & nihil unquam fuit, de quo tum Gentes, tum Judaeos magis sollicitos esse oportuerit. Quid? Principes, Seniores, atque Scribae in unum congregati Petro Joannique praecipiunt, ne in posterum populum doceant? (a) „ Petrus vero, & Joannes respondentes dixerunt ad eos: si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate. Non enim possumus, quae vidimus, & audivimus, non loqui „. Princeps sacerdotum, & omnes, qui cum eo erant, in Apostolos manus injiciunt, eosque in publica custodia ponunt, indeque postea per angelum educuntur? statim ad templum se conferunt, & populum, sicuti antea, docent (b). In concilium adducuntur, eisque iterum praecipitur, ne de Christi resurrectione sermonem habeant? (c) „ Respondens autem Petrus, & Apostoli dixerunt: obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem, & salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam poenitentiam Israeli, & remissionem peccatorum. Et nos sumus testes horum verborum, & Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi „. Demum ut infinita alia omittam, quibus hoc, quod volumus, probari posset, sicuti legenti *Actus Apostolicos* manifeste constabit; postquam caesi sunt, sibi denunciatum intelligunt, ne in nomine Jesu omnino loquantur? (d) „. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant, in templo, & circa domos docentes, evangelizantes Christum Jesum „. Apostolos ergo nihil majori contentione conatos esse, quam ut omnes Christum resurrexisse crederent, nimis perspicuum est.

Neque minus certum est, non contemptum, sed admirationem omnium in

(a) *Actorum* 4. v. 19. & 20.
(b) *Actorum* 5. v. 25.
(c) *Actorum* laud. cap. v. 29. & seq.
(d) *Actorum* eodem cap. v. 41. & 42.

in se concitasse. Statim enim ac post acceptum Spiritum Sanctum variis linguis loqui cœperunt, (a) „ Stupebant omnes, & mirabantur dicentes: nonne „ ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus „ unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus „. Licet autem veluti musto plenos nonnulli eos irriserint; tamen postquam rem gestam Petrus coram omnibus exposuit. (b) *Qui receperunt sermonem ejus baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia*. Ita alia die, qua Apostoli sermonem ad populum habent (c) *Multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia*, atque dum (d) *per manus Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe... magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum*, & magis magisque semper (e) *Verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei*. Hinc quoque fuit, ut quum Philippus Samariam descendisset, multi ei evangelizanti de regno Dei crediderint, ac in nomine Jesu Christi viri, & mulieres baptizati fuerint [f]; ut Paulo, & Barnaba Christum a mortuis resurrexisse suadentibus, gentes gavisæ fuerint, verbum Domini glorificaverint, atque crediderint (g). *Quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, ut Iconii quando iidem Apostoli in synagogam ingressi rem eamdem omnibus proposuerunt, (h) *Crederet Judeorum, & Græcorum copiosa multitudo*, ut Paulo Thessalonicæ Christi resurrectionem annunciante, quidam ex eis crediderint, & adjuncti sint Paulo, & Silæ [i] *Et de colentibus Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ*.

Nec plebem tantum in sui admirationem Apostolos convertisse, dicere quispiam potest. Non solum enim *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei*, sed Scribæ, quoque & Pharisæi, aliique omnes, qui Apostolis fidem præbere renuerunt, eorumdem testimonium non potuere non magni facere. Plura enim tum Scribas, & Pharisæos, tum ceteros quosque, qui Christianæ legi sese subjicere recusarant, tentasse contra Apostolos, nihilque eorum omisisse, per quod eorumdem prædicatio impediretur, nimis testata res est (k). Nemo ergo fuit, qui testimonium Apostolorum vel non curaverit, vel omnino contemnendum esse duxerit.

Nihil quoque magis curæ esse debuit, tum Gentibus, tum Judæis, quam ut, num Apostoli vera nunciarent, cum omni diligentia investigarent. Quandoquidem Gentibus, ut patria instituta relinquerent, a voluptatibus, in quas effusæ erant, abstinerent, aliamque omnino diversam vivendi rationem instituerent, sub pœna æternæ damnationis cum magna securitate Apostoli comminabantur. Quid? nonne numina, quæ ipsi colebant, contemnenda esse Apostoli prædicabant? Res ergo erat, de qua etiam Gentes non diligentissime quærere non deberent. Inde autem factum fuit, ut multi eorum rei veritate convicti, contra infantiæ præjudicia, & instituta Majorum, repugnantibus licet sensibus, pravisque inclinationibus, quibus assueti erant, Christianam Religionem am-

(a) *Actorum* 2. v. 7. & 8.
(b) *Actorum* eodem cap. v. 41.
(c) *Actorum* 4. v. 4.
(d) *Actorum* 5. v. 12. & 14.
(e) *Actorum* 6. v. 7.
(f) *Actorum* 8. v. 12.
(g) *Actorum* 13. 48.
(h) *Actorum* 14 v. 1.
(i) *Actorum* 17. v. 4.
(k) Nullum enim fere caput in *Actis Apostolicis* occurrit, in quo hoc non tradatur.

amplexi fuerint; alii autem veritatem, quam verbis, rationibusque non poterant, vi, atque poteſtate oppugnaverint.

Multo magis autem fuit, cur etiam Judæi in ea inquirerent, quæ Apoſtoli nunciabant. Nam ſemel ac a mortuis illum reſurrexiſſe ponebatur, quem ipſi ſumma cum impietate, atque crudelitate occidendum curaverant; ſemel ac uti auctor bonorum omnium ille colendus erat, quem deſpexerant, atque contempſerant; ſemel ac noſtra ſalus in eo reponebatur, quem uti impium, atque flagitioſum habuerant; nemo inde futurum fuiſſe non videt, ut tamquam inſani, impii, & blaſphemi traducerentur, nullamque ſalutis ſpem ſibi ſupereſſe, confidere poſſent, ſi in ſua opinione perſiſterent: ergo ſi commoda tam præſentis, quam alterius vitæ ſpectemus, nihil gravius Chriſti reſurrectione Judæis occurrere poterat, in quod omnem ſuam curam collocarent, ut viderent, num verum eſſet, quod de ea nunciabatur. Et re quidem vera nonne Sacerdotes, & Magiſtratus templi in unum ſæpe convenerunt, ut de Apoſtolis judicium ferrent? nonne coram ſe adductos diligenter interrogarunt? nonne eiſdem præceperunt, ne in nomine Jeſu amplius loquerentur? nonne ut ad hoc facilius inducerent, verberibus cædi præceperunt? Quid demum non tentarunt, ut Apoſtolos a promulgatione reſurrectionis Chriſti impedirent (a)? Nimis profecto manifeſta res erat, ipſos de ſua impietate eſſe convictos, ſi quem occiderant, a mortuis reſurrexerat; unde illorum iniquitate perſpecta, mirandum non eſt, ſi rei veritatem negare quum non poſſent, poteſtate, quam habebant, ſaltem eam occultare conarentur. Poſtremo etiam Judæorum quam multi fuerunt, qui contra præcepta, atque inſtituta ſuorum, & contra id, quod eorumdem exiſtimatio poſtulabat, Apoſtolos ſequuti fuere: ergo quum nullam hujus vitæ utilitatem inde ſibi comparare poſſent, quin potius plurima, & graviſſima incommoda ſubituri eſſent; rei veritate convictos hoc feciſſe, dicendum eſt.

Id unum tantum demonſtrandum modo ſupereſt, Apoſtolos revera non fuiſſe mentitos. Quamvis autem & hoc quoque ex iis ipſis compertum ſit, quæ uſque modo diſſeruimus, peculiariter tamen probandum aggredimur. Eos fuiſſe mentitos, qui rem aliquam ſe vidiſſe referunt, nemo ſane mentis dixerit, ſi fidem illorum nullo modo ſuſpectam habere poſſit: ſed fides Apoſtolorum nullo modo ſuſpecta eſſe poteſt: ergo. Prob. mi. Tunc fides aliquorum, qui rem aliquam ſe vidiſſe referunt, nullo modo ſuſpecta eſſe poteſt, quando ipſi, quamvis plures ſint, tamen inter ſe conſentiunt, nullamque ſenſuum illuſionem, aut phantaſiæ perturbationem, alienationemve mentis pati potuere; multoque minus ſuſpicioni locus eſſe poteſt, ſi illos de tali re, a priſtinis eorum perſuaſionibus aliena, fuiſſe convictos, pleniſſimeque perſuaſum habuiſſe, conſtet; denique ſi neque mentiendi cauſſam habuiſſe, & vel ſi voluiſſent, tamen mentiri non potuiſſe, exploratum ſit: ſed hæc omnia convenire in Apoſtolis jam demonſtravimus: ergo.

Verum enimvero etiam Apoſtolorum agendi ratio, ſanctitas, morumque præſtantia facit, ut omnis mendacii ſuſpicio procul ab iiſdem abeſſe debeat. Primo enim neminem nonniſi in Chriſto ſalutem conſequi poſſe, candide pronunciant (b), atque in hoc Dei mandatis ſeſe obtemperare profitentur (c). Inde vero eſt, ut neque minis, neque flagellis ab hoc munere deterreantur,

(a) Inter cetera legantur 3. 4. 5. 6. 7. & 8. *Actorum Apoſtolicorum* capita.

(b) *Actorum* 4. v. 19.

(c) *Actorum* eodem cap. v. 39.

tur, quin potius *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* [a]. Magna confidentia Christum ubique prædicant: si ad Judæos sermonem habeant, provocant eos ad Scripturas Veteris Testamenti, quorum veritatem etiam ipsi agnoscunt (b), atque miraculis sua dicta confirmant [c]: si autem ad Gentes; tum miraculis a cultu idolorum eas deterrent (d), tum de absurditate Religionis, quam sequebantur, manifeste convincunt [e]. Nihil sibi utilitatis in hoc mundo quærunt; injuriis lacessiti, quescunt; contumelis onerati, tacent; ludibria sustinent, omniaque mala patiuntur, tantummodo ut omnes perducant in fidem resurrectionis, quam prædicant, cunctisque bene faciant. Sua dicendi ratione neque curiosis morem gerunt, neque philosophiæ systemata proponunt. neque homines docent, unde sibi opes, divitias, atque honores in hac vita comparare possint; sed omni eloquentia posthabita, Christum crucifixum resurrexisse a mortuis, in cœlum ascendisse, atque gloria coronatum esse, eumque propterea uti supremum omnium Dominum coli debere; cum omni simplicitate edicunt. Judæos propterea peramanter hortantur, ut suorum erroribus renuncient, & Christi gloriam suspiciant, atque venerentur; Gentes autem, ut suæ philosophiæ sapientiam contemnant, eique crucis humilitatem præponant. Hoc si fecerint, in altera quidem vita plura se consequuturos esse promittunt; tamen in præsenti & sensibus non indulgendum, & multa mala sustinenda esse pronunciant: atque idipsum suo exemplo confirmant.

De se autem si loquantur, neque a splendore suæ originis, neque a rebus præclare gestis, neque a singularitate doctrinæ aliquid existimationis sibi comparare student; quin potius non solum humili genere se esse natos, nihil admiratione dignum in hoc mundo gessisse, nullamque humanam scientiam sibi comparasse profitentur; verum & sua errata detegunt, atque illud quoque edicunt, se quoque Christum a mortuis resurrexisse quondam non credidisse. Hæc autem omnia si evidentissimæ ingenuitatis argumenta manifesta non sunt, non video, quænam esse possint.

At Judæorum quoque convictio omnem mendacii suspicionem ab Apostolis removet. Fingamus ergo plures homines ita inter se esse opinione divisos, ut qui pro una parte pugnant, & numero pauciores sint, & nec scientia, nec dignitate, neque opibus polleant, sed imperio aliorum subesse debeant, nihil denique per se possint: contra qui stant pro altera, numero sint longe, & absque ulla proportione majores, doctrina, opibus, atque dignitate præcellant, sibique etiam eos subjectos habeant, qui adversantur. Illos igitur aliquid propriis oculis se conspexisse, testari demus, quod semel ac verum esse ponatur, non solum veritatem pro ipsis stare, abunde constet, sed etiam inde consequatur, ut qui contra sentiunt, uti impii, crudeles, sacrilegi, injusti, scelestissimorumque facinorum rei habendi sint. Anne si quis imposturæ locus esse possit, illi non detegent, manifestabunt, atque revelabunt? Si autem, nihil tale faciant, neque conentur, eos rei veritate esse convictos, quis non intelligat? Hoc vero est, quod Apostolos inter, & Judæos contigit: ergo etiam Judæos de veritate hujus facti, quod propugnamus, convictos fuisse oportet. Et re quidem vera Sacerdotes, & Magistratus templi Apostolos ad se adduci curarunt, ut viderent,

(a) *Actorum* 4. v. 33. & cap. 5. v. 41.
(b) *Actorum* 2. v. 17. & seq.
(c) *Actorum* 4. v. 14.
(d) *Actorum* 10. v. 44 & seq.
(e) *Actorum* 7. v. 48. & seq. & cap. 17. v. 42. & seq.

rent, in qua virtute, aut in quo nomine miracula operarentur; eisdem etiam cum minis præcepere, ne in Christi nomine loquerentur, clausos carcere detinuerunt, atque flagellis cædi præcepere (a): ceterum Christi resurrectionem ab iisdem confictam esse, exprobare nunquam sunt ausi.

Ita ergo concludimus contra Deistas. Morali evidentiæ si nulla fides adhibeatur, scientiarum aliæ languerent, aliæ omnino deficerent, nihil recte, atque juste administrari posset, humanaque societas destrueretur: quæ morali evidentia demonstrantur æque evidenter vera esse possunt, ac alia, quæ physicam sui demonstrationem habent, adeoque tum illis, tum istis eodem modo secure acquiescere possumus, immo plus absurdi consequitur, si moralibus, quam si physicis, aut mathematicis demonstrationibus non acquiescamus: demum falsitatis physica, atque absoluta possibilitas, quæ morali evidentiæ non repugnat, facere non potest, quin ei non assentiri debeamus; quodque semel moraliter evidens fuit, tale esse non desinit, dum tamen eadem argumenta credibilitatis habeantur, quantumvis temporis fluxisse ponatur (b); sed nihil moraliter evidentius etiam nunc quoad omnes circumstantias esse potest, quam Christum a mortuis resurrexisse, sicut jam nos abunde confecisse confidimus: ergo Deistæ dum hoc negant, omnes scientias obscurare, vel e medio tollere, humanam societatem pervertere, rei cujuslibet veritatem confundere, omniaque absurda in mundum inducere vellent. Quidquam ne magis impium, perniciosum, atque audax fingi, aut excogitari potest?

Dices I. Christi corpus ab ejus discipulis auferri occulte potuit, deinde vero spargi in vulgus, Christum a mortuis resurrexisse. Huic autem suspicioni ea res locum præbet, quia resurrectio a mortuis quamdam impossibilitatem in se continet: ergo.

R. a Deistis nihil re ista magis absurdum fingi posse. Illud ergo primo ab iisdem quærimus, undenam istud noverint? anne ex antiquis monumentis quidquam expiscati fuerunt, propter quod aliquam saltem vel levem suspicionem hujus rei habere possint? Proferant, si quid simile invenerunt. Ceterum quum revera nihil tale habeant, quod proferre possint, quo tandem ore huic suspicioni locum esse contra evidentissimam moralem demonstrationem affirmare possunt? Hac autem arbitraria, atque inepta, sine ulla caussa, suspicandi temeritate sus deque omnia misceri, humanam societatem perverti, ac rei cujuslibet veritatem confundi, ecquis non videt? Nihil enim amplius in antiquitate certum occurret, nulla conventio amplius servanda erit, omnia, quæ oculis non videmus, immo & ista quoque, quia impossibile non est, ut videndo decipiamur, incerta esse oportebit, semel ac hujusmodi suspicionibus aures quispiam præbeat.

Ac liberalius cum iisdem agamus, & num possibile fuerit, quod ipsi inepte impieque suspicantur, primo quidem quoad Judæos, deinde quoad Christianos, diligentius expendamus.

Ne ergo Christi corpus furtim subriperetur, Judæi omnem præcautionem adhibuerunt „. Altera autem die, quæ est post Parasceven (ita legitur *Matt.* „ 27. v. 62. & seq.) convenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pi- „ latum, dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc „ vi-

(a) Legatur cap. 4. & 5. *Actorum Apostolicorum*.

(b) Hæc omnia constant ex Lemmatibus quæ lib. II. quæst. 1. *Theol. Revel.* præmisimus.

„ vivens: post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit a mortuis; & erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus „. Christum ergo se a mortuis tertia die resurrecturum esse dixisse, Romanum præsidem certiorem primo fecerunt, deinde vero ipsum monuerunt, necesse esse, ut omni diligentia impediretur, ne qua fraus hac in re per discipulos obreperet, quia Christi corpus subripere, eumque a mortuis resurrexisse, in vulgus spargere ipsi poterant, unde futurum esset, ut error priori pejor succederet. Romanus Præses iisdem annuit, atque permittit ad fraudem præcavendam, ut militibus utantur, prout voluerint. Ipsi vero nihil morati ad Christi sepulcrum custodias apponunt; atque illud obsignant. Potuitne omni fraudi diligentius occurri? Prius animo præcaverunt, quod contingere posse suspicabantur; deinde ne contingeret, opem Romani Præsidis exquisierunt, eaque usi fuere, prout iisdem magis placuit. Neque consilium ergo opportuno tempore ipsis defuit, neque consilii exequendi potestas. Fieri ergo non potuit, quoad Judæos spectat, ut Christi corpus furtim subriperetur. Et re quidem vera nullam in hoc fraudem contigisse, etiam ipsi convicti fuere: non solum enim, uti superius dicebamus, nihil tale Apostolis aliquando exprobarunt (quod sane, si potuissent, facere non omisissent, quia hac una re, sicuti vehementer exoptabant, omnem invidiam in Apostolis concitassent); sed etiam quum quidam militum, quos ad custodiam sepulcri Christi apposuerant, eisdem nunciatum venissent, Christum resurrexisse a mortuis, (a) „. Congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a Præside, suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi, accepta pecunia, fecerunt, sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem „. Suo ergo mendacio nihil fraudis ab Apostolis commissum esse, Judæorum Principes, atque Sacerdotes confessi fuere; immo posteri quoque eorum semper confessi sunt, quia licet hæc, quæ retulimus, ab Evangelistis memoriæ posterorum tradita sint; tamen Judæi falsitatis ea accusare nunquam potuerunt.

Modo videamus, num quoad Apostolos, possibile fuerit, ut Christi corpus ab iisdem furtim subriperetur. Illud autem modo non monemus, quod tamen ad suadendum hoc, quod volumus, efficacissimum esse debet, nihil magis a probitate, atque sanctitate Apostolorum, quam istam fraudem, alienum esse posse; nullam rationem habuisse, cur hac in re mentirentur; denique etiamsi habuissent, tamen nec potuisse mentiri, & revera non fuisse mentitos: de hisce enim omnibus plura etiam fortasse, quam necesse erat, jam disputavimus. Possibile ergo non fuisse, ut ab Apostolis Christi corpus auferretur, si res in se ipsa spectetur, hoc vero est, quod modo contendimus. Uti jam observavimus, Christi sepulcrum Judæi obsignarunt, atque ad custodiam ejus milites apposuerunt. Dormientibus militibus, Apostoli Christi corpus non abstulerunt: nam hoc ut falso dicerent, data pecunia, Judæi milites induxerunt; neque fieri poterat, quin plurium hominum concursu, quibus ad revolvendum la-

(a) *Matt.* 28. v. 12. & seq.

lapidem opus erat, *erat quippe magnus valde*, & ipso revolvendi strepitu milites a somno excitarentur, etiamsi obdormiissent: reliquum ergo erat, ut milites Christi sepulcrum custodientes Apostoli vel pecunia corruperint, aut vi superaverint. Neutrum tamen horum contingere potuisse, & Apostolorum conditio suadet, & demonstravit eventus.

Nam Apostoli post Christi mortem summo timore correpti remanserunt: ergo ut milites vel pecunia corrumpere, vel vi superare potuerint, ne in cogitationem quidem cadit. Deinde nonne in summo contemptu erant apud omnes, nihilque auctoritate, aut vi poterant? quomodo ergo possibile fuit, ut milites aut ad fallendum alios pecunia inducerent, aut virtute superarent? Tandem rerum omnium inopia laborantibus Apostolis, qui cuncta reliquerant, unde id pecuniæ præsto esse poterat, quæ ad militum animos corrumpendos requirebatur? unde tanta in eorum pectore virtus subito exarsit, ut paulo ante, suo magistro superstite, aspectum militum sustinere non ausi, eo mortuo, cum eisdem, & quidem ad mendacium confingendum, convenerint, aut manus conserere non dubitaverint? Milites vero probabile ne est, mandata Præsidis, & potentiam Judæorum, a quibus nihil non metuere poterant, contempsisse, ut paucis quibusdam infimæ plebis, nulliusque existimationis hominibus, quales Apostoli habebantur, rem gratam facerent, aut si victi, & superati essent, hoc celare voluisse, vel potuisse, licet voluissent? Verum & quid consequutum deinde fuit, paucis expendamus.

Anne timidi, imbecilles, & modicæ fidei antea quum essent, nullo disciplinæ genere instructi, atque apud omnes vulgari in pretio haberentur, propter tam turpe mendacium, quod confinxerant, tantam alacritatem, fortitudinem, atque firmitatem comparare subito sibi potuerunt, ut unanimi consensione palam prodirent, linguis omnibus loquerentur, miracula patrarent, omnes in sui admirationem converterent, multosque tum Judæorum, tum Ethnicorum ad Christi Religionem amplectendam inducerent? Quomodo factum, ut tanta, atque tam gravia mala absque ulla spe retributionis ad mortem usque sustinuerint, ipsamque mortem vel crudelissimam contempserint? qua ratione contigit, ut eadem fortitudo in aliis deinde perseveraverit, virtus permanserit, efficacia persliterit, atque ita omnes ubique gentium in Christi resurrectionem assensi fuerint? Profecto qui hæc omnia ad mendacium consequi posse, affirmare non erubuerit, non video sane, quid erubescere possit. „ Ineruditos, (inquit S. Augustinus lib. 22. de *Civitate Dei* cap. 5.) liberalibus „ disciplinis, & omnino, quantum ad istorum doctrinam attinet, impolitos, „ non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare hujus sæculi paucissimos misit, „ atque ita & ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, „ quanto rariores, etiam ipsos Philosophos cepit. Duobus illis incredibilibus, „ si placet, immo quia placere debet, addamus hoc tertium. Jam ergo tria „ sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt. Incredibile est, Christum resurrexisse in carne: incredibile est mundum, rem tam incredibilem credidisse: „ incredibile est, homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam „ incredibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt illi, cum quibus agimus, „ credere; secundum coguntur & cernere; quod non inveniunt, unde sit factum,

" ctum, si non credunt tertium. Resurrectio certe Christi, & in cœlum cum " carne, qua resurrexit, ascensio, toto jam mundo prædicatur, & creditur: " si credibilis non est, unde toto terrarum orbe jam credita est "?

Illud autem hic monendum censemus, milites ab Apostolis aut ad fallendum induci, aut vi superari non potuisse, dum diximus, ita accipi velle, ut hoc de impossibilitate morali, non vero de physica intelligendum sit. Neque enim ignoramus, rem ipsam, si ea physice spectetur, etiam aliter contingere potuisse. Verum hoc non officit, quin impossibile dici possit, ut milites ab Apostolis vel ad fallendum inducerentur, vel vi superarentur: nam quoties de re aliqua gesta agitur, videndum est, num moraliter alia ratione contingere potuerit, atque debuerit, non vero physice, quum per physicam possibilitatem, qua res aliqua contra contingere poterat, quam gesta esse dicitur, ad moralem evidentiam non pertineat, uti jam observavimus (a). Quando enim quæstio facti est, non quid fieri debuerit, aut simpliciter potuerit, quæritur; sed id tantum agitur, unde nam constet, num revera factum, vel non factum fuerit, quod gestum esse dicitur. Ad hoc autem pervenitur, dum aliter contingere moraliter non potuisse demonstratur.

Ad illud autem, quod de impossibilitate resurrectionis Deistæ opponunt, non est, cur multis respondeamus: nam Divina virtute fieri posse, ut reviviscant corpora mortuorum, quamvis omnino dissoluta ea fuerint, jam demonstravimus (b). Quanto id ergo facilius Christo erat (quamvis omnia, quæ fieri possunt, Deo æque facilia sint), ut proprium corpus, quod corruptum, atque dissolutum non erat, redivivum faceret? Anne in hoc aliquis contradictioni locus patet? anne idem simul esset, & non esset, semel ac corpus, quod prius mortuum fuerat, deinceps revixisse ponatur? Aut ergo Deum ea omnia facere posse Deistæ admittunt, quæ non repugnant, vel non admittunt: si admittant; non est, cur contra possibilitatem resurrectionis amplius pugnent: si autem non admittant; negant, quæ Deo convenire necessario debent, adeoque & Divinam naturam de medio tollunt, neque Deistæ jam erunt, hoc est ut se ipsi profitentur, Naturalistæ, sed Atheistæ esse cogentur.

Dices II. Si Christus a mortuis revera surrexit, cur sicuti coram omnibus mortuus fuerat, non ita omnibus quoque apparuit, neque cum eis, sicuti antea, familiariter egit? nam ita contigisset, ut & dubitationem ab omnibus amoveret, & singuli in eum crederent; sed occulte resurrexit a mortuis, & quibusdam tantum apparuit: ergo, concludunt Deistæ, veram Resurrectionem non fuisse, merito suspicari quispiam potest.

Hæc eadem objicienti Celso, quid Origenes contra reposuerit, primo videamus, deinde vero quam inepte Deistæ nostri temporis & præcipue Woolstonus crambem istam coctam recoquant, diligentius expendemus. " Jesus, " quamvis unus esset (ita Origenes *contra Celsum* lib. 2. num. 64.) plura tamen erat pro varia illum considerandi ratione, nec eodem modo inspicientibus omnibus videbatur. Illum plura fuisse pro varia illum considerandi ratione, patet ex hoc loco: *Ego sum via, veritas, & vita*, (c) & ex illo: *Ego sum panis*; (d) & ex hoc: *Ego sum ostium*, (e) & ex aliis innume- " ris.

(a) Lib. 2. quæst. 1. lem. 9. *Theol. Revel.*
(b) *Theol. Nat.* lib. 3. quæst. 6. ar. 1.
(c) *Joan.* 14. v. 6.
(d) *Joan.* 6. v. 36.
(e) *Joan.* 10. v. 9.

„ ris. Eumdem autem non semper intuentibus visum fuisse, sed pro intuentium captu, evidens erit cogitanti, illum, quum in excelso monte transfigurandus esset, non secum Apostolos omnes duxisse, sed Petrum, Jacobum, & Joannem solos, utpote qui soli videndæ ejus gloriæ pares erant, poterantque Moysen, & Eliam in gloria conspicuos contemplari, eos colloquentes, & cœlestem vocem e nube emissam audire... Dicimus eum, antequam expoliasset principatus, & potestates, & esset peccato mortuus, potuisse ab omnibus videri; sed postquam expoliavit principatus, & potestates, & haberi desiit, quod sub oculos vulgi caderet, non potuisse videri ab illis omnibus, qui illum antea viderant. Unde si non se omnibus post resurrectionem conspiciendum dedit, id fecit, ut illis parceret „. Nu. 65. „ Quid dico omnibus? Immo ne Apostolis, & discipulis quidem sui præsens semper aderat, nec semper videbatur, ut qui aspectum ejus sine ulla intermissione ferre non poterant. Fulgidior enim, absoluta dispensatione ejus erat divinitas.... Quemadmodum igitur Jesum nulla caussa quis reprehenderet, quod, quum se transfiguraturus esset, & vestimentorum suorum splendorem, gloriamque Moysis, & Eliæ cum ipso colloquentium ostensurus, non Apostolos omnes in montem excelsum perduxerit, sed solos tres ante nominatos; sic immerito de Apostolorum scriptis conquereretur, quod Jesum referant post resurrectionem visum fuisse non omnibus, sed iis, quorum oculos esse noverat suæ resurrectioni videndæ pares „. Nu. 67. „ Nec enim illi, nec suis adversariis oportuit, ut se commonstraret: illi enim, & istis pepercit Jesus, ut ne percuterentur cæcitate, qua Sodomitæ percussi fuerunt, quum Angelorum apud Lot hospitantium pulchritudini struxerunt insidias „. (a)

2. Respondeo vel si contra hanc objectionem Deistarum quidquam reponere non possemus, nihil tamen ex ea inferri contra nos posse. Uti enim sæpe monuimus, quæ facti sunt, rationibus metaphysicis subjecta esse non debent. Quandoquidem quum nihil eorum, quæ per homines contigerunt, ita factum fuerit, ut etiam alio modo ob caussas diversas fieri non potuerit, si semel admittatur in quæstionibus facti metaphysicis rationibus rem esse agendam, jam nihil in historia tam certum occurret, quod contra communem consensionem, atque auctoritatem omnium nunquam contigisse, facile probare quispiam non posset. Si ergo nonnisi temere rationibus metaphysicis ea quispiam convellere vellet, quæ ab homine facta fuisse, evidentissima morali ratione constat, quo ore Deistæ quæ sapientissimo Dei consilio hoc, vel illo modo disposita, atque ordinata esse, certissima morali ratione compertum est, propter quasdam metaphysicas rationes, immo ne metaphysicas quidem, sed plane commenticias, atque arbitrarias, quas ad libidinem sibi confinxerunt, in dubium revocare poterunt? Profecto hac sua agendi ratione non solum contra communem consensionem hominum pugnant, sed etiam ipso Deo sapientiores se faciunt. Anne fingi major audacia, aut stultitia potest?

Verum non unum, sed sane multa habemus, quæ objectioni eorum solide respondeamus. Sicuti ergo quum Christus in cruce penderet, Judæi ab eo ut se salvum faceret, quo fidem illi habere possent (b), nonnisi stulte petierunt, postquam tot, atque tanta illius signa viderant, ut de ejus Divinitate dubi-

(a) *Genesis* 19. v. 11. (b) *Matt.* 27. v. 40.

ubitare nullo modo possent; ita etiam Deistæ, ut Christi resurrectioni assentiri valeant, eam, omnibus videntibus, contigisse, Christumque cunctis apparuisse temere vellent, quum hac de re testimonio multorum contenti non sint, in quam nulla mendacii suspicio cadere potest.

At hoc, quod de testimoniorum paucitate opponunt, vel firmi argumenti, vel conjecturæ tantum loco habent; sed neque firmi argumenti, neque conjecturæ loco habere possunt: ergo inepte hujusmodi difficultatem nobis obtrudunt.

Non quidem firmi argumenti loco habere possunt: quæ enim argumentandi ratio hæc esset? Christus a mortuis redivivus non omnibus apparuit: ergo neque etiam multis. Non apparuit Judæis sibi inimicis: ergo neque etiam Apostolis, atque discipulis. Familiariter, sicuti fecit ante mortem, conversatus non fuit cum hominibus: ergo nullo modo eisdem se videndum præbuit. Deistæ sane dolerent, si eos ita argumentantes induceremus. Quapropter conjecturæ tantum loco habere possunt. Sed neque etiam ut conjectura adduci potest: nam illas solummodo veritates per conjecturas assequi contendimus, quæ aliunde perspectæ non sunt, aut esse nequeunt: ubi autem vel ipsa ratione, quando ratione contenditur, vel testimonio, quod sane ad veritatem facti requiritur, sint idoneo, ac certissimo confirmata, conjecturæ non est locus, quia præter rationem est, ut conjecturæ contra argumenta vel ab ipsa ratione, vel ab evidenti testimonio petita adhibeantur. Quum ergo resurrectio Christi, quæ res facti est, tam evidentibus sit confirmata testimoniis, ut nihil certius esse possit, si Deistæ contra eam conjecturas adhibeant, inepte absurdeque adhibent. Ne ergo præter omnem rationem se agere dicant, ne conjecturæ quidem loco se habere hoc, quod contra Christi resurrectionem opponunt, fateantur oportet. Deinde qualis tandem dementia est, quæ Divino consilio sunt sapientissime constituta, inanibus conjecturis, confictis arbitrio hominum, immutare, pervertere, atque etiam tollere velle.

Verum enim vero dubitari merito potest, num Deistæ contra Christi resurrectionem hæc ex animo opponant, an vero ut fucum aliis faciant, suæque incredulitatis aliquem prætextum exhibeant. Ita enim argumentantur: finis resurrectionis non alius esse potuit, quam ut omnes de Evangelii Divinitate per hoc miraculum convicti remanerent, & gloria Dei per Christianam Religionem manifestaretur; sed si Christi resurrectio, inquiunt, omnibus innotuisset, Evangelii Divinitatem cuncti agnovissent, atque inde major Dei gloria consequuta esset: ergo, concludunt, quum Deus sit summa sapientia, atque potentia præditus, efficere debebat, ut hujusmodi miraculum omnibus manifestum evaderet; sumunt autem, sed non effecit: ergo, confirmant, temere confictum fuit.

Sed imprimis joculare est, audire Deistas, qui negant mortuorum corpora Divina virtute in vitam restitui posse, nunc repente Divinam virtutem prædicare, ut merito videri possint, in hoc ipso minime ex animi sententia loqui. Verum detur sane, eos sine fictione loqui: attendant igitur, atque huic argumentationi respondeant.

Tum suæ gloriæ, tum etiam utilitati hominum Deus magis prospexisset, si ita se omnibus manifestasset, ut nemo de existentia illius dubitare, neque de ejus perfectionibus falsas ideas concipere posset; sed id non fecit, quam-

quamvis summa sapientia, atque potentia praeditus sit: ergo nullus existit Deus. Quia Deistae Religionem naturalem admittunt, quam solam ut veram, & rationabilem defendunt, huic Atheistarum argumentationi respondeant oportet. Quod ergo ipsi Atheistis haec objicientibus reposuerint, & nos quoque iisdem reponemus. Itaque tandem aliquando fateantur, summam stultitiam, atque impietatem esse, quae certissima sunt, in dubium revocare, quia non omnium rationem assequi possumus. Hoc si sine summa praesumptione non fit etiam in iis, quae humano consilio disponuntur: quae praesumptio erit, hoc idem audere etiam in aliis, quae Deus nonnisi sapientissime providere, atque determinare potuit? Nam [a] *Incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viae ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quamvis ergo tam in Religione Revelata, quam in Naturali argumenta evidentissima credibilitatis occurrant; quum tamen plura in utraque sint, immo esse debeant, quae intellectus nostri vires longe excedunt, quia sunt constituta Dei consilio, quod nos assequi non possumus; mirandum non est, si in utraque multa contineantur, quae nobis obscura sunt, neque satis intelligere valemus.

Rationem ergo superest, ut afferamus, cur merito quempiam suspicari posse diximus, num Deistae haec contra Christi resurrectionem opponant, ut fucum aliis faciant, & suae incredulitatis aliquem praetextum habere possint. Christi resurrectionem se admissuros fuisse profitentur, si Christus a mortuis redivivus omnibus apparuisset. Verum quum humanum testimonium contemnant, & metaphysicam demonstrationem etiam in iis quaerant, quae facti esse dicuntur, frustra hoc exigunt. Nam rei alicujus testes vel plures, vel pauciores fuerint, semper evidentia nonnisi moralis esse potest. Deinde Christum apparuisse omnibus quomodo ipsi cognoscere possent? Profecto non alia ratione, nisi dum in hujus rei testes inquirerent, atque viderent, num fide digni essent, reliquasque omnes circumstantias expenderent; sed licet resurrectio Christi, prout nunc ea demonstrari potest, habeat omnia argumenta credibilitatis, tamen illam non admittunt: ergo tunc se admissuros esse falso dicunt, si ejusdem majorem multitudinem testium haberent. Tandem nonne miracula, quae Christus publice, coram omnibus, atque in utilitatem plurimorum fecit, multa sunt; & tamen ea admittere recusant? ergo dum Christi resurrectionem ideo se rejicere obtendunt, quia non omnibus manifestata fuit, ad fucum aliis faciendum, & aliquam suae incredulitatis excusationem praetexendam hoc dicunt.

Neque vero deest congruens ratio, quae reddi possit, cur Christus a mortuis redivivus non omnibus apparuerit. Quaedam enim sunt, quae communi naturae lege cognoscuntur, quaedam vero cognoscuntur peculiari munere gratiae, sicuti ea sunt, quae divinitus revelantur. Quamvis illa omnibus manifesta fiant, non tamen illa, quia supra nostram cognitionem posita sint. Quia igitur Christus gloriosa resurrectione, quae est supra cognitionem nostram, a mortuis revixit, ideo ea non omnibus manifestari debuit, sed quibusdam tantum, per quos deinde in aliorum quoque cognitionem deveniret. Inde vero & illud quoque constat, cur passio Christi omnibus manifestata fuerit. Nam peracta est in corpore, quod habebat naturam passibilem cognitam omnibus. (b)

Di.

(a) *Roman.* 11. v. 33. & seq.

(b) D. Thomas 3. par. qu. 55. ar. 1.

Dices III. Sicut Proculi Julii persuasione contigit, ut Romani cives Romulum e terra in cœlum sublatum esse crediderint, quia eum sibi obvium fuisse, deinde in cœlum iterum ascendisse affirmabat (a); ita etiam fieri potuit, ut quamvis Apostoli Christum resurrexisse, sibique apparuisse finxerint, tamen maxima multitudo gentium eis crediderit, & ipsum Christum, uti Deum, habuerit.

Hanc autem cavillationem inde etiam confirmare se posse putant Deistæ, quia nihil, inquiunt, tam inauditum, atque absurdum est, quod populus non amplectatur, semel ac proponatur ab iis, qui apud eum magno in honore, atque existimatione sunt. Id autem potissimum declarare conantur tum Paganorum, tum Christianorum historiis [b]. Unde, ajunt, fuit etiam, qui putaret fieri posse, ut integra natio crederet, diem a sole non illucescere, si sex tantummodo viri ita interius revera persuasi hoc credendum proponerent (c). Quum, Ephestione mortuo, addunt, Alexander ad sui consolationem inter Deos eum referri voluisset, Aulici statim assenserunt: inde vero in honorem Ephestionis festa instituta, templa constructa, sacrificia oblata, atque etiam miraculosæ sanationes illi tributæ fuere, ut nihil iis oraculis deesset, quæ de ipso reddebantur. Unde factum fuit, sicuti Lucianus tradit, ut quum Alexander divinitati Ephestionis bene omnia contingere videret, etiam ipse eam veram esse crediderit. Adrianus quoque Antinoo eumdem honorem reddi curavit, atque in memoriam ejus Antinopolim construi fecit (d). Ex his vero illud concludunt, populum in quamcumque rem facile assentiri, quoties non desint, qui eam illi proponant.

R., hæc omnia, quæ Deistæ opponunt, non minus impia, quam absurda esse: impia sunt, quia fallendi studium in Sanctis Apostolis aut fuisse, aut esse potuisse supponunt; hoc enim studium non solum a sanctitate Apostolorum, instituto, doctrina, agendique ratione quam maxime abhorrere, sed etiamsi illud habuissent, fieri non potuisse, ut eum finem consequerentur, jam confecimus: absurda quoque sunt, quia nihil minus evincere possunt, quam quod ipsi contendunt. Quandoquidem, sicuti jam monuimus (e), neque ipse Livius fidem iis præbet, quæ miraculose gesta fuisse refert. Unde *Cogitationum Philosophicarum* Auctor, qui §. 42., hoc, quod de Proculo Julio Livius scripsit, nobis opponit, ut testimonium Apostolorum de resurrectione Christi reddat incertum, contra rem evidentem iis exemplis pugnat, quæ neque apud Auctores eorum fidem promeruerunt. Quis autem hanc agendi rationem absurdam esse non videat? „ An volet Celsus „ (ita quondam Origenes Celsum compellabat lib. 3. contra eumdem num. 23., atque ita quoque Deistæ nostri temporis compellari possunt, qui historiis Ethnicorum omnem fidem adhibent, Evangelicæ autem nullam habere volunt) „ illorum (historiam) veram esse; hujus „ autem [hoc est Christi] confictam, quam scripserunt ii, qui rerum omnium „ oculati testes erant, qui re ostenderunt, sibi explorata esse, quæ viderant, „ qui

(a) Titus Livius lib. 1. cap. 6.

(b) Ita Collinsius in Opere inscripto: *Examen du Systeme literal de le Prophecie, à l'occasion de la Dispute qui a été allumée par un Livre, portant pour Titre: Raison & Fondement de la Religion Chrétienne* edito Leydæ an. 1726. pag. 67. & 68.

(c) Ita Mr. de Fontenelles *Hist des Oracl. Dissert.* 1. ch. 11.

(d) Idem Auctor eod. cap.

(e) Lib. 1. quæst. 2. art. 2.

„ qui denique quo animo essent, perferendis alacriter ejus doctrinæ caussa supplicii testificati sunt „ ?

Lib. autem 2. num. 56. Celsum cum Deistis nostri temporis fraude effutientem *fanaticæ* mulieris, atque aliorum factum esse, ut Christum resurrexisse crederetur, ita refellit: „ Ceterum quum Discipuli se totos dederint doctrinæ, quam non sine summo periculo, ut hominum tunc vita erat, profiteri poterant, ipsi mihi videntur perspicuum esse, & evidens resurrectionis argumentum. Hanc enim doctrinam si finxissent, resurrexisse Christum ex mortuis tanta constantia non annuntiassent, ut non solum aliis mortis despectum instillarent, sed etiam ipsi priores hanc subirent „.

At vero demus verum esse, quod Livius de Proculo Julio, deque populo ei assentiente tradidit memoriæ posterorum: quid inde Deistæ colligere pro se possunt? Profecto Proculus Julius ut omnem suspicionem a Senatoribus amoveret, qua Romulum ab eisdem interfectum esse, nonnulli putabant; finxit se cum Romulo, qui e cœlo in terram descendisset, esse colloquutum, atque ab eo intellexisse, velle ipsum, ut Romani cives contra hostes fortiter dimicarent, quia omnium victores futuri erant. Utilitas ergo maxima tum Proculum Julium impulit, ut mentiretur, tum Romanos incitavit, ut fidem illi præberent. Nam ita factum fuit, ut Proculus, prout volebat, omnem suspicionem a Senatoribus amoveret, Romani autem ut in spem dominandi omnibus devenirent. Contra vero quæ utilitas Apostolos induxit, ut mentirentur? anne aliquod temporale commodum, a quo potissimum moventur homines, inde sibi sperare potuerunt? an non odium potius, atque persequutionem omnium in se excitanda esse videbant? Simili ratione quænam tandem hujus vitæ utilitas, felicitas, & beatitudo inducere gentes potuit, ut Apostolis fidem præberent? anne inde divites, potentes, omnibusque superiores se evasuros sperare poterant? Quid non contra molestiarum earumque gravissimarum sustinendum sibi esse non prævidebant? Quapropter omnes comparationes, quas Deistæ instituunt, nimis ineptas, absurdasque esse, quis non videat?

Quamvis autem populus vel inani rumore sæpe ducatur, vel multum iis deferat, qui magno in honore sunt; tamen & ea levitate, qua vana, atque falsa consectatus fuerat, eadem quoque dimittit, & a Majorum suorum fide in rebus potissimum maximi momenti non facile recedit, præcipue si gravia mala inde sibi imminere videat, neque desit, qui eum tum verbo, tum exemplo moneat, atque etiam minis flagellisque deterreat, ne nova sequatur. Hoc non solum ex omnium sæculorum, omniumque gentium historia, sed etiam ex ipsa ratione sic constat, ut oratione non egeat. Age ergo, modo videamus, qua ratione homines Christi fidem amplexi fuerint. Christi ergo fidem suscipiunt, Apostolis prædicantibus, qui nullam antea auctoritatem apud eosdem habebant, neque aliquo honore, aut dignitate potiebantur, neque loquebantur in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: ergo evidentia miraculorum convictos fuisse oportet. Pergamus porro: Fidem, quam semel homines ex Apostolorum prædicatione susceperant, constantissime tenuerunt, quamvis plura, atque gravissima mala pati debuerint: ergo non levitate quadam, sed veritatis interna persuasione susceperunt. Necesse quoque erat, ut ab instituto suorum Majorum recederent, illorumque odium in se provocarent, & novum, ac difficile vitæ genus amplecterentur: ergo quum nemo suos naturaliter non dili-

diligat, atque amet, & dulciori vitæ genere non alliciatur; eos, dum in Christum crediderunt, maximam vim sibi intulisse oportet: ergo eisdem rei veritas omnino perspecta esse debuit. Demum non solum hæc res gravis momenti erat, sed etiam non deerant, qui verbis, atque exemplis, immo minis, & flagellis in contrariam fidem eos incitarent: ergo, quod illi constantes fuerunt, evidentiæ veritatis resistere non potuisse, dicendum est: ergo quamvis populus inani rumore sæpe ducatur, multumque aliis deferat; tamen inani errore eos decipi potuisse, qui in Christum crediderunt, ne levissima quidem suspicandi ratio occurrit.

Alexandro Ephestionem inter Deos relatum esse prædicanti, aulici assensi sane fuerint; deindeque cultus Ephestioni etiam ab aliis sit adhibitus; & Adrianus ut Divini honores Antinoo redderentur, obtinuerit; aliique multi effecerint, ut qui homines erant, tamquam Dii haberentur: quænam tandem horum omnium cum Sanctis Apostolis, cumque iis omnibus, qui eisdem assensi fuere, comparatio esse potest? Profecto, quemadmodum jam dicebamus, ut Apostolis fidem præberent, nulla re allici illi poterant: illis autem, ut suis Principibus obsequerentur, multa suadebant, vel saltem nullum malum inde sibi metuere poterant.

SCHOLION.

Quæ Christus ad demonstrandam veritatem suæ resurrectionis tum testimonia, tum argumenta adhibuit, omnem ad persuadendum id, quod voluit, vim habent.

„ Est enim usus (uti observat S. Thomas 3. par. qu. 55. art. 6.) duplici „ testimonio ad manifestandam suam resurrectionem discipulis, quorum neutrum „ potest refelli. Quorum primum est testimonium Angelorum, qui mulieribus „ resurrectionem annuntiaverunt, ut patet per omnes Evangelistas. Aliud au- „ tem est testimonium Scripturarum, quas ipse proposuit ad ostensionem suæ „ resurrectionis, ut dicitur *Lucæ* ultimo. „

„ Argumenta etiam fuerunt sufficientia ad ostendendam veram resurrectio- „ nem, & gloriosam. Quod autem fuerit vera resurrectio, ostendit uno mo- „ do ex parte corporis. Circa quod tria ostendit: primo quidem quod esset „ corpus verum, & solidum, non corpus phantasticum, vel rarum, sicut est „ aer. Et hoc ostendit per hoc, quod corpus suum palpabile præbuit. Unde „ ipse dicit *Lucæ* ultimo: *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & os- „ sa non habet, sicut me videtis habere*. Secundo ostendit, quod esset corpus „ humanum, ostendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur. Ter- „ tio ostendit eis, quod esset idem numero corpus, quod prius habuerat, „ ostendendo eis vulnerum cicatrices. Unde ut legitur *Lucæ* ultimo, dixit eis: „ *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum*. Alio modo osten- „ dit eis veritatem suæ resurrectionis ex parte animæ, iterato corpori unitæ. „ Et hoc ostendit per opera triplicis vitæ. Primo quidem per opus vitæ nu- „ tritivæ, in hoc quod cum discipulis manducavit, & bibit, ut legitur *Lu- „ cæ* ultimo. Secundo per opera vitæ sensitivæ, in hoc quod discipulis ad „ interrogata respondebat, & præsentes salutabat, in quo ostendebat se & „ videre, & audire. Tertio per opera vitæ intellectivæ, in hoc quod eis lo-

„ quebatur, & de scripturis disserebat. Et ne quid deesset ad perfectionem „ manifestationis, ostendit etiam se habere Divinam naturam per miraculum, „ quod fecit in piscibus capiendis, & ulterius per hoc, quod, eis videnti- „ bus, ascendit in cœlum, quia ut dicitur *Joannis 3.: Nemo ascendit in cœ- „ lum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*. Gloriam „ etiam suæ resurrectionis ostendit discipulis per hoc, quod ad eos, januis „ clausis, intravit ... Similiter etiam ad proprietatem gloriæ pertinebat, quod „ subito ab oculis eorum evanuit, ut dicitur *Luca* ultimo, quia per hoc osten- „ debatur, quod in potestate ejus erat, videri, & non videri, quod pertinet „ ad conditionem corporis gloriosi, ut supra (a) dictum est „. De Christi Resurrectione hactenus.

Alterum nunc Christi miraculum expendamus, quod supra miracula ceterorum emicuit; hoc est Ascensionem ejus in cœlum, videamusque, num etiam istud habeat omnia argumenta credibilitatis, quæ a cordato homine exigi possunt.

Propositio II. Christum in cœlum revera ascendisse, res facti est, quæ argumenta suæ credibilitatis evidentissima habet.

Prob. prop. Rem ergo, quomodo gesta fuerit, primo exponamus. Discipulis in unum congregatis, (b) „ Stetit Jesus in medio eorum, & dicit eis: Pax „ vobis: ego sum, nolite timere. Conturbati vero, & conterriti existimabant „ se spiritum videre. Et dixit eis: quid turbati estis, & cogitationes ascen- „ dunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: „ palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me vi- „ detis habere. Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes. Adhuc „ autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit: habetis hic „ aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fa- „ vum mellis. Et quum manducasset quum eis, sumens reliquias dedit eis „. Posteaquam vero sensum Scripturarum illis aperuit, nonnullaque præcepta dedit „. Eduxit eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus suis benedixit eis. „ Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœ- „ lum. Et ipsi adorantes regressi sunt Jerusalem cum magno gaudio „.

Multa sane in hac narratione quoad rem nostram observatione digna occurrunt. 1. non unum, aut alterum tantum, sed multos Christum ad cœlum ascendere vidisse: 2. illos ipsos Christum in cœlum ascendere vidisse, qui de veritate resurrectionis ejus antea dubitantes, postmodum de eadem per evidentia argumenta omnino convicti fuerant: 3. jubente Christo discipulos in Bethaniam se contulisse, atque ibi non per somnium, aut imaginariam visionem, sed (a) *videntibus illis*, & (b) *dum benediceret illis*, Christum in cœlum sublatum fuisse: 4. uti *Actorum* cap. 1. v. 10. & seq. legitur, & nubem suscepisse Jesum ab oculis Discipulorum, & „ Quum intuerentur in cœlum euntem „ illum, duos viros adstitisse juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: „ Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est „ a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœ- „ lum „: tandem ab hac visione omnes Discipulos, gaudio repletos, Jerusalem fuisse reversos.

Res

(a) Quæst. 54. art. 2. ad 2.
(b) *Lucæ* 24. v. 36. & seq.
(c) *Actorum* 1. v. 9.
(d) *Lucæ* 24. v. 51.

Res ergo, de qua agimus, non unius, aut alterius tantum, sed complurium, & quidem simul, & eodem tempore est confirmata testimonio: sensuum igitur illusio, aut phantasiæ deceptio nulla esse potuit: nam multorum simul, & eodem tempore, una, atque eadem ratione, non diutius in uno, quam in alio, quoad idem numero objectum ejusque repræsentationem, & quoad omnes alias circumstantias, sensus decipi, aut phantasiam falli possibile non est. Per hanc autem visionem neque conspexerunt objectum, quod illis antea incognitum fuisset, neque de ejus existentia dubitabant; sed viderunt Christi corpus, quod verum, reale, physicumque esse omni argumentorum genere probaverant. Per quod sane omnis suspicio, quæ de errore sensuum, aut phantasiæ deceptione oriri potuisset, magis magisque removetur. Neque etiam Christus ab oculis eorum primo evanuit, ac deinde post aliquod intervallum temporis in cœlum eum ferri viderunt; non, inquam; sed ipse Christus fuit, qui peracta interpretatione Scripturarum, & exposito mandato, ne ab Jerusalem discederent, quoadusque virtute ex alto induerentur, Discipulos Bethaniam duxit, ibique, eisdem conspicientibus, in cœlum ascendit. Quare ansa omnis sublata est dubitandi, quasi non Christi corpus in cœlum ascendere, Discipuli vidissent, sed cujusdam alterius sibi visi essent corpus cernere. Neque solum Christi corpus, omnes Discipuli simul, & eodem momento, loco, modo, occasione, atque circumstantia in cælum ferri viderunt, sed etiam idem corpus a nube excipi, atque ita tolli ab oculis eorum cuncti simul eadem ratione, duosque viros in vestibus albis coram se stantes conspexerunt, atque secum loquentes audierunt [a]. Si ergo quoad Christi corpus, uti jam dicebamus, nulla illusio sensuum, aut phantasiæ deceptio contingere potuit, multo minus quoad hæc alia omnia simul contingere potuit. Tandem interno gaudio omnes discipuli ab hac visione æqualiter repleti Jerusalem regressi sunt. Quo sane & Divinam in eis virtutem operatam fuisse significabatur, & Discipulos omnino convictos, Christum in cœlum revera ascendisse: nam, ut non discederent ab Jerusalem, antequam virtute ex alto induerentur, Christus ipse paulo ante eisdem præceperat.

Quoniam ergo nulla illusio sensuum, nullaque phantasiæ deceptio, aut persuasio inanis hac in re occurrere potuit, superest, ut dicant Deistæ Christi discipulos fuisse mentitos. Verum quamvis calumnia tam audax in superiori propositione a nobis depulsa jam fuerit; tamen nonnulla hic quoque superaddenda esse censemus, ut magis magisque perspiciatur quam non modo falsa, sed etiam a communi sensu aliena sit eorum cavillandi ratio. Ut ergo in rei alicujus suspicionem venire æquo jure possimus, illud 1. requiritur, ut possibile sit, quod evenire potuisse suspicamur: 2. ut a natura hominum alienum non fuerit, si per homines contingere debuit: at neque possibile fuit (de impossibilitate morali loquimur, cujus quidem demonstratione in hoc rerum genere sanus quisque contentus esse debet, uti jam sæpe observavimus) & a natura hominum omnino alienum est, quod Deistæ suspicantur: ergo.

Quandoquidem Discipuli Christi vel omnes bonæ fidei, vel omnes malæ fidei, vel nonnulli bonæ fidei, alii malæ fidei fuerunt. Si bonæ fidei omnes fuerunt, sicuti ex eorum probitate, sanctitate, constantique agendi, & loquendi ratione manifeste constat; repugnat, ut in tam turpi mendacio confin-

(a) *Actorum* cap. 1. v. 10.

fingendo inter se convenerint. Si autem omnes malæ fidei; qua fieri tandem ratione potuit, ut ceteros a mendacio avertere, atque sactificare omni studio conati fuerint, ut unam semper eamdemque dicendi atque agendi rationem sequuti sint? nam qui malæ fidei sunt, se verbis, atque factis sæpe produnt. Deinde quomodo factum, ut licet tam multi fuerint, tamen & quoad ascensionem Christi, & quoad omnes circumstantias illius inter se consenserint, & nemo eorum unquam extiterit, qui non solum ad sui securitatem comparandam, & ad multa, eaque gravissima mala vitanda, sed etiam ut gratiam apud illos iniret, a quibus omnia sperare poterat, mendacium confessus fuerit? Profecto semel ac aliquem data opera malæ fidei in iis fuisse supponamus, quæ non solum sibi non prodesse, sed etiam multum nocere poterant, longe potiori jure talem in aliis quoque fuisse supponi potest, quæ sibi valde utilia, grata, atque jucunda futura erant. Si autem nonnulli Discipulorum bonæ, alii autem malæ fidei fuerunt; qua ratione non quidem semel tantum, atque in re parvi momenti inter se convenire, sed gravissima quæque mala in defensionem conficti mendacii unanimiter ad mortem usque constantissime sustinere potuerunt? Quis ergo impossibile non fuisse videat, quod Deistæ summa cum impietate supponunt?

Deinde Discipuli Christum magistrum suum, etiam antequam moreretur, vel agnoverunt uti Messiam, vel non agnoverunt: si uti Messiam agnoverunt; fidem quoque verbis illius habuerint oportet, unde & resurrectionem, & ascensionem ejus veram esse crediderunt: si autem non agnoverunt; quomodo non deterriti eo supplicio, quod Christus pertulerat? quomodo furore Judæorum non omnino perculsi? quomodo, quum omni re se spoliatos viderent, non prorsus animo defecerunt?

Tandem possibile ne est, ut Discipuli omnem veram Religionem exuerint? hanc tamen exuisse illi dicendi erunt, semel ac quoad ascensionem Christi alios decipere voluisse ponantur. Simplicem enim hominem, de quo multa mentiti essent, Dei loco tum ipsi habuissent, tum ab aliis habendum curassent. Quomodo autem sine aliqua vera Religione tam sancte vivere, tam salutaria præcepta tradere, cultum veri Dei adeo impense promovere poterant, ut cum sanctitate doctrinæ eorum omnia philosophorum præcepta ne comparari quidem possint?

At vero nihil a natura hominum magis quoque alienum esse potest, quam ut Christi ascensionem in cœlum ejus Discipuli confinxerint. Hominem adeo stupidum, sibique ita inimicum, ut, data opera, mendacium confingat, quod non solum nullius utilitatis sibi futurum esse videat, sed etiam propter illud omni felicitate, quam habet, spoliari, & vitam undequaque ærumnosam ducere debeat, inveniri impossibile est; vel si adinveniri posse demus, longe impossibilius est, ut in mendacio persistat, postquam omnia mala experts fuit, a quibus non solum statim se liberare, sed etiam multa commoda assequi possit, si mendacium detegat. Hæc autem impossibilitas magis magisque augetur, eamque cum ingenio, & natura hominum conjungi non posse adhuc evidentius constat, si plures in confictione hujusmodi mendacii & consensisse, & perstitisse supponantur: hoc vero est, quod in Discipulis supponi debet, quoties quoad ascensionem Christi in cœlum voluisse ipsi alios decipere dicantur: ergo.

Deinde cujuslibet tandem audaciæ quispiam fuerit, possibile non est, ut licet potentia, opibus, scientia, omnique humano auxilio se destitutum videat, omnes, quotquot ubique sunt, etiam contra institutionem, quam a teneris habuerunt, contra inclinationem sensuum, contra vim quoque potentiorum, cunctisque contradicentibus, atque acriter repugnantibus, impudentissimo mendacio fallere in animum sibi inducat. Hoc autem a natura hominum alienum esse, adhuc evidentius semper constabit, si plures, quamvis propter sui numerum supra omnes alios prævalere nullo modo possint, in rem istam consentire supponantur; atqui hoc discipulos Christi ausos esse necesse fuit, si quoad ascensionem sui Magistri alios decepere: ergo.

Tandem ab ingenio hominum omnino alienum est, ut in eo omnem suam spem reponant, quod falsum commentitiumque esse, firmissime persuasi sunt: ergo ut Discipuli ascensionem Christi confinxerint, ab eorum ingenio, atque natura, si tamen homines erant, omnino alienum esse debuit. Prob. con. In Christo, qui ad cœlos ascenderat, omnem suam spem Discipuli reponebant: ergo si quoad ascensionem Christi mentiebantur, in eo reposuissent, quod falsum commentitiumque esse videbant: ergo si a natura hominum omnino alienum est, ut spem in eo reponant, quod falsum commentitiumque esse vident, nihil quoque a natura, atque ingenio Discipulorum magis alienum esse potuit, quam ut in re, de qua agimus, mentiti fuerint.

Dices. Quum prorsus singularia, omnique admiratione digna ea sint, quæ de Christo ejus Discipuli tradiderunt, fieri non potuisse videtur, quin peritiores Judæorum Scriptores aliquam de iisdem mentionem habuerint; atqui revera non habuerunt: ergo. Prob. mi. Philo Judæorum disertissimus, qui Alexandriæ eo tempore vivebat, quo Christus, & Discipuli ejus in Judæa morabantur, in multis, quæ conscripsit, operibus nihil de Christo Discipulorumque ejus tradidit memoriæ posterorum, quamvis ob negotiorum, litterarumque commercium, quod intercedebat inter Judæos Alexandrinos, & eos, qui in Judæa versabantur, ista cognoscere facile potuerit. Josephus quoque etsi lib. 18. *Antiquit. Judaicarum* cap. 5. nu. 2. de Joanne, & lib. 20. cap. 9. nu. 1. de Jacobo loquatur, de Christo tamen miraculisque ejus nihil refert. Quandoquidem quæ lib. 18. cap. 3. nu. 3. de Christo leguntur, in fine tertii sæculi a Christianis superaddita fuisse, multa sunt, quæ suadeant: 1. quia sensum reliquorum verborum ea corrumpunt, atque pervertunt: 2. quia omnium primi, qui pro Christiana Religione Apologias scripserunt, de iisdem nullam mentionem fecere, quamvis peropportune facere potuissent, atque debuissent: 3. quia a fide ipsius Josephi aliena sunt: nam in iisdem Christum a Prophetis prædictum fuisse traditur, contra ac Josephus putabat. Non solum autem ista in nu. 3. cap. 3. lib. 18. superaddita sunt, sed & alia quoque nu. 1. cap. 9. lib. 20., quibus Jacobus frater Domini fuisse dicitur: ergo.

R., nihil contra miracula Christi a Deistis evinci posse, quamvis a peritioribus Judæorum Scriptoribus nullam de iisdem mentionem factam fuisse concederemus. Tanta enim, tamque evidentia ea sunt, quæ de illorum nos veritate convincunt, sicuti constat ex iis, quæ jam demonstravimus, ut propter silentium paucorum in dubium revocari nec debeant, nec possint. Hoc autem evidentius constabit, si animo advertamus, etiam Ethnicos veritati miraculorum Christi haud dubium perhibuisse testimonium. Illud quoque advertatur, opor-

portet, a Deistis silentium eorum nobis obtrudi, quorum plurimum intererat, propter Religionem, quam sequebantur, ut Christi miracula occultarentur. Professione enim quum tum Philo, tum Josephus Judæi essent, mirari non debemus, si de Christi miraculis nullam mentionem fecerint; nam Christi miraculis quam longe tum ipsi, tum sua gens a vero aberrarent, nimis perspectum omnibus esse poterat.

At vero illud quoque videamus, quando nam argumentationi, quæ ex nonnullorum Scriptorum silentio ducitur, locus esse possit. Semel enim ac aliqua de re plurimorum positiva testimonia occurrant, quæ vera, & certa esse propter omnes circumstantias, quas sibi conjunctas habeant, dubitari nullo modo debeat, silentium aliquorum, qui eadem de re vel mentionem facere facile poterant, vel etiam facere debuisse videantur, nullam vim ad persuadendum contra id habet, quod illorum auctoritate constitutum est. Quandoquidem cur nonnulli aliqua de re mentionem facere omiserint, plures caussæ subesse possunt, quas ne divinando quidem consequi valeamus; at quod mentiti sint ii, qui rem aliquam contigisse narrant, quando testimonium eorum certum verumque esse undequaque constat, ne suspicari quidem possumus; atqui nimis multa sunt, uti jam demonstravimus, quæ testimonium Discipulorum Christi certum verumque esse evincunt: ergo silentium nonnullorum Scriptorum Judæorum nihili hac in re faciendum est: ergo quamvis Deistis daremus, tum Philonem, tum Josephum nihil de Christo fuisse loquutos; tamen de veritate miraculorum Christi contra eos semper æque constabit.

Verum enimvero quamvis Philonem nullam de Christo mentionem fecisse demus; tamen ne Josephum quidem fecisse, hoc vero est, quod negamus. Ac primo quidem de silentio Philonis, deinde vero de eo testimonio disputabimus, quod Christo Josephus perhibuit. Quamvis ergo noverim, sententiam multorum esse, de Christianis Christique discipulis disertam a Philone mentionem in eo libro factam esse, quem de *Vita Contemplativa* inscripsit; eorum tamen, qui contra sentiunt, opinio longe probabilior, magisque ad veritatem accommodatior semper mihi visa fuit. Neque enim Christianis, Christique Discipulis ea ullo modo convenire posse arbitror, quæ in hoc libro de Terapevtis a Philone traduntur (a). Quod si quispiam quærat, qua de caussa Philo de Christi miraculis nullam mentionem fecerit: illud, quod supra dicebamus, ei primo repouere possumus; hoc est, cur nonnulli aliqua de re mentionem facere omiserint, plures caussas subesse posse, quas ne divinando quidem consequi valemus. Hic tamen una occurrit, quæ omnem verisimilitudinem habet: „ *Philo* (ita Mamachius *Originum*, *& Antiquitatum Christianarum* lib. 1. cap. 1. §. 5. num. 4.) non solum non erat in Christianos pro„ pensus, sed etiam sic eos aversabatur, ut qui ejus opuscula diligenter le„ gat, continuo intelligat, reprobatam ab illo Judæo fuisse eorumdem religi„ nem. Hanc enim & indicat, & rejicit in eo libro, qui *de Migratione* „ *Abrahami* inscribitur. Esse namque inter Judæos genus quoddam hominum „ scribit, qui censeant leges nihil esse aliud, quam signa rerum *spiritualium*, „ contemnantque litteram, ut *spiritum* consectentur. Queritur præterea, quod „ ii abolere conentur Sabbatum, circumcisionem, diesque festos, quos Moses „ intro-

(a) Consulatur Mamachius, qui *Originum. et Antiquit. Christian.* lib. 1. cap. 1. §. 5. num. 2. & seq. ad Christianos referri non posse, quæ de Terapevtis Philo tradit, solide, atque perspicue demonstravit.

„ introduxisset. Esse enim hos eosdem dies, eorum sententia, figuram interni gaudii, quo sunt sancti, piique viri affecti. Jam vero esse eos præterea ita animatos, ut veram circumcisionem in repressione malarum affectionum consistere arbitrentur &c. Damnat deinde Philo omnes, qui sic censerent. Accusat eos inconstantiæ, & levitatis. Rejicit in numerum *Novatorum*. Statuit denique cavendum cuique esse, ne in hasce opiniones incidat, immutetque ea, quæ sunt sapienter a majoribus constituta „. Quapropter cur ab hujusmodi homine nulla de Christi miraculis mentio facta fuerit, non est, cur quispiam miretur. Quandoquidem ne sibi contradiceret, id unum supererat, ut ea vel negaret, vel per magicam artem facta fuisse diceret. Neutrum autem horum quum affirmare posset, nisi evidentiæ veritatis obsistere vellet, omnia miracula silentio prætermittere satius esse duxit.

Josephi autem testimonium quod attinet, tota lis nos inter, atque Deistas in eo posita est, num fraude Christianorum circa tertium sæculum Josephi operibus insertum illud fuerit, an malitia Judæorum aliquando subtractum, indeque contigerit, ut Apologistæ Christianæ Religionis eo usi non sint. Profecto Christiani suam fidem de Christo in Josephi auctoritate nunquam reposuerunt; immo quamvis Josephum non solum nihil de Christo, sed etiam contraria, ac eorum fides habeat, memoriæ posterorum tradidisse supponatur, aliquid certitudinis, quæ ipsi credunt, amittere non consequitur, uti perpendenti ea, de quibus usque modo disseruimus, manifeste constabit. At vero Judæi Josephi auctoritati plurimum detulerunt, atque fides eorum maximum detrimentum, procul dubio subitura erat, semel ac Josephi testimonio manifestum esse posset, non solum quam longe a veritate aberrarent, sed etiam quam impia, & crudelis circa Christum eorum agendi ratio extitisset. Inde vero consequitur, longe fuisse facilius, ut hoc testimonium, de quo agimus, per malitiam Judæorum a Josephi operibus aliquando subtractum, quam per fraudem Christianorum iisdem superadditum fuerit. Nam, ut adjiceretur, Christianorum parum, aut etiam omnino nihil; ut subtraheretur autem, Judæorum quam maxime intererat. Semel autem ac voluerint, hoc testimonium a plerisque Josephi exemplaribus auferre potuere, tum quia eorumdem maximam copiam apud illos extitisse valde probabile est, tum quia ut auferretur, totius nationis maxima cura esse debuit.

Illud quoque accedit, longe facilius esse, ut ab operibus cujuslibet Auctoris aliquid subtrahatur, quam ut adjiciatur. Hoc enim ut recte fiat, non solum loci, ac materiæ, de qua agitur, opportunitas servanda est, sed etiam eadem, ac Auctoris, cujus operibus aliquid superadditur, dicendi ratio exprimatur oportet: quod sane non tam facile fit, indeque sæpe contigit, ut multa apocrypha esse, ac illi tribui non debere, cui vulgo tribuebantur, detectum fuerit. Contra ut unius, aut alterius testimonii subtractio remanere occulta, possit, satis est, ut qui fraudem facit, attendat ne oratio abrumpatur.

Testimonium autem Josephi, de quo modo disputamus, hujusmodi est, sicuti legitur *Antiquitatum Judaicarum* lib. 18. cap. 3. num. 3. : „ Eo etiam tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen eum virum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt: multosque Judæos, multos item Gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus, quem quum Pilatus, ab hominum nostrorum pri-

„ mis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt „ qui primum amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, Divinis „ vatibus & hæc, & mille alia de eo miranda effatis; atque ab eo denomi- „ nata Christianorum natio durat usque ad hunc diem (a) „. Alienam hanc dicendi rationem ab ea esse, qua Josephus utitur, solus ille dixerit, qui Josephi opera non legerit. Historiæ quoque nexus servatur: postquam enim de Pilato, nonnullisque ab eo gestis mentionem Josephus fecit, ea, quæ retulimus, de Christo habet.

Hujus vero testimonii quamvis primi Apologistæ Christianæ Religionis nullam mentionem fecerint (sive quia fortasse ab exemplaribus, quæ habuerunt, malitia Judæorum sublatum erat, sive alia quavis de caussa) fecerunt tamen tum Eusebius in antiquis scriptis pervolvendis diligentissimus *Demonstrat. Evangelicæ* lib. 3. num. 7., & *Ecclesiast. Historiæ* lib. 1. cap. 7., tum Nicephorus in sua *Historia Ecclesiastica* lib. 1. cap. 29., tum Sozomenus *Historiæ Ecclesiasticæ* lib. 1. cap. 1., tum Svidas art. 'Ιώσηπος, tum S. Hieronymus de *Ecclesiasticis Scriptoribus*, tum S. Isidorus lib. 4. Epist. 225. Quum ergo Deistæ silentium nonnullorum pro se tantummodo habeant, nos vero positiva testimonia afferre possimus; aliunde autem ea, quæ de Christo ex Josepho retulimus, non industria Christianorum superaddita, sed malita Judæorum a multis Josephi exemplaribus sublata fuisse, suspicari debeamus, indeque etiam probabilis ratio occurrat, cur Apologistæ Christianæ Religionis nullam de iisdem mentionem fecerint, non est, cur hac quoque in re contra nos aliquid se proficere posse putent; quamvis licet hac in re supra nos prævalerent, parum nostri referret, uti jam demonstravimus. Qui autem plura hac de re cupit, ea consulat, quæ a sapientissimis viris elucubrata collecta leguntur tom. 2. Operum Flavii Josephi Amstælodami editorum an. 1726.

Fidei, quam Josephus profitebatur, ea, quæ de Christo tradidit, contraria fuisse fateor. Verum hæc ab eo scripta revera non fuisse, inde non consequitur. Quam multa enim in scriptoribus reperiuntur, quæ cum fidei eorum interna persuasione non consentiunt, & tamen ab iisdem scripta sunt, ut historici ingenui partes implerent? Deinde nonne & Pharisæi vera esse Christi miracula confessi sunt, quamvis in illum non crediderint? Ita ergo & Josephus, quæ scripsit, vera esse, existimare poterat, quamvis illius interna fides ob alias caussas non consentiret.

Tandem illud observandum est, eadem fronte Deistas, qua Josephi de Christo testimonium negant, ita quoque alia negare, quibus Jacobus ab eodem Josepho frater Domini esse dicitur. De iisdem enim mentionem faciunt Origenes lib. 1. *contra Celsum* num. 47. (Apologistarum ergo Christianæ Religionis silentium hic opponere non possunt) Eusebius *Ecclesiast. Historiæ* lib. 2. cap. 23., & S. Hieronymus *de Ecclesiasticis Scriptoribus*. (b)

Scho-

(a) Juxta Versionem Joan. Hudsoni.

(b) Auctor ergo *Epistolarum Judaicarum* tom. 3. ep. 64. impudenter videlicet supponit veluti rem certam quæ nulla probatione egeat, hoc testimonium, de quo usque modo egimus, Josephi Operibus a Christianis fuisse superadditum.

Scholion.

De rebus a Christo gestis Cæsarem Tiberium certiorem a Pilato factum esse, dici cum summa probabilitate potest.

Hoc quidem ex S. Justino novimus, qui postquam disseruit de multis, quæ ad Christum pertinent, *Apologia* 1. nu. 7. hæc habet: *Atque hæc ita gesta esse ex Actis sub Pontio Pilato confectis discere potestis*. Et ejusdem *Apologiæ* num. 48. *Quæ quidem*, inquit, *ab eo facta esse ex confectis sub Pontio Pilato Actis discere potestis*. Demum in *Dialogo cum Tryphone* nu. 120. *Namque*, inquit, *ex meo genere, id est, ex Samaritanis, neminem curans, quum Cæsarem, oblato ad Acta scripto, compellarem, dixi eos errore decipi*. Primo ergo id observetur oportet, hanc Apologiam pro Christianis Imperatori, Senatui, Populoque Romano S. Justinum obtulisse: 2. rem S. Justino fuisse cum Crescentio Philosopho Cynico, qui nihil non omittebat, ut S. Justinum in sermone caperet: 3. tandem S. Justinum non ad aliquid provocasse, quod omnibus incognitum esse posset, sed ad ea, quæ sub potestate suorum adversariorum continebantur. Hæc vero omnia simul unita demonstrant, nullum dubitandi locum esse posse, quin verum hoc sit, quod de Actis sub Pontio Pilato confectis, Romamque transmissis S. Justinus tradidit. Quid? anne Imperator, Senatus, Populusque Romanus in re tam manifesta sibi illudi passi fuissent? anne Crescentius mendacio tam impudenti acquievisset? anne omnes, qui Christianos persequebantur, rem tantam taciti præteriissent? Profecto hæc supra fidem hominum esse, quis non fateatur?

Idem quod Justinus, etiam Tertullianus, qui, sicuti *Ecclesiasticæ Historiæ* lib. 2. cap. 2. Eusebius affirmat, *Legum Romanarum peritissimus* fuit, in *Apologetico* tradit cap. 21. num. 7. *Ea omnia*, inquit, *super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nunciavit*. Ejusdem autem *Apologetici* cap. 5. num. 2. illud quoque affirmat, Tiberium Christi divinitatem ad Senatum detulisse *cum prærogativa suffragii sui*, Senatumque ratum id habere noluisse. Utrumque autem ex Tertulliano refert, atque probat Eusebius *Ecclesiasticæ Historiæ* lib. 2. cap. 2. „ Quum admiranda, „ *inquit*, Servatoris nostri resurrectio, ejusdemque in cœlum ascensio omnium „ pene sermonibus jam pervulgata esset, quoniam vetus hæc erat consuetu„ do Provinciarum Rectoribus, ut quidquid novi apud eos contigisset, Im„ peratori nuntiarent, ne quid ipsum lateret: Pilatus de resurrectione Serva„ toris nostri Jesu Christi, cujus per universam Palæstinam celebris erat fa„ ma, ad Tiberium Principem retulit: multa quoque alia ejusdem miracula „ se audita accepisse significans, & qualiter ad vitam denuo revocatus, a „ plerisque jam Deus haberetur. Ac Tiberium quidem rem ad Senatum de„ tulisse perhibent, sed Senatum hujusmodi relationem aspernatum esse: spe„ cie quidem eo quod Senatus auctoritas ad id non expectata videbatur, quum „ vetus lex esset apud Romanos, ne quis absque decreto Senatus pro Deo „ haberetur, re autem ipsa eo quod salutaris Divinæ doctrinæ prædicatio au„ ctoritate, & consilio hominum minime indigeret. Quum igitur Senatus re„ lationem de Servatore nostro ita, ut dictum est, repudiasset, Tiberius ta-

„ men

„ men in pristina sententia perseverans, nihil adversus doctrinam Christi du-„ rius molitus esse dicitur. Hæc Tertullianus vir legum Romanarum peritissi-„ mus, & inter latinos Scriptores celeberrimus in Apologetico „.

Et re quidem vera Acta Jesu Christi & Pontio Pilato Romam missa fuisse, multa sunt, quæ suadeant: 1. enim Christus neque ab ipso Pontio uti homo vulgaris habitus fuit: 2. miracula ejus non nosse non poterat: 3. quæ rabies Judæorum in eum fuerat, optime perspexerat: noverat demum, quæ in illius morte contigerant. Quapropter si mos erat, ut Provinciarum Præsides Imperatorem de rebus gravioribus certiorem facerent, etiam Jesu Christi Acta a Pontio Pilato Romam missa fuisse, existimandum est.

Hac in re tamen quum S. Justini auctoritati potissimum standum esse putemus, solumque ex eodem habeatur, Jesu Christi Acta a Pontio Pilato Romam transmissa fuisse, non vero Tiberium Cæsarem Christi Divinitatem ad Senatum retulisse *cum prærogativa suffragii sui*, sicuti tradit Tertullianus *Apologetici* cap. 5. num. 2. ideo Romæ hæc Acta, ad quæ S. Justinus provocavit, revera extitisse, hoc vero est, quod volumus; ceterum num Tiberius *cum prærogativa suffragii sui* Christi Divinitatem ad Senatum retulerit, aliis disputandum reliquimus, quamvis huic quoque rei fidem æquo jure adhiberi posse arbitremur.

Illud etiam monendum esse putamus, hoc, quod de Jesu Christi Actis per Pontium Pilatum Romam transmissis diximus in confirmationem eorum, quæ de Christo jam disseruimus, non ut omnino certum, atque extra omnem aleam dubitationis positum proposuisse, sed veluti rem, cui quispiam cum summa probabilitate, atque judicii æquitate assentiri possit. Quapropter nos fidere iis, quæ non sunt omnino certa, non est, cur hic Deistæ calumnientur. Quædam enim rem aliquam evidentissime, nonnulla autem alia cum summa tantum probabilitate demonstrant: unde si prioris generis nulla a nobis allata fuissent, tunc sane nos inniti iis, quæ non omnino evidentia sunt, reponere possent. Ceterum quum talia multa jam protulerimus, superest, ut hisce quoque aliis fidem adhibeant, quæ debetur. Iisdem vero nos usi sumus, non quia sine eis stare non posse putaremus, quæ de Christi miraculis constituimus, sed ne disputationi nostræ aliquid deesse videretur.

§. V.

DE MIRACULIS, QUÆ CHRISTI DISCIPULI PATRARUNT IN CONFIRMATIONEM EVANGELICÆ VERITATIS.

Apostolos, postquam Spiritum Sanctum acceperunt, in confirmationem Evangelicæ doctrinæ, quam promulgare cœperunt, plura, atque ea quidem valde insignia miracula operatos fuisse legimus: sed antequam de hisce miraculis disputationem instituamus, illud primo videndum est, num, prout legitur in Sacris litteris, Spiritum Sanctum revera acceperint.

In Divina Spiritus Sancti missione super Apostolos duo distingui oportet, & symbola ipsius Divini Spiritus affluentis; hoc est, tum sonus, qui de cœlo venit (a) *tamquam advenientis Spiritus vehementis & replevit totam domum, ubi*

(a) *Actorum* 2. v. 2. & 3.

ubi erant sedentes, & quæ apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, tum dona, quæ ab ipso Divino Spiritu super eos ita adveniente, in Apostols promanarunt; quapropter in hac prima propositione sub his potissimum symbolis, quæ in Sacris litteris referuntur, missionem Spiritus Sancti veram realemque fuisse comprobabimus, in altera autem de virtute miraculorum peculiariter differemus. Ita enim fiet, ut omnia distincte a nobis tradi possint, unaque propositio ex altera magis magisque confirmetur.

Propositio I. Spiritus Sanctus ea ratione, qua *Actorum* cap. 2. legitur, super Apostolos revera descendit.

Probatur 1. propositio quoad Symbola, quibus Spiritus Sanctus descendit super Apostolos. Res ergo quomodo gesta fuerit, 1. videamus: (a) „ Et quum „ complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & fa- „ ctus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, „ & replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis disper- „ titæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt „ omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus San- „ ctus dabat eloqui illis „. Duo ergo symbola occurrerunt, quorum unum aures, alterum vero oculos perculsit: multi quoque fuere, qui utrumque symbolum simul, & eodem tempore audierunt, atque conspexerunt. Quapropter ut deceptioni locum hac in re fuisse supponatur, multa prius supponi debent, quæ esse nullo modo possunt. Primo enim non solum omnes, quotquot uniti simul aderant, aut recta videndi, atque audiendi facultate fuisse destitutos, aut per phantasiæ errorem, ea audire, & conspicere oculis sibi visos esse, quæ nullo modo audiebant, atque videbant, ad arbitrium confingendum est, sed etiam necesse est, ut eadem in multis simul eodem momento temporis quoad idem objectum, easdemque circumstantias omnes, soni scilicet, ignisque sub forma linguarum ignearum super capita singulorum descendentis, sensuum illusio aut propter infirmitatem eorum, aut propter phantasiæ deceptionem fuerit. Quis vero hæc omnia simul, & eodem instanti temporis in pluribus simul uniri posse, impossibile esse non videat? Profecto ut per phanthasiæ errorem, illusionemve sensuum unus una in re, alter in alia, vel quoad eamdem rem unus uno, alter autem alio tempore, vel tandem plures simul, eodemque tempore quoad eamdem rem, sed tamen juxta diversum defectum organorum, aut phantasiæ falsam imaginationem diversa ratione repræsentatam, decepti fuerint, quamvis ægre, tamen aliqua ratione admitti posset. At ut multi, in quibus nulla ratio est, cur aut phantasiæ errorem, aut illusionem sensuum fuisse supponatur, simul eodemque momento temporis circa rem eamdem, quæ conjuncta cum pluribus circumstantiis ad sensum auditus, atque visus simul referebatur, decepti fuerint, supra hominum fidem esse, nullus sanæ mentis negare poterit. Hoc vero est, qnod contigisse debet, semel ac Apostolos, aliosque omnes, qui cum iisdem erant, quoad symbola Spiritus Sancti super ipsos affluentis deceptos fuisse ponatur: ergo fieri non potuit, ut deciperentur. Hic quoque de morali impossibilitate loquimur, quam spectandam esse, quando de re aliqua, quæ facti esse dicitur, quæstionem habemus, supra sæpe monuimus, atque demonstravimus Lemm. 9. & seq. quæ. 1. lib. 1. *Theolog. Revel.* At

(a) *Actorum* cap. 2. v. 1. & seq.

At vero non solum moraliter, sed etiam physice impossibile fuisse contendo, ut Apostoli vel propter illusionem sensuum, vel propter falsam aliquam imaginationem quoad rem illam decepti fuerint, sicuti eventus declaravit. Quapropter quod in altera propositionis parte posuimus, hac ratione demonstramus. „ Et repleti sunt omnes, [ita *Actorum* 2. v. 4. & seq.] Spiritu Sancto, & „ cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Erant „ autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ „ sub cœlo est. Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant „ autem omnes, & mirabantur dicentes: nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, „ in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & „ Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani, Judæi quoque, & Proselyti, Cretes & Arabes: audivimus „ eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: quidnam vult hoc esse „? Ex hac ergo narratione duo æque manifeste constant; hoc est, & Apostolos post acceptum Spiritum Sanctum sub iis symbolis, de quibus sermonem jam habuimus varia, atque multiplicia genera linguarum fuisse loquutos, & hujus rei testes integras habuisse nationes. Quod Apostoli varia genera linguarum quamvis revera loquuti non sint, tamen ea loqui sibi visi fuerint, dici non potest, multoque minus aliquem eo insaniæ pervenire posse, existimari debet, ut integras nationes linguis suis loquentes Apostolos revera non audiisse, sed tantummodo audire sibi visas fuisse dicat. Quum ergo ut quispiam vel naturaliter, vel propter illusionem sensuum, aut phantasiæ deceptionem diversarum multipliciumque linguarum statim peritus evadat, impossibile etiam physice sit; consequens inde est, Apostolis vera Spiritus Sancti dona recepisse; & quoad ea Symbola, sub quibus receperunt, physice impossibile fuisse, ut deciperentur.

Si autem impossibile est, ut quispiam vel naturaliter, & sine ullo labore, vel propter illusionem sensuum, aut phantasiæ deceptionem, diversarum multipliciumque linguarum peritus statim evadat; multo magis impossibile est ut sua oratione, atque impositione manuum Spiritum Sanctum etiam aliis communicare possit; hoc vero est, quod Apostoli præstiterunt, sicuti *Actorum* v. 17. legitur, indeque Simon Apostolis pecuniam obtulit, ut idem faciendi facultatem sibi tribuerent: ergo Apostolos & vera Spiritus Sancti dona recepisse, & quoad ea symbola, sub quibus receperunt, deceptos non fuisse, semper magis magisque constat.

Mutatio quoque, quæ in Apostolis repente contigit, rem eamdem manifeste suadet. Postquam enim sonum e cœlo venientem audierunt, & ignis dispertitæ linguæ supra capita singulorum ceciderunt, repente alii, ac antea fuerant, evasere. Nam quum metu, & timore perculsi, simul in eadem domo uniti antea manerent, statim ab illa signorum visione alacres facti palam prodeunt, Christi resurrectionem omnibus confidenter annuntiant, qua adhortationibus, qua suasionibus, qua minis, gravibusque objurgationibus singulos adducere conantur, ut in Christum credant. Tantum vero sua prædicatione proficiunt, ut licet qui Christianam Religionem amplecti voluerint, & patria instituta

tuta deserere, & alium omnino diversum vitæ genus, atque illud quidem illecebris sensuum omnino oppositum, sequi debeant, tamen tum Judæorum, tum Ethnicorum plures eisdem assentiantur.

Quid? (a) „. Supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus templi, & Sadducæi, dolentes, quod docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis: & injecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum (b). Denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu, Petrus vero, & Joannes respondentes, dixerunt ad ad eos: si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui (c). Exurgens autem Princeps Sacerdotum, & ommes, qui cum illo erant) quæ est hæresis Sadducæorum (repleti sunt zelo: & injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica? Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit: ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. Qui quum audissent, intraverunt diluculo in templum, & docebant. (d) Adveniens autem quidam nuntiavit eis: quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, & docentes populum. Tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi ... & quum adduxissent illos, statuerunt in concilio: & interrogavit eos Princeps Sacerdotum, dicens, præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius? Respondens autem Petrus, & Apostoli dixerunt: obedire oportet Deo magis, quam hominibus „. (e) Iterum magistratus templi, & Principes Sacerdotum „ Convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant, in templo, & circa domos docentes, & Evangelizantes Christum Jesum „. At non est, cur in hisce expendendis diutius immoremur, quum tota Apostolorum agendi ratio, quam ad mortem usque servaverunt, talis fuerit, ut nihil eorum, quæ præstiterunt, præstare potuerint, nisi Divino spiritu animati fuissent. Evidentiæ ergo veritatis ille obsistat oportet, sicuti revera Deistæ sæpe faciunt, qui vel de veritate symbolorum, sub quibus Spiritus Sanctus super Apostolos descendit, vel de infusione donorum, quæ eisdem Apostolis communicata fuere, adhuc dubius extiterit.

Apostolorum autem fraude fieri non potuisse, ut in vulgus spargeretur, eos dum simul congregati essent, aut sonum e cœlo venientem audisse, & linguas igneas supra illorum capita descendisse, aut dona Spiritus Sancti recepisse, superfluum esse duximus, ut ad demonstrandum aggrederemur, tum quia tam putidam calumniam a nobis satis jam depulsam esse arbitramur, quando de resurrectione, & ascensione Christi egimus, tum quia nullum fraudi locum hac in re esse potuisse, hæc quoque evincunt, quæ modo disseruimus.

Nihil aliud contra ista, nisi incredulitas Judæorum, opponi potest; verum hoc argumenti genus supra fuit a nobis abunde confutatum.

Pro-

(a) *Actorum* 4. v. 1. & seq.
(b) *Actorum* eodem cap. v. 18. & seq.
(c) *Actorum* 5. v. 17. & seq.
(d) *Actorum* laud. cap. v. 25. & seq.
(e) *Actorum* laud. cap. v. 40. & seq.

Propositio II. Apostoli in confirmationem doctrinæ Evangelicæ, quam promulgarunt, plura, eaque insignia, & omnino vera miracula muniti Divina virtute fecerunt.

Prob. prop. Postquam Petrus brevem distinctamque rationem eorum omnium, quæ in adventu Spiritus Sancti tum sibi, tum aliis contigerant, turbis admirantibus reddidisset, una cum Joanne ascendit (a) „ in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris „ suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur „ Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is quum „ vidisset Petrum, & Joannem incipientes introire in templum, rogabat, ut „ eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: „ respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum „ ab eis. Petrus autem dixit: argentum, & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jesu Christi Nazaræni surge, & ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat: & „ intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum. „ Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore, & extasi in eo, quod contigerat illi „. Neque solus populus fuit, qui super re tanta miraretur, sed & Sacerdotes, & Magistratus templi (b) *hominem quoque videntes stantem cum eis* (hoc est Petro, & Joanne) *qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere*. Unde & inito inter se concilio, dicebant: „ Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus „ habitantibus Jerusalem: manifestum est, & non possumus negare „.

Profecto ut, qui est claudus ex utero suæ matris, statim, atque repente ad imperium vocis alterius perfectam, atque omnino expeditam ambulandi facultatem recipiat, per naturæ vires fieri non posse, nullus sanæ mentis negare audeat: hoc vero est, quod Petrus sua voce præstitit: ergo Petrus in eo claudo, de quo *Actorum* cap.3. mentio fit, miraculum præstantissimum operatus fuit. Revera autem tum claudum eum fuisse ex utero suæ matris, quem Petrus ita sanavit, tum perfectam, atque expeditam ambulandi facultatem eum recepisse, non solum multi testes fuerunt, & quinque millia eorum propter prodigium tam insitatum Christi fidem suscepere, sed etiam Principes populi, Seniores, Scribæ, Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali, sicuti *Actorum* cap. 4. legitur, qui, ut in hujus facti veritatem inquirerent, sese congregaverant. Unde quamvis Petrus, & Joannes silentio, quod sibi de Christi resurrectione impositum erat, acquiescere recusaverint; tamen tantummodo (c) „ Comminantes dimiserunt eos, non invenientes, quomodo punirent eos propter populum; quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo, quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis „. Si ergo & in nomine Jesu, & in confirmationem eorum, quæ de Jesu Christo prædicabat, tantum prodigium Petrus operatus fuit, in confirmationem Evangelicæ doctrinæ vera, atque præclara miracula ab Apostolis facta fuisse consequitur. Qua

(a) *Actorum* 3. v. 1. & seq. (b) *Actorum* 4. v. 14. & seq. (c) *Actorum* 4. v. 2. & 22.

Qua autem facilitate, atque ratione claudo ex utero matris suæ ambulandi facultatem Petrus contulit, eadem facilitate Ananiam, & Saphiram uxorem ejus in mendacii pœnam usu vitæ privavit (a), & [b] Liddæ Æneam paralyticum sanum fecit, & in Joppe Thabitam a mortuis resuscitavit. Horum quoque omnium non minus, ac ejus, quod in claudo Petrus operatus fuerat, multi testes omnis generis extiterunt, pluresque fidem Christi, cujus virtute hæc omnia fiebant, prompte suscepere. Qualia vero, & quanta sunt, quæ Paulus in confirmationem Evangelicæ veritatis operatus fuit? Elymas magus se illi opponit, dum verbum Dei prædicat, qui & Proconsulem Sergium a Christi fide amplectenda avertere conatur? volente Paulo, (c) „ Confestim cecidit „ in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret. „ Tunc Proconsul quum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Do„ mini. [d] Quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero „ matris suæ, qui nunquam ambulaverat „? huic Paulus, ut surgat super pedes suos rectus, magna voce imperat; ille vero „ Exilivit, & ambulabat. „ Turbæ autem quum vidissent, quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, „ lycaonice dicentes. Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos „. Quid plura? (e) „ Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut „ etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicintia, & „ recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur „. (f) Supra Eutychum jam mortuum incumbit, atque illum statim vitæ restituit, multique maximam consolationem inde trahunt; Melitæ autem non solum Publii patrem a febribus curat, sed etiam (g) *Omnes, qui in insula habebant infirmitates accedebant, & curabantur*. Horum quoque omnium miraculorum, quæ Paulus patravit, & multi testes fuerunt, & propter ea plures tum Judæorum, tum Ethnicorum Christianæ Religioni nomen dederunt.

Ast non est, cur singula percurramus, quia (h) „ Per manus Aposto„ lorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe... ita ut in plateas eji„ cerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut, veniente Petro, „ saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab in„ firmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Je„ rusalem, afferentes ægros, & vexatos a spiritibus immundis: qui curaban„ tur omnes „. Plura ergo, eaque insignia, & omnino vera miracula in confirmationem Evangelicæ doctrinæ, quam promulgabant, ab Apostolis fuisse patrata, nullus dubitandi locus superesse potest: ergo ex hoc quoque capite constat, doctrinam Evangelicam nonnisi a Deo esse potuisse.

„ Et sane (uti Origenes recte observat *contra Celsum* lib. 8. nu. 47.) „ si de prima Christianorum constitutione verisimilis habendus est sermo, di„ cemus probabile non esse Apostolos, plebejos, & sine litteris viros, ad Re„ ligionem Christianam hominibus annunciandam alia re confisos esse, quam „ collata sibi potestate, & gratia, quæ eorum prædicationis comes erat, ut „ annunciata ab ipsis doctrina reciperetur; nec eorum auditores a patriis in„ stitutis, iisque vetustate confirmatis abduci, & ad dogmata tam insolita, „ tam

(a) *Actorum* cap. 5.
(b) *Actorum* cap. 9.
(c) *Actorum* 13. v. 11. & 12.
(d) *Actorum* 14. v. 7. & seq.
(e) *Actorum* 19. v. 11. & seq.
(f) *Actorum* 20. v. 10. & seq.
(g) *Actorum* 28. v. 9.
(h) *Actorum* 5. v. 12. & seq.

„ tam aliena ab iis, quibus innutriti erant, suscipienda induci potuisse, nisi „ mirifica quadam potentia, rebusque prodigiosis moti fuissent „. Et re quiquidem vera, sicuti idem Origenes prosequitur lib. 1. *contra Celsum* nu. 38. „ Dicere nulla eos fecisse miracula, sed credidisse dumtaxat, & nulla adjutos persuadendi gratia, qualem apud Græcos dialectica docet, novam doctrinam, quocumque ituri erant, promulgare aggressos esse, perabsurdum „ est. Qua enim fiducia hanc prædicarent doctrinam, ut novarent omnia „? Et nu. 46. ejusdem libri: „ Neque enim, *inquit*, sine miraculis prodigiisque „ potuissent inducere eos, quibus novam doctrinam, novaque instituta tradebant, ut, relictis patriis institutis, vel cum summo mortis periculo ipsorum instituta amplexarentur. Quin etiamnum apud Christianos nonnulla supersint illius Spiritus Sancti, qui columbæ specie apparuit, vestigia. Nam „ dæmonia ejiciunt, morbos curant, & volente Verbo, futura prævident... „ Multa ejusmodi novimus, quæ si scriberemus, tametsi illorum oculati testes „ fuerimus, benignam risus materiam præberemus incredulis, qui nos ex eorum ingeniis, qui talia finxisse norunt, judicantes, hæc etiam a nobis conficta esse existimarent. Testis tamen est Deus, cui arcana conscientiæ nostræ patent, nos Divinam Iesu doctrinam non falsis narratiunculis, sed variis, iisque evidentibus argumentis confirmare velle „. Eadem autem, ac Origenis fuit, nostra quoque nunc temporis conditio est: „ Quandoquidem etiamnum apud Christianos nonnulla supersint illius Spiritus Sancti, qui columbæ specie apparuit, vestigia. Nam dæmonia ejiciunt, morbos curant, „ &, volente Verbo, futura prævident „. Multa ejusmodi certissime nos quoque novimus; ab iis tamen referendis abstinemus, quod fidelibus hac commemoratione non est opus; Increduli autem ista credituri non sunt, dum pergant rejicere illustriora illa, Christi dico, & Apostolorum miracula, luminosissimis insignita characteribus veritatis, in quorum conspectu miseri oculos pertinaciter claudunt luci „. Testis tamen est Deus (& nos quoque cum Origene dicere „ possumus) cui arcana conscientiæ nostræ patent, nos Divinam Iesu doctrinam non falsis narratiunculis, sed variis, iisque evidentibus argumentis confirmare velle „ (a).

ARTICULUS III.

NUM DIVINA REVELATIO, QUÆ IN NOVO TESTAMENTO CONTINETUR, PROPHETIIS CONFIRMATA SIT.

ULtimum hoc argumentum Divinitatis, quam Revelatio, quæ in Novo Testamento continetur, in se habet, superest, ut expendamus. Quum enim ea, quæ prophetice prævidentur, naturaliter cognosci non possint (b), semel ac in Novi Testamenti libris multas prophetias contineri perspectum sit, ex hoc quoque capite eos divinitus inspiratos fuisse, colligi debet. Licet vero

(a) Deistæ itaque cum summa perfidia agunt, dum, ut vera miracula Sanctorum virorum, quæ explorate perspecta sunt, irrisioni quorumdam imperitorum exponant, vel saltem dubia reddant, falsa quædam miracula proponunt, quæ a quibusdam facta sunt, isse vel confingunt, vel si non confingunt, ex ipsa narratione eorum conficta esse constat. Id præter alios tentavit etiam Auctor *Epist. Judaic.* in suis epistolis, & potissimum tom. 1. ep. 14

(b) Lib. 1. qu. 2. ar. 3. *Theol. Revel.*

ro quæ Christus tum quoad Apostolos, tum quoad Judæos, tum quoad Gentiles futura prædixit, in Sacris Evangeliis præcipue contineantur; quia tamen etiam ceteri libri Novi Testamenti ad ipsa Evangelia referuntur, idemque tum in Evangeliis, tum in aliis Sacris libris futurum esse præsupponitur, consequens inde est ut per prophetias Evangeliis contentas divinitas omnium simul novi Testamenti librorum comprobata maneat.

Propositio. Multa Christus tum quod Apostolos, tum quoad Judæos, tum quoad Gentiles futura prædixit, quæ non solum naturaliter cognosci non poterant, sed etiam contra omnem humanam conjecturam erant.

Prob. propositio quoad primam partem. Primo quidem virtutem miracula patrandi Apostolis se collaturum esse, Christus promisit (a), qua ut in aliorum beneficium uterentur, simul præcepit. Vult autem, ne aurum, argentum, aut pecuniam, immo neque peram in via, aut duas tunicas, neque calceamenta, nec virgam possideant (b), unaque futurum spondet, ut Evangelium in universo orbe prædicetur (c). Quamvis omnibus benefacturi sint; tamen trahendos esse ad Reges, atque Præsides, futuros odio omnibus, multaque mala passuros, immo a parentibus, fratribus, atque amicis esse prodendos, ac demum crudelem mortem subituros vaticinatur (d). Tum promissum sui Patris in eos missurum se esse, atque ita virtute eos ex alto indutum iri, Christus Apostolis promisit (e): tum spiritu veritatis, quem mundus capere non potest, replendos esse confirmavit (f); unde eosdem quoque monuit, ne cogitarent, quomodo loquerentur, quia ipse, quid loquerentur, iisdem daturus erat, ita ut Spiritus Patris in eis loqueretur [g]. Hæc vero omnia si simul comparentur, nihil magis contrarium conjecturæ hominum adinveniri posse comperiemus. Quandoquidem quamvis Apostoli nulla doctrina expoliti essent, atque in maxima rerum omnium ignoratione versarentur; tamen eosdem statim ita sapientes evasuros esse, Christus prædixit, ut nemo iisdem resistere posset: quæ autem quantalibet potestate, & dignitate præditus facere nullus poterat, summa cum facilitate ab iis facienda esse monuit, ita ut non solum elementis, sed etiam ipsi morti imperarent. Licet vero & benefacturi omnibus, & neminem læsuri essent; attamen quod sua sponte incredibile videri debebat, vel ab ipsis parentibus, fratribus, cognatis, atque amicis male habendos prænunciavit. Demum Evangelium ubique promulgandum esse confirmavit, etsi pauci, & ii quidem infimæ conditionis homines, omni prorsus humana ope destituti, atque ad mortem ubique a Principibus, & Magistratibus conquisiti, ejusdem præcones futuri esse deberent. Profecto si hæc omnia contra humanam conjecturam non sunt, nihil sane video, quod esse possit. Superest ergo, ut ab eo, qui ab æterno omnia novit, longe prævisa fuisse dicamus: nam eo modo, quo sunt prædicta, adamussim contigerunt.

Probatur propositio quoad alteram partem. Ac qua ratione Judæi Christum a se rejecturi essent a Sanctis Prophetis Osea, Isaia, Jeremia, atque aliis fuisse prædictum, hic referre omittimus, sed ea tantum memorabimus, quæ ipse Christus de iisdem prænunciavit. Ac primo quidem multa de eis sub parabolis futura prædixit: nam hominibus ad prandium invitatis, qui tamen ve-

(a) *Matt.* 10. v. 8. & *Lucæ* 10. v. 9.
(b) *Matt.* 10. v. 9. & 10.
(c) *Matt.* 24. v. 14.
(d) *Matt.* 10. v. 22. & seq.
(e) *Lucæ* 24. v. 49.
(f) *Joannis* 14. v. 16. & 17.
(g) *Matt.* 10. v. 19. & 20.

venire renuerant, Judæos, Gentiles vero exteris, qui præter ſpem eorum ad prandium admiſſi erant, Chriſtus aliquando comparavit (a): aliquando etiam eoſdem Judæos iis agricolis aſſimiliavit, qui non ſolum plures ſervos a ſuo domino ſibi miſſos occiderant, ſed & proprium filium ejus crudeliter mactarant, ex quo commeriti fuerant, ut a ſuo domino perderentur, vineaque aliis agricolis locaretur. Quam parabolam quum ad ſe omnino pertinere Judæi intellexiſſent, (b) *Quærebant eum tenere, & timuerunt turbam: cognoverunt enim, quoniam ad eos parabolam hanc dixerit*. Unde niſi timuiſſent turbas, effeciſſent neſcientes, ut in ſe altera quoque pars parabolæ, maturius, quam par erat, adimpleretur.

Verum non ſolum ſub parabolis, ſed etiam aperte, atque manifeſte, quæ Judæis eventura eſſent, Chriſtus prædixit. *Matthæi* 23. cap. poſtquam hypocriſim, quam variis actionum generibus Judæi præſeferebant, Scribis, atque Phariſæis exprobravit, ſimiles eos Patribus ſuis ſtatuit eſſe futuros, quia ſicut illi miſſos ad ſe Prophetas occiderant, idem quoque & ipſi peracturi eſſent: (c) „ Ideo ecce ego (inquit Chriſtus) mitto ad vos Prophetas, & Sa„ pientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagel„ labitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem „. Non ſolum autem quæ paſſuri propter hujuſmodi ſcelera eſſent, ſed etiam quo tempore, determinavit: (d) *Amen dico vobis*, ait illis, *venient hæc omnia ſuper generationem iſtam*. Quo ſignificavit fore, ut etiam qui tunc vivebant, pœnas iniquitatis laturi eſſent (e). Quæ autem hæ pœnæ futuræ forent, ad Jeruſalem converſus ita expoſuit: „ Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Pro„ phetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare fi„ lios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & nolui„ ſti. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta „. Hinc & filiabus Jeruſalem, quæ ipſum flebant, dum ad mortem iret: (f) „ Jeſus dixit: filiæ Jeruſalem, „ nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. „ Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ ſteriles, & ventres „ quæ non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt „. *Lucæ* autem 19. cap. v. 43., & 44. quænam hæc mala eſſent, quæ civitati Jeruſalem imminebant, per hæc verba diſtincte recenſuit: „ Quia venient dies in te, & „ circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te „ undique. Et ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, &

„ non

(a) *Lucæ* 21. v. 1. & ſeq.
(b) *Lucæ* 12. v. 12.
(c) Laudato cap. v. 34.
(d) Laudato cap. v. 36.
(e) „ Deinde (inquit S. Joan. Chryſoſt. „ *hom.* 74. *in Matt.* nu. 2., alias *homil.* 75.) ut „ terrorem augeret, ait: *amen, amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem hanc*, Id eſt, in capita veſtra hæc omnia „ vertam, & magnam exercebo vindictam „. Putandum tamen non eſt, prædixiſſe Chriſtum, futurum eſſe, ut ii tantum, qui tunc vivebant, mala paterentur. Quamvis enim Chriſtus omnia ventura prædixerit ſuper *generationem iſtam*; tamen qua ratione juxta morem Scripturarum alii quoque Judæi in iſta prædictione contineantur, ita explicat S. Thomas *Expoſit in Matt.* ca. 24. dicens: „ Sed „ quomodo poteſt eſſe, quod omnia veniant „ ſuper generationem iſtam? Punitur ne unus „ pro alio? *Ezechielis* 18. *Filius non portabit* „ *iniquitatem patris*? quomodo ergo ſuper „ generationem iſtam? Hieronymus ſolvit, „ quod conſuetum in Scriptura, quod tota „ generatio bonorum pro una generatione „ ſumitur, de qua in „ *pſalmo* 3. *Generatio* „ *rectorum benedicetur*; generatione malorum „ ſupra 13. *Generatio mala ſignum quærit*. „
(f) *Lucæ* 23. v. 28. & 29.

„ non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tem-„ pus visitationis tuæ „. Neque solum Jerusalem destruendam esse Christus prænunciavit, sed etiam Judæos usque ad finem mundi perduraturos esse prædixit: nam de ultima judicii die sermonem habens, generationem eorum præterituram non esse affirmavit, antequam adimplerentur ea omnia, quæ de hac die prophetaverat. (a)

Hæ sunt præcipuæ prædictiones, quas Christus, de Judæis edidit. Ut autem adimpletas easdem fuisse cognoscatur, satis est ad ea advertere, quæ in Jerusalem obsidione contigerunt, quomodo, & quo tempore capta, atque deleta fuerit, qua ratione Judæi in perpetuum ex ea ejecti, & ubique dispersi usque modo perseverent.

Deistæ, quando de iis agitur, quæ a Jesu Christo facta, aut prædicta fuere, quum non habeant, quo confugere possint, ad Josephi silentium appellare consueverunt. Id autem quamvis frustra faciant, quia, uti jam sæpe monuimus, testimoniis negativis everti non potest, quod evidentissimis positivis testimoniis semel constitutum est; tamen in re proposita ne hoc quidem tam futile effugium ipsis relinquitur. Quandoquidem Christum & Jerusalem evertendam, & templum destruendum prophetasse novimus, & Jerusalem eversam, ac templum destructum ex ultimo Josephi libro *de Bello Judaico* compertum habemus.

Non sine mysterio autem Christus excisionem Jerusalem una cum ruina totius universitatis rerum, quæ ultima judicii die futura erit, simul conjunxit. Sicut enim Jerusalem, dum in Divinorum præceptorum observatione perstitit, Ecclesiæ, regnique cœlestis figura fuit, & ideo Sancti Prophetæ, quæ ad Jerusalem, & ad Ecclesiam, regnumque Beatorum pertinent, sæpe simul conjunxerunt; ita dum a Deo aversa fuit, illorum omnium malorum imago evasit, quæ ultima judicii die universum orbem sunt occupatura. Hic mos in Sacris litteris sæpe servatur, ut in iis veritas etiam adumbrata figuris sæpe conspiciatur.

Tandem illud quoque a Christo de Judæis prædictum fuit, sicuti S. Justinus *in Dialogo cum Tryphone* nu. 51. observavit, in posterum futurum esse, ut nullos Prophetas haberent, sicuti revera contigit: „ Nullum autem „ (inquit S. Martyr) deinceps futurum in vestro genere Prophetam dixerat, „ atque ut homines agnoscerent novum illud testamentum, quod olim Deus „ institutum iri prædicaverat, jam tum adesse; hoc est, se ipsum, quippe qui „ Christus esset, sic eos alloquebatur: *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem* „ *Baptistam* „.

Prob. propositionis tertia pars. Sicuti multa de Judæis, ita plura quoque de conversione gentium per parabolas a Christo prædicta fuere, uti constat ex *Matthæi* 8., 22., & 23. cap., atque ex *Lucæ* cap. 13., & 14. Attamen, his omnibus omissis, ea tantum expendamus, quæ Christus de iisdem futura esse apertius prænunciavit. Quum Gentiles quidam Jerusalem convenissent, ut Deum Judæorum adorarent, atque a Philippo quæsiissent, ut Jesum sibi manifestaret, idque tum Philippus, tum Andreas Christo retulissent: (b) *Jesus respondit eis dicens: venit hora, ut clarificetur filius hominis*. Quibus verbis Sanctum nomen ejus a Gentilibus quoque glorificandum esse significavit, futurumque esse præ-

(a) *Matt.* 24. v. 34. *Marci* 13. v. 30. *Lucæ* 21. v. 32. (b) *Joannis* 12. v. 22.

prædixit, ut princeps hujus mundi foras ejiceretur [a]; hoc est, gentes, quæ idololatriæ, superstitionibus, atque principi hujus mundi antea serviebant, sibi obsequuturæ essent. Unde etiam Christus, quando a mortuis redivivus Apostolis apparuit: [b] „ Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Et di„ xit eis: quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & re„ surgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam in „ omnes gentes, incipientibus a Jerosolyma. Vos autem testes estis horum. „ Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, „ quoad usque induamini virtute ex alto „. Pœnitentiam ergo, remissionemque peccatorum in omnes gentes ab Apostolis prædicandam esse Christus prædixit, atque ob hanc caussam virtute ex alto eos induendos præsignificavit, propter quam sibi testes futuri erant [c] *in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Hoc autem, quod de conversione gentium præmonuit, ut certius constare posset, suam Ecclesiam semper augendam esse non solum variis multiplicibusque parabolis confirmavit [d], sed etiam nunquam futurum, ut portæ inferi adversus eam prævalerent, aperte prænunciavit [e].

Hæc autem omnia, quæ tum de conversione gentium, tum de Ecclesiæ multiplicatione, ejusque perpetua duratione Christus prædixit, supra omnem humanam conjecturam, probabilemque opinandi rationem fuisse, nullus sane negare poterit. Quid enim magis præter expectationem hominum esse poterat, quam ut pauci homines non solum omni humana ope destituti, sed etiam litterarum expertes, atque in nulla re gravi antea exercitati, tantum opus contra potentes, atque sapientes, omnesque cujusvis conditionis homines sibi adversantes, perficere possent? Perfecerunt tamen, atque cumulatissime præstiterunt, quia qui hoc per eos faciendum esse prædixerat, idem corda omnium in sua manu habet, eaque regit, atque moderatur, & quæcumque voluerit, suis præconibus elargiri potest. Quid? Ecclesiam perpetuo duraturam solummodo a Deo prævideri potuisse, nonne unicuique manifestum esse debet, si animo advertat, quam sæpe, atque multum, ut ea omnino deleretur, humana potestate certatum fuerit?

Jamvero in hoc prædictionum ejusmodi ab omni humana conjectura tam longo intervallo, atque repugnantia, tamen si ea, quæ Christus prædixit, cum eventu comparemus, manifestum omnino est nihil certius præcognosci potuisse. *Acta Apostolorum* qui percurrerit, atque statum, quem omni tempore a prædicatione Apostolorum Ecclesia habuit, diligenter expenderit, oculis cernet, adamussim impleta ea omnia fuisse, quæ Christus prædixit.

Hisce prædictionibus, de quibus usque modo egimus, multa alia superaddere possemus, quæ de sua passione Christus prænovit, atque prænunciavit; verum quæ recensuimus, sufficere abunde putamus, ut Divinam Revelationem, quæ in Novo Testamento continetur, prophetiis confirmatam fuisse, nullus dubitandi locus apud homines ratione utentes, atque Philosophos remanere possit.

Dices contra primam partem. Dogmata Christianæ Religionis prius ab Apo-

(a) Laudato cap. 2. v. 31.
(b) *Lucæ* 24. v. 45.
(c) *Actorum* 1. v. 8.
(d) *Matt.* 13.
(e) *Matt.* 16. v. 18.

Apostolis prædicata, quam scripta fuerunt: ergo fieri potuit, ut quum Apostoli maximum ex sua prædicatione fructum consequi viderent, illum a Christo prædictum fuisse scriberent, quo majorem sibi auctoritatem conciliarent.

R., hanc conjecturam Deistarum non solum viris Sanctissimis quam maxime injuriosam esse, sed etiam omni rationi adversam, immo ne apparentem quidem probabilitatem ullam habere. Quandoquidem fieri nullo modo potuisset, ut tot labores, atque contumelias, tam exquisita supplicia, & ipsam mortem Apostoli pro Christo sustinerent, si neque de Sanctitate illius convicti, neque de Divinitate persuasi fuissent. Nullam deinde fidem apud primos discipulos obtinere potuissent, si alia, quam quæ voce promulgaverant, litteris tradidissent: quo fit, ut quoniam a Christo prædicta fuisse, quæ eventura erant, litteris tradiderunt, verbis quoque idem eos ante promulgasse intelligatur. Postremo qua ratione contingere potuit, ut Apostoli licet omni humano auxilio destituti essent, tamen tantum opus per se aggressi fuerint, novamque in universo mundo Religionem invehere tentaverint? Unde vero evenit, licet in rerum omnium ignoratione versarentur, ita eos dicendo valuisse, ut tanta multitudo gentium etiam cum maximo detrimento suorum commodorum, atque præter eam inclinationem, quam tum naturaliter, tum ex educatione ad voluptates habebant, eorum dictis paruerint? Hæc sane omnia, ut multa alia omittam, de quibus in hac quæstione mentionem fecimus, nihil magis a veritate alienum esse posse colligitur, quam ut Apostoli hac in re mentiri potuerint. Unum tantum superaddam, quo solo hæc futilis, atque impudens suspicio Deistarum refelli potest; hoc est, ea, quæ a Christo prædicta fuisse, Apostoli affirmarunt, non ad eorum prædicationem tantum spectare, verum etiam ad omnia sequentia tempora, quibus Ecclesia duratura erat: ergo ex iis, quæ in promulgatione Evangelicæ Legis sibi contigerant, affirmare Apostoli non poterant, illa omnia a Christo prædicta fuisse, quæ litteris tradiderunt.

At vero illud quoque advertatur oportet, prius Evangelia conscripta fuisse, quam Jerusalem destrueretur, unaque cum destructione Jerusalem futurum esse prædictum, ut gens Judæorum captiva duceretur, sicuti ex *Lucæ* 21. ca. v. 24. constat. Qua ergo ratione Scriptores Evangeliorum ex iis, quæ in promulgatione Divinæ Legis sibi contigerant, tum destructionem Jerusalem, tum dispersionem Judæorum, & quidem perpetuo duraturam, a suo Magistro fuisse prædictam, litteris mandare potuerunt? Verum de tam futili suppositione nimis multa, & fortasse etiam plura, quam par erat: nam hac de re, data opera, in sequenti quæstione disputabimus.

Quoniam vero, uti sæpe alias monuimus, quæ Deistæ nostri temporis contra Religionem Revelatam opponunt, ea vel a Celso, vel ab aliis hujus furfuris hominibus maxima ex parte mutuati fuere, videamus quid Judæo Celsi hæc eadem objicienti Origenes respondeat lib. 2. *contra Celsum* num. 13. „ Criminatur deinde discipulos, *quasi finxerint præscisse illum, & prædixisse quæcumque sibi acciderunt*. Sed hoc verum esse, vel invito Celso, de„ monstrabimus. Præsto enim sunt multa, quæ Christus edidit vaticinia de re„ bus, quæ Christianis contigerunt etiam subsequutis temporibus. Et quis non „ admiratur illud: (a) *Ante reges, & præsides ducemini propter me in testimo-*

(a) *Matt.* 10. v. 18.

" *monium illis*, *& gentibus*, aliave similia, ubi prænunciat futurum esse, ut
" sui discipuli vexationem patiantur? Ecquæ enim exorta est inter homines
" doctrina, propter quam etiam alii puniantur, ut quispiam ex iis, qui Je-
" sum criminantur, dicat videntem eum impia sua falsaque dogmata in crimen
" vocari, laudi sibi fore putasse, si idem eventurum suis multo ante præsi-
" gnificaret? Nam si quos oportuit ante reges, & præsides trahi propter do-
" ctrinam, quos alios oportuit, quam Epicureos, qui providentiam e medio
" tollunt? quos alios, quam Peripateticos, qui negant quidquam proficere
" preces, & mactatas numini victimas?... Solis vero Christianis juxta illud
" a Christo prædictum: *Ante reges*, *& præsides ducemini propter me*, per Ju-
" dices licet ad extremum usque spiritum quietis esse, & domi secure vive-
" re, modo suam religionem ejurent, sacrificia ex more offerant, & solita
" juramenta præstent. Vide propterea an non hæc magna auctoritate dicta
" sint: [a] *Omnis*, *qui confitebitur me coram hominibus*, *confitebor & ego eum*
" *coram Patre meo*, *qui in cælis est*: *& quicumque negaverit me coram ho-*
" *minibus*, & quæ sequuntur. Transfer te jam animo in illud tempus, quo
" hæc Jesus dicit, & res, quæ nondum contigerant, prænunciatas considera:
" nisi forte fidem quidem illi denegans, dices frustra illum nugas ejusmodi
" effutire: neque enim futura esse, quæ prædicit; animi vero dubius, utrum
" ejus dictis assentiri debeas, nec ne, inquies: si hæc comprobavit eventus,
" doctrina Jesu firma constiterit, regesque, & præsides de perdendis iis, qui
" Jesum confitentur, sedulo cogitaverint, tum credemus magna illum a Deo
" data potestate talem in hominum genus doctrinam invexisse, hæcque non
" prænunciasse, nisi quia persuasissimum habuerit, nihil suæ doctrinæ adver-
" saturum, quod non facile superaret. Ecquis etiam animo fingens fuisse se,
" quum Christus loqueretur, non admirabitur illud: (b) *Prædicabitur Evange-*
" *lium istud in toto mundo in testimonium illis*, *& gentibus*, si modo secum
" recogitet Jesu Christi Evangelium, ut ipse prædixerat, omnibus Græcis,
" Barbaris, sapientibus, & insipientibus ubique terrarum esse prædicatum.
" Omnem enim humanam naturam subegit sibi verbum cum virtute prædica-
" tum, nec ullum est videre hominum genus, quod Jesu doctrinam admitte-
" re recusaverit. Præterea cogitat Celsi Judæus ille, qui negat Jesum præ-
" vidisse, quæ sibi eventura essent, quo pacto Jesus, dum adhuc Jerusalem
" staret, & totus Religionis Judaicæ cultus in ea consisteret, prædixerit, quæ
" illi urbi a Romanis mala impenderent. Nec enim dici potest Jesu familia-
" res, & auditores sine scriptis doctrinam in Evangeliis descriptam tradidisse,
" & nihil litterarum suis discipulis reliquisse, unde res ab illo gestas discerent.
" At in iis scriptis hoc legitur: (c) *Quum videritis circumdari ab exercitu Je-*
" *rusalem*, *scitote*, *quia jam appropinquavit desolatio ejus*. Tunc nullus exer-
" citus Jerusalem circumdabat, circumvallabat, obsidebat. Hoc enim fieri
" cœptum sub Nerone duravit ad Vespasiani tempora, cujus Vaspasiani filius
" Titus solo æquavit Jerusalem. Quod quidem narrat Josephus accidisse pro-
" ter Jacobum justum, fratrem Jesu, qui dicebatur Christus: ut autem veri-
" tas ipsa clamat, propter Jesum illum Christum, qui Dei filius est".

Dices II. contra secundam partem. Judæos expectasse tempus, quo a dominatu exterorum liberarentur, negari non potest: ergo a Romanis esse re-

(a) *Matt.* 10. v. 32. (b) *Matt.* 24. v. 14. (c) *Lucæ* 21. v. 20.

rebellaturos, indeque consequuturum, ut Jerusalem una cum templo destrueretur, sine prophetia praevideri poterat: quod ergo a Christo de eversione Jerusalem, atque templi multa praedicta sunt, ea prophetice praedicta fuisse, non sequitur.

R., expectatum quidem a Judaeis fuisse liberatorem, cujus virtute ab alienigenarum servitute eriperentur; verum quem ipsi expectabant, nondum advenerat, quando Christus Jerusalem, atque templum destruenda esse pradixit. Quomodo ergo loquens de malis, quae Jerusalem eventura erant, affirmare potuit: *Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam?* Nondum ergo Judaei constituere poterant, quo potissimum tempore essent rebellaturi, quando Christus super eos mala impendentia praevidit: ergo nonnisi prophetice illa praevidere potuit.

At vero, quamvis nullo modo potuerit, tamen Judaeos fuisse rebellaturos, naturaliter, sive per conjecturam cognosci potuisse demus: anne fortasse consequens inde erit, ut conjici etiam certo potuerit, quam cladem inde passuri essent? anne ex rebellione eorum certo consequebatur, Sanctam civitatem ita destrui debere, ut lapis supra lapidem non relinqueretur, templum vero flammis omnino absumi, Judaeosque omnes, qui a caede superfuissent, in miseram, eamque perpetuam servitutem abduci? Hoc certe nemo erit, qui affirmare audeat, quum propter rebellionem fieri etiam posset, ut Judaei vel in pristinam libertatem sese vindicarent, vel saltem tam gravia mala non paterentur. Non est ergo, cur Deistae ad inanes conjecturas confugiant, ut multa a Christo prophetice praedicta fuisse negent.

Cont. Saltem quod Christus de duratione Judaeorum usque ad consummationem saeculi praedixit, naturaliter conjici poterat: ergo. Prob. ant. Hoc nonnisi praeter naturae ordinem contingere posse ideo videtur, quia neque templum habent, neque priorem cultum retinent, multaque ab iis pati semper debent, cum quibus necessario vivunt. Verum nihil horum impedit, quominus esse perseverent, atque augeantur: 1. quia licet Judaei sint in maxima miseria constituti, semper tamen liberatorem suum expectant: quo fit, ut hac spe suffulti tantis malis non opprimantur: 2. non solum spes, quam de futuro Messia habent, ad durationem eorum societatis plurimum confert, sed etiam singularitas morum, quam in omnibus servant, & praecipue cautio, quam adhibent, ne cum exteris connubia ineant, efficit, ut esse perseverent: 3. quamvis Religionem Christianorum florentem videant; tamen se quoque veram germanamque Religionem profiteri putant: qua quidem persuasione mirum in modum eriguntur, atque sublevantur: 4. mala, quae patiuntur, ut suae Religioni magis addicti sint, efficiunt: nam eas opiniones acrius plerumque homines tuentur, propter quas aliqua mala sustinere debent. Unde Judaei, dum prospere agerent, ipsius Dei obliti fuere, Graecis, Romanis, aliisque subjecti nationibus, paternarum traditionum zelatores extiterunt: ergo (a)

Et re quidem vera nonne etiam Ananus Jesu filius multo ante tempore, quam contingeret, destructionem Jerusalem praevidit, sicuti tradit Josephus lib. 6. cap. 31. *de Bello Judaico?* quomodo ergo ab Anano, ita etiam a Christo praevideri ea potuit.

R., ex hisce ratiunculis nullo modo concludi posse, nihil supra humanam con-

(a) Ita Spinosa *Tractatu Theologico-Politico* cap. 1.

conjecturam in ea prædictione esse, quæ de duratione Judæorum usque ad consummationem sæculi facta fuit. Quandoquidem expectatio Messiæ, morum rituumque singularitas, persuasio veræ Religionis, & demum mala, quæ sustinent, in caussa fuisse dicuntur, cur Judæi esse non desierint; atqui hæc omnia talia sunt, ut nonnisi prophetice prævideri potuerint: ergo propter ea nihil supra humanam conjecturam in illa prædictione esse, quæ de duratione Judæorum usque ad consummationem sæculi facta fuit, inferri non potest. Minorem propositionem quoad singulas partes demonstro.

Ut integra natio semper expectare perseveret, quod a multis sæculis nunquam sibi adesse videt, quodque jam advenisse, non solum maxima multitudine hominum contra sentientium certissime constitutum est, sed etiam variis multiplicibusque miraculis confirmatum, quorum veritatem ipsa quoque, vel invita fateri debuit, supra omnem humanam conjecturam esse, negari non potest. Hoc autem adhuc evidentius constabit, si nullo unquam tempore defuerint, qui errorem, quo involuta est, ei detexerint, atque manifestaverint; sed Judæi suum Messiam jam a multis sæculis frustra expectant, eumque advenisse tum auctoritate, tum rationibus contra sentientium, atque etiam testimonio miraculorum, eventuque rerum convicti esse deberent, si ad hanc rem judicandam sanam rationem afferrent: ergo in expectatione Messiæ semper eosdem esse perstituros, nonnisi prophetice prævideri potuit.

Supra expectationem omnium erat quoque illud, gentem aliquam undequaque diffusam, ubique autem sine templo, atque sacrificiis, multisque in locis sine magistris, & doctoribus, eamdemque aliorum dominio subjectam, eosdem semper ritus servaturam, atque sequuturam pristina instituta, & præcepta. Quandoquidem homines moribus eorum, quibuscum vivunt, saltem aliqua ex parte parumper assuescere, experientia compertum habemus. At vero populus Judæorum quamvis in regionibus diversis, atque inter se longe dissitis dispersus sit, nullam unquam quoad ritus, & observantias cum ceteris nationibus communionem inivit, sed sua semper instituta servavit: ergo id in eo contigit, quod præter expectationem omnium erat: ergo ut hoc de eo prævideretur, prophetiæ lumen necessarium fuit.

Et re quidem vera undenam futurum fuisse, certo cognosci poterat, ut Judæi ab observatione suorum rituum nunquam recederent? Profecto si judicium hujus nationis ex iis ferri debet, quæ antea gesserat, eam a suo instituto aliquando defecturam existimandum fuit. Quandoquidem quam sæpe ad idololatriam Judæi defecerunt, moresque gentium imitati sunt? In Babylonica vero captivitate nonne cum iisdem etiam matrimonia contraxerunt (a)? Quapropter ea, quam plerumque homines sequi consueverunt, & Judæis familiaris sæpe fuit, ratio suadebat fore, ut inter alias nationes dispersi suos ritus diutius non retinerent. Postremo quæ sunt in hominum arbitrio posita, potissimum vero si a multorum judicio pendeant, qui sequentibus ætatibus successuri sint, sine dono prophetiæ certo nosci non possunt; sed tale est id, de quo agimus: ergo ut certo nosceretur, prophetiæ donum necessarium fuit.

Suam autem Religionem veram esse, Judæi persuasum quidem habent; tamen quis in hac persuasione semper eos esse permansuros multo ante tempore videre poterat? immo quisnam æqua ratione futurum esse non existimasset, ut

(a) I. *Esdræ cap. 9.*

ut pristinam Religionem relinquerent? Nam si aliquis quamdam nationem ubique dispersam, ac inter eos commixtam, immo illorum quoque dominio subjectam videat, qui alias, ac ipsa, leges sequatur, a pristina sua Religione successu temporis defecturam esse, haud inepte conjecerit. Semel etiam ac alicujus conditio nationis talis esse ponatur, naturaliter cognosci non potest, futurum esse, ut in sua Religione retinenda constans perseveret. Judæos ergo semper in eadem opinione perstituros, per prophetiam tantum prævideri poterat.

In sua autem Religione tuenda firmiores eos esse futuros, qui propter illam jam a pluribus seculis multa, atque gravia mala sine ullo fructu, & utilitate patiuntur, nemini unquam verisimile esse poterit. Quamvis enim unus, aut alter fortasse adinveniatur, qui in confirmationem suæ Religionis plura patiatur, etiamsi inde nullam utilitatem consequuturam esse videat; tamen ut ceteri quoque omnes exemplum ejus imitentur, est supra fidem hominum. Quid vero dicendum erit, si illud quoque accedat, ut qui pro sua Religione tanta mala sustinent, neque præcipua munera suæ Religionis obire possint, & eorum maxima pars non sit imbuta litteris, nullosque doctores preceptoresve habeat, quibus imbuatur; contra autem de falsitate erroris non solum ab extraneis sæpius convicta fuerit, sed etiam a suis, atque ex iisdem primo Christiana Religio evidentissimis confirmata miraculis coaluerit? Tandem quamvis ingenium Judæorum tale fuerit, quale Spinosa supponit, anne inde sequitur, ut idem perseverare semper debuerit, & revera esse perseveraturum affirmari ab aliquo sine prophetica cognitione potuerit? Quæ ergo Spinosa opponit, quum talia sint, ut sine prophetica cognitione prævideri nullo modo potuerint, non est, cur propter ea Judæos perpetuo esse duraturatos naturaliter cognosci potuisse effutiat.

At vero cum Spinosa liberalius agamus, & nihil horum esse demus, quod naturaliter cognosci non potuerit. Quid? Ex iis ne futurum esse, ut natio Judæorum semper duraret, conjici fortasse certo poterat? Profecto eos, qui maxima miseria oppressi conspiciuntur, paulatim esse defecturos ratio valde probabilis tunc potissimum suadet, quando nullum auxilium longa experientia temporum inde sibi præsto esse vident, unde adfuturum sperabant. Similiter illos citius extinguendos esse præ aliis, qui solum cum sua gente, quæ eosdem, ac ipsi, ritus sequatur, connubia ineunt, nemo non cernit, quum difficilius inde fiat, ut propagentur. Quis vero nationem illam omnino delendam esse non autumaverit, quæ licet aliis servire cogatur, tamen semper obstinata in suo errore perseveret? Postremo quum nemo non sit, quem continuata mala non frangant, si sine ullo fructu ea a se tolerari videat, quisque merito auspicari potest futurum, ut tandem esse desinant, qui ita patiuntur. Tantum ergo abest, ut propter Spinosæ conjecturas Judæos semper esse duraturos quispiam æqua ratione divinare potuerit, quin potius ob eadem contra sentire oportebat.

Anani autem exemplo, quod afferunt, nihil Deistæ proficere possunt. Quandoquidem undenam iisdem constat, Ananum, quæ de destructione Jerusalem prævidit, naturaliter, & non revelante Deo, prævidisse? Profecto ratio, quam in promulgatione hujusmodi prævisionis eum sequutum fuisse apud Josephum legimus, neque vulgaris, neque usitata fuit: nam neque verberibus deterreri, neque promissis, neque donis induci unquam potuit, quin contra Jerusalem spatio quatuor annorum sine intermissione clamaret. Non solum autem

nunquam voce defecit, sed etiam sub finem hujus infaustæ prædictionis majori distinctiorique clamavit voce. Quapropter dicendum est, sicuti variis in cœlo apparentibus signis, ita etiam comminationibus hujusce hominis excidium Jerusalem Deum prædictum voluisse. Res enim hæc est, quæ ab hominum libero arbitrio pendebat: nam necessario contingere debuisse, nunquam Deistæ demonstrare poterunt; sed quæ ab hominum libero arbitrio pendent, naturaliter cognosci non possunt, uti jam demonstravimus [a]: ergo.

Dices contra tertiam partem. Licet Gentes, quando Christus in terris vixit, Idololatriæ quam maxime addictæ essent, quum tamen tam Judæi ubique dispersi, quam Philosophi celebriores contra multiplicitatem Deorum acriter pugnarent, intelligi facile poterat, aliquando futurum esse, ut Ethnici idololatriam desererent, si nonnulli, ita ab eis fieri debere, persuadendum aggrederentur: ergo quæ de eorum conversione Christus prædixit, non divinitus prædixit.

R., tanta, tamque multa fuisse, quæ in conversione Gentium ad veri Dei cultum concurrere debebant, ut solum qui omnia regit, atque gubernat, eam præcognoscere, & prænunciare potuerit. Primo enim Gentes omni generi voluptatum, quibus præter omnem rationem antea indulgebant, necesse erat, ut simpliciter renunciarent, laboriosumque vitæ genus amplecterentur. Commoda deinde vitæ præsentis vel omnino negligere, vel parum curare oportebat, ut futura consequi possent. Tandem non solum futurum erat, ut patria instituta relinquere deberent, sed etiam, si necesse fuisset, jacturam vitæ subire, potiusquam eam fidem relinquerent, quam semel amplexi fuerant. Hisce vero omnibus si illud quoque superaddas, propter unius Crucifixi amorem, quem fere omnes ludibrio habuerant, tanta, tamque gravia, atque difficilia ab eis facienda fuisse, & quorumdam suasione virorum, qui tum litterarum expertes erant, tum potentia, atque opibus nihil poterant, ejusdem Crucifixi institutis adhærendum, tam aperte constabit, ut nihil certius, atque evidentius constare possit, nihil magis contra omnem humanam conjecturam esse posse, quam quod de Gentium conversione Christus prædixit. Deinde quisnam tandem affirmare tanta confidentia poterat, quanta Christus affirmavit, Ecclesiam nunquam defecturam esse, quamvis pauci, qui dignitate, potentia, opibus, atque humana sapientia destituti erant, illius prima fundamenta jacere, atque eos propter suam prædicationem odia omnium in se suscipere deberent? Superaddi ad ista alia quoque multa possent; verum hæc sufficere putamus, ut quam futilia, & inepta sint, quæ a Deistis contra Christi prophetias objiciuntur, unusquisque cognoscere possit.

Cont. Si quæ Christus prædixit, prophetico lumine prævidisset, oporteret, ut omnia implerentur; sed non omnia impleta sunt: ergo. Prob. mi. Multi vocem Apostolorum non audierunt, non omnes eam fidem, quam prædicabant, receperunt, puresque sunt, quibus Christi fides adhuc incognita est, atque nonnullis, quibus cognita semel evasit, modo incognita est: hæc vero omnia Christi prædictionibus contraria sunt: (b) ergo.

R., nihil illorum hujusmodi esse, ut non impletum demonstrent, quod Christus de gentium conversione prædixit. Ut omnibus indiscriminatim Legem Evangelicam promulgarent, Christus quidem Apostolis præcipit; verum inde con-

(a) Lib. 1. qu. 2. art. 3. *Theol. Revel.* (b) *Matt.* 29. v. 19.

consequens esse, nemo dixerit, ut nullus adinveniri debuerit, qui vocem Apostolorum non audierit. Sufficit ergo tantum, ut infinitis prope in locis nomen Dei, atque Filii ejus Apostoli manifestaverint, in Asia, Affrica, atque Europa erexerint Ecclesias, in quibus eadem fidei dogmata crederentur, idemque Deo cultus adhiberetur. His autem contraria non sunt, quæ Apostolus [a] ex *Psalmo* 18. refert; hoc est: *& quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Quandoquidem hæc verba ita accipi debent, ut licet eo tempore, quo Paulus loquebatur, vox Apostolorum aut per ipsos Apostolos, aut per successores eorum omnes regiones non pervasisset, quia tamen Paulus fuisse pervasuram, prophetico spiritu certissime prævidebat, ideo propter infallibilitatem Divinæ præordinationis ad significandum quod futurum erat, tempore præterito usus fuit. Hanc autem dicendi rationem etiam David, ad cujus verba Apostolus spectavit, antea adhibuerat. Vel etiam dici potest, hoc, quod Paulus de Apostolis affirmat, ita intelligendum esse, ut de prædicatione Apostolorum per eorumdem discipulos ad omnes Gentes, vel saltem ad præcipuam maximamque partem omnium gentium fama aliqua pervaserit, quamvis non apud omnes Ecclesia ædificata fuerit; quod tamen ante sæculi consummationem implendum erit (b).

Deinde id quoque observetur oportet, Christum, dum Apostolis præcepit, ut docerent omnes Gentes, easque, si sibi assentirentur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizarent, se cum iis usque ad consummationem seculi futurum esse simul confirmasse. Quum ergo Apostoli usque ad consummationem seculi perduraturi non essent, consequens inde fit, ut præceptum prædicationis non ad solos Apostolos, sed etiam ad eos omnes pertinuerit, qui in locum Apostolorum successuri erant.

Gentes autem aut omnes continuo eam fidem suscepturas, quam Apostoli, eorumque successores promulgaturi essent, aut in ea semel suscepta semper permansuros, non solum Christus non prædixit, sed contra eventurum esse non obscure significavit. Nam quia futurum esse prævidit, ut prædicationi Apostolorum multi resisterent, ideo gravia mala ab iisdem sustinenda esse præmonuit. Simili ratione quia plures a vera fide defecturos perspexerat, ideo Ecclesiæ persequutiones prænunciavit, quas tamen nunquam contra eam prævalituras, eodem tempore significavit.

„ In quibus ergo gentibus (inquit S. Augustinus Epist. 199. num. 48., „ alias ep. 80.) nondum est Ecclesia, oportet, ut sit, non ut omnes, qui ibi „ fuerint, credant: omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines „ omnium gentium. *Num.* 49. Quo pacto igitur ab Apostolis est prædicatio „ ista completa, quando adhuc usque sunt gentes (quod certissimum est nobis) in quibus modo cœpit, & in quibus nondum cœpit impleri? Non itaque sic dictum est Apostolis: (c) *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in tota Judæa, & Samaria, & usque ad extremum terræ*, tamquam ipsi soli, quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint impleturi: sed sicut eis „ solis videtur dixisse, quod dixit: (d) *Ecce vobiscum sum usque in consummationem seculi*: quod tamen eum universæ Ecclesiæ promisisse, quæ, aliis „ morientibus, aliis nascentibus, hic usque in seculi consummationem futura „ est,

(a) *Roman.* 10. v. 18.

(b) Vide S. Thomam lect. 3. in cap. 10. Epistolæ ad *Romanos*.

(c) *Actorum* 1. v. 8.

(d) *Matt.* 28. v. 20.

„ est, quis non intelligat? Sicut eis & illud ait; quod ad eos omnino non „ pertinet, & tamen sic dictum est, tamquam ad solos etiam pertineret: (a) „ *Quum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est in januis*. Ad quos enim „ hoc pertinet, nisi ad eos, qui in carne tunc erunt, quum omnia complebuntur? Quanto magis illud, quod ex magna parte per eos agendum fuit, „ quamvis & posteris eorum eadem actio servaretur? *Num.* 50. Quod autem „ dixit Apostolus: (b) *Nunquid non audierunt? in omnem terram exiit sonus* „ *eorum*: quamvis loquutus sit præteriti temporis verbis, tamen, quod futurum fuerat, dixit, non quod jam factum, atque completum. Sicut ipse „ Propheta, quo usus est teste, non ait: *in omnem terram* exiturus, *sed* „ *exiit*, inquit, *sonus eorum*, quod utique nondum factum erat „.

Neque est, cur Deistæ reponant, quæ de suæ Ecclesiæ firmitate, deque prædicatione doctrinæ in universo orbe Christus prædixit, adhuc suspensa remanere: quandoquidem quum Ecclesia firmiter usque modo consisterit, & fides Evangelica ubique indesinenter prædicetur, consequens inde est, ut quæ Christus prædixit, multorum spatio annorum non sine Divino prodigio impleta sint. De eo autem, quod hac de re in posterum futurum est, ex iis, quæ jam fuerunt, conjicere recte possumus, quia quod huc usque contigit, non sine peculiari Dei consilio, atque dispositione contigit.

„ Quoniam igitur quæ evenerunt (inquit S. Justinus *Apologia* 1. nu. 52.) „ jam omnia ostendimus prædicta, antequam evenirent, per prophetas fuisse, necesse est, & ea, quæ similiter prædicta sunt, ac aliquando evenient, „ omnino eventura credere. Quemadmodum enim ea, quæ jam evenerunt, „ prædicta, & ignorata evenerunt, ita & quæ supersunt, quamvis ignorentur, ac non credantur, evenient „.

SCHOLION.

Deistæ, quando Christi miracula eis opponimus, Evangelistas suam historiam replesse miraculis, quibus tunc nulli essent qui contradicere possent, reponere solent. Desperatæ caussa ultimum hoc eorum effugium est, quemadmodum jam demonstravimus, & sequenti quæstione, data opera, demonstraturi sumus, sed tale tamen, quo in hoc argumento, de quo agimus, uti non possunt.

Quovis enim tempore prophetias tum de dispersione Judæorum, tum de conversione Gentium scriptas fuisse præsupponant, semper oportet, ut fateantur, nonnisi ab eo inspirari potuisse, qui futura novit, cordaque hominum in sua manu habet. Quandoquidem per eas non solum quid prioribus Ecclesiæ seculis, sed etiam subsequentibus futurisque omnibus usque ad mundi consummationem tum Judæis, tum Gentibus eventurum esset, prædictum fuit. Hoc autem a solo Deo nosci potuisse, tam effrontes non erunt, ut in dubium revocare audeant.

Rursus ea etiam de caussa Deistæ miracula rejiciunt, sicuti jam observavimus, quia temporibus a nobis longe remotis contigerunt; sed prophetiæ nostra quoque ætate implentur, atque hujus rei etiam ipsi testes esse possunt, im-

(a) *Matt.* 24. v. 33. (b) *Roman.* 10. v. 18.

immo vel inviti debent: ergo hoc etiam effugio, licet illud ineptum per se sit, uti jam demonstravimus, contra prophetias uti non possunt.

COROLLARIUM.

Deistarum ergo nostri temporis incredulitatem nullo modo excusari posse, magis magisque semper constat.

Quandoquidem non solum evidentissima argumenta, quæ pro Divinitate Revelationis tum ex doctrinæ sanctitate, tum ex evidentia miraculorum desumuntur, despiciunt, atque contemnunt; sed etiam nihili faciunt, vel saltem se facere demonstrant, quæ a prophetiis accipiuntur, quamvis eorumdem etiam ipsi testes oculati esse possint, immo vel repugnantes debeant.

QUÆSTIO II.

DE AUCTORIBUS LIBRORUM NOVI TESTAMENTI, EORUMDEMQUE DIVINA AUCTORITATE.

Libros Novi Testamenti omnino Divinos esse, licet ex iis abunde constet, quæ in præcedenti quæstione disseruimus (nam ea doctrina Divina non esse non potest, quæ & præcepta sanctissima continet, & miraculis, atque prophetiis confirmata est, cujusque de Divinitate ex ipso rerum eventu dubitari non potest): tamen nonnulla alia de eorumdem Divinitate, & auctoritate librorum a nobis differenda esse putamus, ut omnes cavillationes Deistarum, quamvis prorsus futiles eæ sint, atque tales, quæ in hominem sanæ mentis nullo modo cadere possunt, singillatim confutatæ remaneant. Quia ergo tanta hujusmodi hominum audacia est, ut quæ in Sacris litteris continentur, humana ratione expendi velint; idque solummodo uti divinitus inspiratum admittendum esse dicant, quod secundum nostram existimationem ad Dei honorem, & utilitatem hominum conferre potest, quod autem per ipsam rationem non manifestatur, recipi non debere, uti divinitus revelatum, licet in Sacris litteris sæpe repetitum inveniamus (a): ideo hunc eorum errorem articulo primo hujus quæstionis refutabimus. Facile deinde esse effutiunt, ut homines decipiantur in iis, quæ a Deo revelata esse dicuntur (b), eaque uti divinitus inspirata ipsi habeant, quæ talia fortasse non sunt, atque iis Auctoribus tribuantur, quibus tribui non debent. Postremo fidem Auctorum Novi Testamenti suspectam reddere conantur, ut eorum, quæ illi scripsere, auctoritatem facilius elevare, & veritatem obscurare possint (c); atque etiam ex ipsa scribendi ratione, qua Sacri Auctores usi sunt, eos non fuisse divinitus inspiratos calumniandi occasionem accipiunt [d]. Quapropter postquam, Divi-

(a) Inter ceteros ita deliravit Auctor Operis inscripti: *Le Christianisme aussi ancienne que le monde*, uti constat ex hujus operis pag. 192. 201. 328. 371.

(b) Huc quoque confugit Auctor indicati Operis pag. 185.

(c) Hoc profecto est, quod Spinosa, Blountius, Hobbesius, Tolandus, Collinsius, atque VVoolstonus sunt ausi. Consulatur Stachkousei Opus inscriptum: *Le Sens Literal de L' Ecriture Sainte* ch. 1.

(d) Id Spinosa tentavit *Tract: Theol. Polit.* cap. 11., & cum eo alii Deistæ.

Divinæ auctoritati rationem subjectam esse debere art. 1. demonstraverimus, in 2. iis Auctoribus libros Novi Testamenti tribui debere evincemus, quibus tribuuntur, deque Divina auctoritate eorum constare evidentissimis testimoniis; in 3. nullum suspicioni locum esse posse, quasi nos deceperint; in 4. non potuisse decipere alios, etiamsi voluissent; in 5. in libris eorum nihil occurrere, propter quod de Divina inspiratione dubitari possit; in 6. demum multa eorum, quæ in historia Evangelica continentur, etiam testimoniis inimicorum Christianæ Religionis confirmari posse.

ARTICULUS I.

NUM SIT CONTRA RECTAM RATIONEM, UT RATIO IPSA SUBJICIATUR AUCTORITATI DIVINARUM SCRIPTURARUM.

NOn solum rectæ rationi non opponi contendimus, ut ipsa ratio Divinarum Scripturarum auctoritati subjiciatur, sed nihil magis esse posse secundum rectam rationem. Quædam autem in Sacris litteris divinitus revelata continentur, quæ etiam humana ratione investigari possunt, sicuti Deum existere, Deum esse unum, aliaque sane multa, de quibus in *Naturali Theologia* jam disputavimus: contra sunt alia quoque multa, quæ excedunt omnem facultatem humanæ rationis, neque per eam attingi possunt. Hisce itaque æquum esse dicimus, ut intellectus noster subjiciatur, quamvis ea per se attingere non possit. [a]

Hoc autem antequam demonstrare aggrediamur, illud observatum volumus, Deum sapientissime providentissimeque disposuisse, ut ea quoque fide credenda nobis proponerentur, quæ humana ratione investigari possunt. Quandoquidem, uti recte monet S. Thomas l. *con. Gent.* cap. 4. num. 3. „ Investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem „ intellectus nostri in judicando, & phantasmatum permixtionem. Et ideo „ apud multos in dubitatione remanerent ea, quæ sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, & præcipue quum videant „ a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quæ demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili, vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus Divinis hominibus exhiberi. Salubriter „ ergo Divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, „ fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili possent Divinæ cognitionis „ participes esse, & absque dubitatione, & errore „. Si autem sapientissime provisum fuit, ut ea quoque ad Deum pertinentia fide tenerentur, quæ humana ratione investigari possunt; longe potiori jure idem quoque de aliis sapientissime providentissimeque factum fuisse dici debet, quæ sunt supra rationem humanam. Verum hac de re nunc dedita opera agendum est.

Propositio. Ut intellectus etiam in iis per fidem subjiciatur auctoritati Divi-

(a) Hic supponimus, quæ sunt supra rationem, non esse contra rationem, quemadmodum lib. 3. q. 1. ar. 1. §. 2. pag. 42. & seq. in responsionibus ad objectiones contra Bælium, atque alios jam evicimus.

Divinarum Scripturarum, quæ sunt supra facultatem ejus, rectæ rationi est omnino conforme.

Prob. prop. *Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus* [a]; sed nihil magis rationi consonum est, quam ut homo per fidem assentiatur iis, quæ licet sibi non sint apparentia, tamen ea divinitus revelata accepit: ergo ut intellectus etiam in iis subjiciatur auctoritati Divinarum Scripturarum, quæ sunt supra facultatem ejus, rectæ rationi est omnino conforme. Prob. mi. Divina providentia, atque bonitate factum est, ut homo sit ordinatus ad consequendum in altera vita tale bonum, quale in præsenti experiri non potest [b]: ergo ut homo disceret, quid expetere, atque etiam consequi omni studio contendere deberet, mentem illius elevari oportuit in aliquid altius, atque sublimius, quam per humanam rationem excogitari possit: ergo nihil magis rationi consonum est, quam ut homo per fidem assentiatur iis, quæ licet sibi apparentia non sint, tamen ea divinitus revelata accepit. „ Quia ergo ad altius bonum, (in„ quit S. Thomas I. *cont. Gent.* cap. 5. num. 2.) quam experiri in præsenti „ vita possit humana fragilitas, homines per Divinam providentiam ordinan„ tur (ut in sequentibus investigabitur) (c) oportuit mentem evocari in ali„ quid altius, quam ratio nostra in præsenti possit pertingere, ut sic disce„ ret aliquid desiderare, & studio tendere in aliquid, quod totum statum præ„ sentis vitæ excedit. Et hoc præcipue Christianæ religioni competit, quæ „ singulariter bona spiritualia, & æterna promittit: unde & in ea plurima „ humanum sensum excedentia proponuntur „.

Deinde quum Deus quoad omnia sit infinite perfectus (d), omnem capacitatem cognitionemque hominum necessario longe transcendet: ergo tunc tantum Deum cognoscimus, quando eum supra id omne esse credimus, quod in men-

(a) Notionem fidei, quam tradit Apostolus *Hebræor.* 11. v. 1. dicens: *est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, ita ad formam definitionis redigi posse, sicut a nobis proposita est, tradit S. Thomas 2. 2. qu. 4. ar. 1., in quo illud quoque præclare observat, per ea, quæ ab Apostolo fidei tribuuntur, ipsam fidem distingui ab opinione, suspicione, dubitatione, scientia, & intellectu, easque, quæ a Sanctis Doctoribus de fide definitiones datæ sunt, esse quamdam explicationem illius, quæ ab Apostolo tradita fuit.

(b) Id constat ex iis, quæ de altero futuræ vitæ statu duabus ultimis quæstionibus *Theologiæ Naturalis* disseruimus. Sed ne cui forte contraria videantur hæc duo, quæ ibi naturali ratione de futuræ vitæ beatitudine egimus, hic autem futuræ vitæ felicitatem aliquid altius, & sublimius esse affirmamus, quam per humanam rationem excogitari possit: ne hæc, inquam, alicui videantur inter se pugnare, operæ pretium est animadvertere, illic a nobis de ordine naturali actum fuisse, hic autem agi de ordine supernaturali; cujus duplicis ordinis discrimen subtiliter explicat Melchior Canus *de Locis Theologicis* lib. 12. cap. 4. Deinde multa sunt, quæ naturali ratione demonstrantur, quia intellectus jam aliunde per fidem assequutus est rerum certitudinem, sine qua mens hominum ipsa rerum obscuritate hæreret, partim illationum serie implicaretur, neque ad demonstrationem concludendam pervenire posset. Adeatur Valsecchius. *Dei Fondamenti della Religione* lib. 2. cap. 1. §. 5., ubi etiam Lokii testimonium affert hanc ipsam veritatem confitentis. Denique nulla comparatio est inter cognitionem illam qualemcumque, angustam, & sterilem, quæ de futura vita etiam illo modo naturali explicari potest, & eam cognitionem, quæ de ipsa Divinitatis natura, deque mediis assequendæ felicitatis æternæ habetur per fidem, per quam fidem inchoatur in viatoribus vita æterna.

(c) Lib 3. cap. 43.

(d) De infinita perfectione Dei *Theologiæ Naturalis* lib. 2. qu. 3. ar. 1. & 2. jam disputavimus.

mentem nostram cadere potest: ergo ut intellectum nostrum iis subjiciamus, quæ divinitus revelata accepimus, licet ea assequi nostra cognitione non possimus, ab ipso amore veritatis inducimur ,, . Est etiam necessarium (inquit ,, S. Thomas laud. cap. nu. 1.) hujus veritatem ad credendum hominibus pro- ,, poni ad Dei cognitionem veriorem habendam. Tunc enim solum vere ,, Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de ,, Deo cogitari ab homine possibile est, eo quod naturalem hominis cogni- ,, tionem Divina substantia excedit ,,. Quapropter ,, Qui sanæ mentis sunt ,, (ut inquit S. Cyrillus Alexand. *Aduersus Antropomorphitas* li. unico ca. 1.) ,, & subtili intellectus acie ineffabilis Divinitatis rationes contemplantur, vi- ,, dent ipsam omni quidem creatura eminentiorem, omnemque etiam acutis- ,, simum intellectum exsuperantem, & corporea imaginatione superiorem, & ,, quemadmodum sapientissimus Paulus inquit, (a) lumen inaccessibile inhabi- ,, tantem. Porro si lumen, quod ipsam circumfulget, inaccessum est, quo pa- ,, cto eam intueri quispiam possit ,, ?

Demum per hoc quod noster intellectus auctoritati Divinarum Scripturarum quoad omnia subjiciatur, nobis cavemus a periculo præsumptionis, in quod facile prolabimur, dum plus, quam par est, de viribus nostri ingenii præsumentes, cognitionem Divinæ naturæ, quæ comprehendi non potest, nos assequutos fuisse falso putamus, atque id falsum esse ducimus, quod de ea a nobis non perspicitur, verum autem, quod conspicere ipsi nobis videmur. ,, Sunt enim quidam (uti recte observat S. Thomas laud c. n. 2.) tantum de suo inge- ,, nio præsumentes, ut totam naturam Divinam se reputent suo intellectu posse me- ,, tiri, æstimantes scilicet totum esse verum, quod eis videtur, & falsum, quod ,, eis non videtur. Ut ergo ab hac præsumptione humanus animus liberatus ad mo- ,, destam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quæ- ,, dam divinitus, quæ omnino intellectum ejus excederent ,,. Hinc S. Augustinus lib. *De Quantit. animæ* nu. 12. ,, Auctoritati, *inquit*, credere magnum ,, compendium est, & nullus labor: quod si te delectat, poteris multa lege- ,, re, quæ magni & divini viri de his rebus necessaria quæ videbantur, sa- ,, lubriter imperitioribus quasi nutu quodam loquuti sunt, credique sibi volue- ,, runt ab iis, quorum animis vel tardioribus, vel implicatioribus alia sa- ,, lus esse non posset. Tales enim homines, quorum profecto maxima multitu- ,, do est, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum fa- ,, cillime decipiuntur, & in varias noxiasque opiniones ita labuntur, ut emer- ,, gere inde, ac liberari aut nunquam, aut ægerrime queant ,,. Hoc autem si contingere facile potest quoad multos, immo quoad maximam multitudinem hominum, etiamsi de iis agatur, quæ non superant vires ingenii nostri; nonne sine ulla dubitatione continget si quispiam, Divina auctoritate contempta, ad ea quoque per se pertingere se posse præsumat, quæ sunt posita supra cognitionem illius? Quapropter *si quandiu intelligere sincere non possumus*, uti habet idem S. Doctor *De Utilitate credendi* nu. 34., *auctoritate quidem decipi miserum est, sed certe miserius non moveri*; omnium profecto miserrimum infelicissimumque erit, tunc quoque auctoritati nolle subjicere intellectum, quando est certa, atque infallibilis, deque iis agitur, quæ per nos nullo modo assequi possumus.

Et

(a) I. ad Timot. 6. v. 16.

Et re quidem vera licet testes eorum esse possimus, quæ non sunt remota a sensibus nostris vel exterioribus, vel interioribus; eorum tamen, quæ non subsunt, nec subesse potuerunt nostris sensibus exterioribus, vel interioribus, fieri non potest, ut simus testes. Hinc vero est, ut de his testimonium aliorum requiramus, eisque credamus, quos ea sensu perspexisse dubitare non possumus. Quo ergo potiori jure quoad invisibilia, quæ omnino sunt supra nostram cognitionem posita, iis nos credere, firmissimamque fidem præstare oportet, qui hæc omnia collustrati Divino lumine certissime didicere, atque sibi divinitus revelata nobis fideliter tradiderunt? „ Hic prius per Prophetas (inquit S. Augustinus *De Civitate Dei* lib. 11. cap. 3.) deinde per se ipsum, postea per Apostolos, quantum satis esse judicavit, loquutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis, fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nosse idonei sumus. Nam si ea sciri possunt, testibus nobis, quæ remota non sunt a sensibus nostris, sive interioribus, sive etiam exterioribus; unde & præsentia nuncupantur, quod ita ea dicimus esse præ sensibus, sicut præ oculis, quæ præsto sunt oculis: profecto ea, quæ remota sunt a sensibus nostris, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus, eisque credimus, e quorum sensibus remota esse, vel fuisse non credimus. Sicut ergo de visibilibus, quæ non vidimus, eis credimus, qui viderunt, atque ita de ceteris, quæ ad suum quemque sensum corporis pertinent; ita de his, quæ animo, ac mente sentiuntur (quia & ipse rectissime dicitur sensus, unde & sententia vocabulum accepit) hoc est de invisibilibus, quæ a nostro sensu interiore remota sunt, iis nos oportet credere, qui hæc in illo incorporeo lumine disposita didicerunt, vel manentia contuentur „. Unde ex uno homine, sicuti prosequitur idem S. Doctor li. 12. *De Civitate Dei* cap. 9. nu. 2. „ Quem primum Deus condidit, genus humanum sumpsit exordium secundum Sanctæ Scripturæ fidem, quæ mirabilem auctoritatem non immerito habet in orbe terrarum, atque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras inter cetera vera, quæ dixit, vera Divinitate prædixit „.

Ex eo autem, quod multa eorum, quæ nobis divinitus revelata sunt, supra nostram cognitionem posita sint, Divinitati Scripturarum aliquid detrahi nemo putaverit „. Quemadmodum enim providentia (sicuti habet Origenes *De Principiis* lib. 4. nu. 7.), apud eos qui eam probe perceperunt, nihil quidquam capit detrimenti ob ea, quæ non comprehenduntur; ita neque Scripturæ Divinitati per eam totam diffusæ quidquam detrahitur ex eo, quod ingenii nostri imbecillitas in unaquaque dictione minime possit pervenire ad arcanum sententiarum splendorem in humili, & abjecta loquutione delitescentem: (a) *Habemus* enim *thesaurum in vasis fictilibus*, *ut sublimitas virtutis Dei* fulgeat *& non* putetur esse *ex nobis* hominibus. Nam si tritæ inter homines demonstrationum viæ nostris libris insertæ convertissent humanum genus, merito quis suspicari potuisset fidem nostram in humana sapientia, & non in virtute Dei sitam esse. Nunc vero cuilibet oculos attollenti perspicuum est, non in persuasibilibus positam fuisse sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis „.

(a) II. *Corint.* 4. v. 7.

At vero Divinitati Sacrarum Scripturarum non solum nihil inde detrahi posse contendimus, quia in Sacris litteris multa continentur, quæ supra nostram conditionem posita sunt, sed etiam Divinæ legis proprium esse debere propugnamus, ut per eam homines ad fidem rectam obligentur, quemadmodum pluribus evincit S. Thomas III. *contra Gent.* cap. 118. „ Lex Divina (ita „ præter alia habet S. Doctor in laud.cap. nu.2.) ad hoc ordinat hominem, „ ut sit totaliter subditus Deo; sed sicut homo subditur Deo amando quan- „ tum ad voluntatem, ita subditur Deo credendo quantum ad intellectum; non „ autem credendo aliquid falsum, quia a Deo, qui est veritas, nullum fal- „ sum homini proponi potest: unde qui credit aliquod falsum, non credit Deo: „ ex lege igitur Divina ordinantur homines ad fidem rectam „.

Est tamen observandum quoad ea quoque, quæ fide tantum teneri possunt, quia omnino supra cognitionem nostram posita sunt, inutile non esse, similitudinibus, congruentibusque uti rationibus, per quas licet ea nobis omnino perspecta fieri non possint, tamen aliquo modo explicantur: quod sane perjucundum, & utile nobis accidit, quum per se delectabile sit, atque etiam utile, de rebus quoque altissimis nostra consideratione aliquid nos attingere posse. „ Humana igitur ratio ad cognoscendum fidei veritatem (inquit S. Tho- „ mas I. *cont. Gent.* ca. 8.) quæ solum videntibus Divinam substantiam po- „ test esse notissima, ita se habet, quod ad eam potest aliquis veras simili- „ tudines colligere: quæ tamen non sufficiunt ad hoc, quod prædicta veritas „ quasi demonstrative, vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est, „ ut in hujusmodi rationibus quantumcumque debilibus se mens humana exer- „ ceat, dummodo desit comprehendendi, vel demonstrandi præsumptio, quia „ de rebus altissimis etiam parva, & debili consideratione aliquid posse in- „ spicere jucundissimum est „.

Dum tamen similitudinibus, congruentibusve rationibus ea quispiam explicare aggreditur, quæ fide tantum, uti divinitus revelata, tenentur, illud diligentissime cavere debet, ne, quas adhibet similitudines, congruentesve rationes, Divinarum auctoritati Scripturarum aliquo modo opponantur: tunc enim nostrarum rationum apparenti verisimilitudine decipimur. Rursus si certe evidentissimæque rationi adversetur auctoritas Scripturarum, id ita accipi debet, ut non ipsum verum sensum Scripturarum, quem quispiam penetrare non potuit, sed falsum sensum, quo Divinæ Scripturæ accipiuntur ab hominibus, veritati adversari censeatur. „ Si enim ratio, (inquit S. Augustinus ep. 147.nu.7. „ alias ep. 7.) contra Divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quam- „ libet acuta sit, fallit verisimilitudine: nam vera esse non potest. Rursus „ si manifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur a- „ ctoritas; non intelligit, qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum „ ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati: nec quod „ in eis, sed quod in se ipso, velut pro eis, invenit, opponit „.

AR-

ARTICULUS II.

NUM LIBRI NOVI TESTAMENTI IIS AUCTORIBUS TRIBUI DEBEANT, QUIBUS VULGO TRIBUUNTUR, AC NUM DE DIVINA AUCTORITATE EORUM ETIAM EVIDENTISSIMIS TESTIMONIIS CONSTARE POSSIT.

USquemodo Divinitatem Sacrorum librorum Novi Testamenti ex evidentissimis argumentis demonstravimus, ex doctrinæ sanctitate, ex miraculis, atque prophetiis, impugnantes nimirum Deistas ex ea parte, qua se aperta fronte Naturalistas profitentur. At quia iidem eam etiam personam sibi assumunt, ut, quasi libros Sacros admissuri essent, si constaret, quinam sacri essent quinam non essent, ita contra nos agant, quomodo Christiani hæretici contra Catholicos solent agere; hac item ex parte confutandi sunt. Tolandus [a] imprimis, qui eorum præsertim Novi Testamenti librorum auctoritatem despicit, de quibus a nonnullis etiam Catholicis aliquando dubitatum fuit, Canonici ne essent, an non essent, & ab iis ne scripti fuerint, quorum nomina præseferunt, an ab aliis.

Hujus igitur totius disputationis duæ sunt veluti partes, quas tamen per singulos libros conjunctim transigemus, nempe, an Novi Testamenti libri ab iis ipsis scripti sint, quorum nominibus sunt inscripti; & num pro Divinis habiti sint jaminde ab Ecclesiæ initio, ac porro consequenti tempore, præsertim prioribus Ecclesiæ sæculis. Quarum pars prior ex ipsis potissimum singulorum librorum locis demonstranda est, tum etiam ex testimoniis veterum, iisdemque veterum testimoniis demonstranda est pars altera, nempe omni Ecclesiæ tempore libros eosdem ut Divinos fuisse habitos. Hæc enim propria sunt hujus tractandæ quæstionis argumenta, quorum ponderi Deistæ, quoniam eo se contulerunt, vel inviti succumbant necesse est.

Id autem observatum volumus, vel si non constaret, quinam librorum Novi Testamenti essent auctores; non tamen de Divinitate eorum iccirco ullo modo dubitari posse, quemadmodum etiam Grotius *de Veritate Religionis Christianæ* lib. 3. §. 4. recte observavit: „ Non est etiam, *inquit*, quod fidem quis detrahat epistolæ ad Hebræos eo solo nomine, quod nesciatur ejus „ scriptor; ac similiter duabus epistolis Joannis, & Apocalypsi, quod dubitent nonnulli, an earum scriptor Joannes sit Apostolus, an alius quis ejus „ nominis. (Revera tamen, uti infra demonstrabimus, Paulum epistolæ ad Hebræos, Joannem illarum duarum epistolarum, atque Apocalypsis auctorem esse manifestum est). „ In scriptoribus enim, *pergit Grotius*, qualitas magis, „ quam nomen attenditur. Itaque multos libros historicos recipimus, quorum „ scriptores nescimus, ut de bello Alexandrino Cæsaris; nempe quia videmus eum, quisquis fuit, & illis vixisse temporibus, & rebus interfuisse. „ Sic etiam quum, qui libros scripserunt, de quibus nunc agimus, & prima „ ætate se vixisse testentur, & donis Apostolicis fuisse præditos, sufficere id „ nobis debet. Nam si quis dicat potuisse fingi has qualitates, item in aliis „ scriptis etiam nomina; rem dicat minime credibilem; eos scilicet, qui ubique veritatis, ac pietatis studium inculcant, nulla de caussa voluisse se crimine falsi obstringere „. Il-

(a) Consulatur Stachkouseul. in li. inscripto: *Le Sens Litteral de L'Ecriture Sainte* tom. 1. ch. 3.

Illud quoque, antequam ad rem veniamus, monendum ducimus, nobis in animo non esse, singulas partes Sacrorum librorum, quamvis de iis aliqua inter Christianos controversia fuerit, & modo etiam sit, minutatim expendere. Quum enim agamus contra Deistas, qui omnem Revelationem e medio tollere conantur, satis esse ducimus, si de hac, vel illa alicujus Sacri libri peculiari parte nihil impræsentiarum solliciti, omnes universim Novi Testamenti libros ab Apostolis, atque Christi Discipulis fuisse conscriptos, esseque eos Divina præditos auctoritate, evicerimus.

Hunc vero articulum, ut omnis confusio tollatur, in plures paragraphos dividemus. In 1. de Evangeliis, & Actis Apostolicis disputabimus: in 2. de aliis libris Novi Testamenti, qui semper communi omnium consensione in Ecclesia uti Canonici habiti fuere: in 3. de epistola S. Pauli ad Hebræos: in 4. de epistola S. Jacobi, de secunda S. Petri, de secunda, & tertia S. Joannis, atque de epistola S. Judæ: in 5. de Apocalypsi.

§. I.

DE EVANGELIIS, ATQUE APOSTOLICIS ACTIS.

AB Evangeliis itaque, atque Actis Apostolicis merito auspicamur disputationem nostram, quia, ut ait S. Augustinus in lib. *De Consensu Evangelistarum* num. 1. *Inter omnes Divinas auctoritates, quæ sanctis litteris continentur, Evangelium merito excellit*: Apostolici vero Actus *Evangelium Spiritus Sancti* dici possunt, quemadmodum eos Œcumenius vocavit in Comment. cap. 1. hujus libri, quia in eo narrantur, quæ Apostoli afflati Spiritu Sancto omnium præclarissima gesserunt.

Propositio. Quatuor Evangelia, atque Apostolici Actus iis tribui debent, quorum nomine circumferuntur; estque eorumdem librorum Divina auctoritas.

Probatur simul propositio quoad utramque partem; hoc est, & iis tribui debere, quorum nomine circumferuntur, & esse Divinæ auctoritatis; ac primo quidem quoad Evangelia, deinde vero quoad Apostolicos Actus. Quemadmodum autem jam prædiximus, tum in ista, tum in aliis sequentibus propositionibus sola testium auctoritate pugnabimus. Quoniam vero infensissimorum inimicorum Christianæ Religionis hac de re quoad utramque partem manifesta confessione constat; ideo testimonio eorumdem, quod etiam Deistis nostri temporis suspectum esse non potest, ad suadendum, quod volumus, primo utimur. „ Jesum quippe illum (ita Julianus apud S. Cyrillum lib. 10. in „ principio) neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthæus, neque „ Lucas, neque Marcus, sed bonus ille Joannes quum sensisset magnam multitudinem in plerisque urbibus Græcis, & Italicis jam tum eo morbo captam esse, audiretque, opinor, monumenta quoque Petri, & Pauli, clam „ quidem, sed tamen audiret ea coli, primus id prodere ausus est „. Impiissimo itaque putidissimoque mendacio, veritatem, de qua nos modo pugnamus, manifeste confirmavit. Celsus quoque licet non minori, quam Julianus, in Religionem Christianam odio flagraret, nunquam in dubium revocare ausus est, num Matthæus, Marcus, Lucas, atque Joannes essent aucto-

res

res Evangeliorum, & apud Christianos sui temporis uti opera divinitus inspirata haberentur; quemadmodum libros Origenis contra eumdem, & præcipue secundum, legenti aperte constabit. Hinc vero est, quod Apologistæ Christianæ Religionis, dum contra Ethnicos disputarent, testimonia Evangeliorum & iis tribuerunt, quorum nomine circumferuntur, & uti Divina sæpe laudarunt, neque tamen Ethnicos iisdem aliquando exprobrasse legimus, ipsos in ea re decipi; hoc est, & Evangelia iis tribui non debere, quibus adscribebantur, & uti divinitus inspirata a Christianis vulgo non admitti. (a)

Apostolicorum quoque virorum auctoritate de utroque constat. Nam S. Clemens in sua 1. epist. *ad Corinthios* num. 13., 27., 46., 49., 56., & in fragmento 2. epist. num. 2., 3., 4., 5., 6., 8., & 9. testimonia Evangelistarum uti Dei verbum laudavit, idemque fecit etiam S. Polycarpus in sua epist. *ad Philippenses*, ac S. Ignatius in suis septem genuinis epistolis, & Papias apud Eusebium *Hist. Ecclesiast.* lib. 3. cap. 39. Nam testimonia Evangelistarum uti Divina sæpe laudant, iisque tribuunt, quorum nomine circumferuntur.

Quæ autem Apostolicorum, eadem & ceterorum Ecclesiæ Patrum sententia fuit: nonnullos tantum inter eos antiquiores commemorabimus. „ Ita „ Matthæus (inquit S. Irenæus lib. 3. *Adversus Hereses* cap. 1. num. 1.) in „ Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, quum Petrus, & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum Marcus discipulus, & interpres Petri, & ipse, quæ a Petro annunciata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem sectator Pauli, quod „ ab illo prædicabatur Evangelium, in libro condidit. Postea & Joannes discipulus Domini, qui & supra pectus ejus recumbebat, & ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiæ commorans „. Hæc autem scribit S. Irenæus postquam eos, qui effutiebant Sanctos Evangelistas litteris tradidisse, quæ non cognoverant, hisce verbis confutavit. „ Non enim per alios, *inquit*, dispositionem „ salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit „ ad nos: quod quidem tunc præconaverunt, post vero per Dei voluntatem „ in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum, & columnam fidei nostræ futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam ante prædicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere gloriantes se esse „ emendatores Apostolorum. Postea enim quam surrexit Dominus noster a „ mortuis, & induti sunt supervenientis Spiritus Sancti virtute ex alto, de „ omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam agnitionem: exierunt in „ fines terræ, ea, quæ a Deo nobis bona sunt, evangelizantes, & cœlestem „ pacem hominibus annunciantes, qui quidem & omnes pariter, & singuli eorum habentes Evangelium Dei „. Hinc S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 3. loquens de quodam Evangelio Ægyptiorum, ait: „ Primum quidem „ in nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus hoc dictum, sed in eo, „ quod est secundum Ægyptios „. Tertullianus vero in lib. 4. *Adversus Marcionem* cap. 5. Marcionem Evangelio Lucæ tantum adhærentem ita refellit: „ Eadem auctoritas Ecclesiarum Apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur Evan-

(a) Hac de re unusquisque omnino convictus remanebit, si eorum tantum Apologistarum opera consuluerit non multo ab hinc tempore edita a Patribus Maurinis, atque collecta in unum volumen.

„ Evangeliis, quæ proinde per illas, & secundum illas habemus, Joannis di-„ co, & Matthæi, licet & Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cujus in-„ terpres Marcus. Nam & Lucæ digestum Paulo adscribere solent: caput ma-„ gistrorum videri, quæ Discipuli promulgarunt „. Cap. autem 26. lib. *Præscriptionum* ipsa autographa Apostolorum suo tempore apud Ecclesias adhuc perstitisse affirmat: „ Age, *inquit*, jam si voles... percurre Ecclesias Apostoli-„ cas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud „ quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræ-„ sentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja? habes Philippos, „ habes Thessalonicenses: potes in Asiam tendere? habes Ephesum. Si au-„ tem Italiæ adjaces, habes Romam „. Unde Origenes apud Eusebium li. 6. *Ecclesiast. Hist.* cap. 25. quatuor Evangelia ad sua usque tempora ex Apostolica traditione pervenisse affirmat: „ Sicut ex traditione *inquit*, accepi de quatuor „ Evangeliis, quæ sola in universa Dei Ecclesia, quæ sub cœlo est, citra con-„ troversiam admittuntur: primum scilicet Evangelium scriptum esse a Mat-„ thæo, prius quidem Publicano, postea vero Apostolo Jesu Christi, qui illud „ hebraico sermone conscriptum Judæis ad fidem conversis publicavit. Secundum „ fuisse accepimus Evangelium Marci, qui, prout Petrus ipsi exposuerat, in „ litteras retulit. Atque idcirco Petrus in epistola Catholica eum filium suum „ suum agnoscit his verbis: (a) *Salutat vos electa Dei Ecclesia, quæ est Ba-„ bylone, & Marcus filius meus*. Tertium Evangelium Lucæ, quod a Paulo „ commendatur in gratiam Gentilium scriptum. Postremum vero Evangelium Joan-„ nis „. Homilia autem 1. *in Lucam* ita habet: „ Sicut olim in populo Judæorum „ multi prophetiam pollicebantur, & quidam erant pseudoprophetæ, e quibus unus „ fuit Ananias filius Agot: alii vero prophetæ, & erat gratia in populo discernen-„ dorum spirituum, per quem alii inter prophetas recipiebantur, nonnulli quasi ab „ exercitatissimis trapezitis reprobabantur: ita & nunc in Novo Testamento multi co-„ nati sunt scribere Evangelia, sed non omnes recepti. Et ut sciatis non solum qua-„ tuor Evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus hæc, quæ habemus, electa „ sunt, & tradita Ecclesiis, ex ipso proœmio Lucæ, quod ita contexitur, cognosca-„ mus (b). *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem*: hoc, quod ait: „ *conati sunt*, latentem habet accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus San-„ cti ad scribenda Evangelia prosilierunt. Matthæus quippe, & Marcus, & Joan-„ nes, & Lucas non sunt conati scribere, sed Spiritu Sancto pleni scripserunt „ Evangelia: Multi igitur *conati sunt ordinare narrationem de his rebus, quæ „ manifestissime cognitæ sunt in nobis*. Ecclesia quatuor habet Evangelia, hæ-„ reses plurimas, e quibus quoddam scribitur secundum Ægyptios, aliud jux-„ ta duodecim Apostolos. Ausus fuit & Basilides scribere Evangelium, & „ suo illud nomine titulare. Multi conati sunt scribere, sed & multi conati „ sunt ordinare: quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub per-„ sona Domini, & Salvatoris nostri proferenda sunt dogmata „.

Non solum autem Origenes ad traditionem appellavit, ut demonstraret quatuor tantum esse Divina Evangelia, & quidem scripta ab iis, quorum nominibus inscripta sunt, sed etiam ex eodem principii capite S. Augustinus lib. 18. *Contra Faustum* cap. 2. ita illum Matthæi Evangelium rejicientem urgebat. „ „ Quum cœpero Matthæi Evangelium recitare Apostoli ejus, ubi narratio Di-„ vini-

(a) I. *Petri* 5. v. 13.

(b) *Lucæ* 1. v. 1.

„ vinitatis ejus tota contexitur, continuo dices illam narrationem non esse Matthæi, quam Matthæi esse dicit universa Ecclesia ab Apostolicis sedibus usque ad præsentes Episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum esse Manichæi, ubi Jesus negatur esse natus ex Virgine. Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per discipulos ejus certa successione præpositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus, & perductus est; sic & istum librum credite esse Matthæi, quum ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit „. Quod autem S. Augustinus de Matthæi Evangelio affirmabat, idem quoque & de aliis tribus Evangeliis Marci, Lucæ, atque Joannis affirmari potest. „ Illi igitur quatuor Evangelistæ (ita prosequitur S. Doctor *De Consensu Evangelistarum* lib. 1. num. 3.) universo terrarum orbe notissimi, & ob hoc fortasse quatuor sunt partes orbis terrarum, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri Sacramento quodammodo declararunt, hoc ordine scripsisse perhibentur. Primus Matthæus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Joannes „. Hunc autem ordinem non sine peculiari ratione servatum fuisse hisce verbis tradit. „ Unde alius eis fuit ordo cognoscendi, & prædicandi, alius autem scribendi. Ad cognoscendum quippe, atque prædicandum primi utique fuerunt, qui sequuti Dominum in carne præsentem, dicentem audierunt, facientemque viderunt, atque ejus ore ad evangelizandum missi sunt. Sed in conscribendo Evangelium, quod divinitus ordinatum esse credendum est, ex numero eorum, quos ante passionem Dominus elegit, primum, atque ultimum locum duo tenuerunt, primum Matthæus, ultimum Joannes: & reliqui duo, qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem sequuti erant, tamquam filii amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti utroque ab iis latere munirentur „.

Tandem quid Eusebius de hisce quatuor Evangeliis *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. cap. 15. ex antiquitate remotiori proferat, modo videamus. „ Tantus autem, *inquit*, veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, [hoc est Romanorum] qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audivisse, nec contenti essent cœlestis verbi doctrinam viva voce, nullis traditam scriptis accepisse: sed Marcum Petri sectatorem, cujus hodieque extat Evangelium, enixe orarent, ut doctrinæ illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Neque prius destiterunt, quam hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, Evangelii extitissent. Quod quum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognovisset, ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur „. Lib. autem 3. cap. 24. Joannem postremum omnium conscripsisse Evangelium, & alia tria probasse tradit hisce verbis. „ Soli nihilominus ex cunctis Domini Discipulis Matthæus, & Joannes scriptos nobis Commentarios relinquerunt. Quos quidem necessitate quadam ad scribendum impulsos fuisse perhibent. Nam quum Matthæus Hebræis primum fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscribens, id, quod præ-

„ sentiæ suæ adhuc superesse videbatur, scripto illo, quod relinquebat, supplevit. Postea vero quum Marcus jam, & Lucas Evangelia sua seorsim singula edidissent, ajunt, Joannem, qui hactenus nuda voce verbum Domini prædicaverat, tandem ob hujusmodi caussam ad scribendum se contulisse. „ Perlatis jam in omnium, ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus Evangeliis, approbavisse ea Joannes, & veritatem Scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur „. Plura deinde superaddit, ad quæ si advertatur, nullam inter Evangelistas esse contradictionem semper magis magisque constabit.

Ex hisce vero omnibus, quæ usque modo disputavimus, ob evidentissima, atque certissima testimonia tam manifestum esse, quam quod maxime, quatuor Evangelia iis tribui debere, quorum nomine circumferuntur, habuisseque Divinam auctoritatem jaminde a primis Ecclesiæ temporibus, jure optimo contendimus. Age nunc ergo de Apostolicis Actis inquiramus.

Si Evangelii Lucæ initium una cum capite 1. *Actorum Apostolicorum* comparetur, tum illius, tum istorum Sanctum Lucam esse auctorem unicuique perspectum esse poterit. Suum enim Evangelium S. Lucas ita exorditur. „ [a] „ Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi assequuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Teophile, ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem „. Narrationem deinde suam usque ad ea prosequitur, quæ in Ascensione Domini contigerunt. Ita vero habet Auctor *Actorum Apostolicorum* initio primi capitis: „ Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Teophile, quæ cœpit Jesus facere, & docere „ usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est „. Auctor ergo *Actorum Apostolicorum* suo Teophilo a se narrata esse supponit, *Quæ cœpit Jesus facere, & docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est*; sed hoc præstitit S. Lucas, uti ex ejus Evangelii cap. 1. constat: ergo & Evangelii, & *Actorum Apostolicorum* eumdem S. Lucam Auctorem esse, dici debet: ergo si Evangelium ejus Divinam auctoritatem habet, ob eamdem rationem etiam *Apostolici Actus* habere debent.

Hinc vero est, ut Sancti Ecclesiæ Patres tum Evangeliorum, tum *Actorum Apostolicorum* testimonia uti divinitus inspirata semper æque laudaverint, atque eadem semper auctoritas *Actis Apostolicis*, quæ Sanctum Lucam Auctorem habuisse nunquam dubitatum fuit, ac aliis Sacræ Scripturæ libris in Ecclesia tributa fuerit. Ad *Actus* enim *Apostolicos* appellat S. Clemens, sicuti ad Divinam Scripturam, in sua 1. epist. *ad Corinth.* num. 8., & in fragmento 2. epist. num. 1.; & S. Polycarpus in ep. *ad Philip.* num. 1. uti Divinum laudat testimonium desumptum ex cap. 2. v. 24. *Actorum Apostolicorum*. Apologistæ quoque Christianæ Religionis ad Actus Apostolicos, uti ad Scripturam divinitus inspiratam recurrerunt, quod fecit etiam S. Irenæus lib. 3. *Con: Hæreses* cap. 12., atque alibi sæpe, sicuti omnes alii Patres ejusdem ætatis sequentiumque seculorum, quorum testimonia non est, cur referamus, quum ex uno tantum Augustino nosse possimus, quid de auctoritate hujus libri Ecclesia semper senserit. S. itaque Augustinus de Paulo loquens ita habet *De prædestin. Sanctorum*

(a) Cap. 1. v. 1. & seq.

ctorum lib. 1. num. 4. „ Nam scripta sunt etiam fidei ejus initia, suntque Ec„ clesiastica celebri lectione notissima „ *In Joan:* cap. 1. *Tractatu 6.* num. 18. „ Actus Apostolorum, *inquit*, testes sunt: ille liber Canonicus omni anno in „ Ecclesia recitandus. Anniversaria solemnitate post passionem Domini nostri „ illum librum recitari, ubi scriptum est, quomodo conversus sit Apostolus „. Sermone 315. num. 1., alias serm. 93. „ Actus Apostolorum, *ait*, liber est „ de Canone Scripturarum. Ipse liber incipit legi a Dominico Paschæ, sicut „ se consuetudo habet Ecclesiæ „.

Superest ergo tantum, ut videamus, quid de hisce item *Apostolicis Actis* Eusebius ex antiquitate protulerit: „ Porro Paulum (inquit idem Eusebius *Ec„ clesiast. Hist.* lib. 3. cap. 4.) gentibus prædicantem a Jerosolymis, & fini„ timis locis usque ad Illyricum, Ecclesiarum ubique fundamenta jecisse tum „ ex ipsius verbis constat, tum ex iis, quæ a Luca in Actibus referuntur... „ Lucas vero... duos nobis libros divinitus inspiratos reliquit. Alter eorum „ Evangelium est, quod quidem ita se prorsus exarasse testatur, prout ab ip„ sis verbi Divini ministris, & qui ab initio Christum viderant, acceperat: „ quos etiam omnes se jam dudum assectatum esse profitetur. Alter liber in„ scribitur *Actus Apostolorum*, quos ille non jam auditione acceptos, sed ocu„ lis suis spectatos scriptis tradidit „. Cap. autem 25. ejusdem libri, in quo agit de iis Sacris Scripturis, quæ communi consensione omnium receptæ sunt, ita habet „. Primo igitur collocanda est Sacra Evangeliorum quadriga, quam „ deinde consequuntur Actus Apostolorum „. Evidenti ergo auctoritate non minus compertum est, Actus Apostolicos habere Lucam Auctorem, quam usque a primis Ecclesiæ seculis fuisse librum Divinæ auctoritatis.

§. II.

DE ALIIS SACRIS LIBRIS, QUI SEMPER COMMUNI CONSENSIONE OMNIUM CANONICI HABITI FUERE.

TAles professo sunt Apostoli Pauli epistolæ omnes [ea dumtaxat excepta, quæ inscribitur ad Hebræos] epistola 1. Sancti Petri, atque etiam 1. S. Joannis. Has ergo & eorum revera esse, quorum nomine circumferuntur, & Divinæ auctoritatis esse, tum ipsorum Scriptorum Divinorum, tum etiam testimonio aliorum evidentissimo eo quidem, atque certissimo, quam paucioribus fieri poterit, in hoc §. demonstraturi sumus.

Propositio. Omnes laudatæ epistolæ, & eorum revera sunt, quorum nomine circumferuntur, & Divinam continent auctoritatem.

Epistolam ergo ad Romanos Pauli Apostoli esse, Divinæque esse auctoritatis, nimis multa argumenta ostendunt, quæ ab ipso Auctore ejusdem epistolæ peti possunt. „ Paulus (ita hujus epistolæ initio legitur) servus Jesu „ Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei .... Primum „ quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis: quia „ fides vestra annuntiatur in universo mundo. Testis enim mihi est Deus, cui „ servio in spiritu meo in Evangelio filii ejus, quod sine intermissione me„ moriam vestri facio „. Paulus ergo est, qui scripsit hanc epistolam. Quo-

(a) Cap. 1. v. 5.

niam vero acceperat (a) *Gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus*, hoc est Christi; ideo se servire in spiritu suo in Evangelio Filii Dei Patris æquo jure affirmare poterat. Hinc est, ut gratiam prædicandi Evangelium sibi datam dicat, ut esset minister in Gentibus, eamque virtute signorum, atque prodigiorum fuisse confirmatam, quo nemini dubium esse posset, num doctrina, quam prædicabat, Divina esset: „ Audacius autem, *inquit*, (a) scripsi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memoriam vos reducens, propter gratiam, quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Jesu in gentibus: sanctificans Evangelium Dei... Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo, & factis: in virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti„.

Ad plura autem hujus epistolæ testimonia appellat S. Clemens in sua 1. epist. ad *Corint.* num. 30., 35., 47., 56., multaque etiam hujus epistolæ testimonia laudat S. Polycarpus in epist. *ad Philippen.* num. 6. S. Teophilus ad Autolycum lib. 3. num. 14. refert testimonium, uti Scripturæ divinitus inspiratæ, *Romanorum* 13. v. 7., & 8. Irenæus *Contra Heræses* lib. 3. cap. 16. nu. 3. *Hoc ipsum*, inquit, *interpretatus est Paulus scribens ad Romanos*: deinde vero laudat testimonium Apostoli *Roman.* 1. v. 1. & seq., & *Roman.* 9. v. 5., idemque sæpe facit etiam in aliis libris. S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* libro 5. refert plura testimonia ex epist. ad Romanos sub Apostoli nomine, uti verbum divinitus inspiratum: quod etiam sæpe facit in aliis *Stromatum* libris. Tertullianus lib. 5. *Adversus Marcionem* cap. 13. plura disputat de epistola S. Pauli Apostoli ad Romanos, multaque testimonia ejus, uti ex Divino Verbo depromta, in medium profert. Origenes in *Præfatione epistolæ ad Romanos* hæc habet: „ Quod ceteris Apostoli Pauli epistolis difficilior putatur ad intelligendum hanc, quæ ad Romanos scripta est, duabus mihi videtur fieri ex caussis„. S. Cyprianus ep. 67. *Sed & hoc idem*, inquit, *Paulus Apostolus scribit, & dicit: susurratores &c.* uti habetur *Romanorum* 1. v. 30. Alia quoque plura hujus epistolæ testimonia in suis operibus sæpe laudat. S. Basilius *Adversus Eunomium* lib. 5. *Adversus eos, qui dicunt &c.* num. 2. *& in principio epistolarum*, inquit, *S. Paulus meminit Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sic scribens*: refert deinde testimonium *Romanorum* 1. v. 1., uti alias in suis operibus sæpe fecerat. Tandem S. Ambrosius *De Fide* lib. 1. ca. 16. nu. 103. „ Paulum interrogemus, *inquit*, qui spiritu Dei plenus has prævidens quæstiones, generaliter contra gentes, specialiter contra Arianos loquutus, ait Divino judicio eos esse damnatos, qui servirent creaturæ potius, quam creatori„. Multa deinde testimonia in confirmationem eorum, quæ sibi proposuerat, ex epistola ad Romanos depromit.

Epistola I. ad Corinthios una ex iis est, in quibus S. Apostolus a Deo officium sibi commissum prædicat. Ubi postquam se Apostolum Jesu Christi appellavit, mox affirmat: sermonem, atque prædicationem suam non fuisse (b) *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis*, ut fides Corinthiorum non esset *in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Unde & se loquutum (c) *Dei sapientiam* dicit, quam sibi (d) *revelavit Deus*

(a) Cap 15. v. 15. & seq.
(b) I. *Corint.* 2. v. 4. & 5.
(c) v. 7. ejusdem cap.
(d) v. 10. ejusdem cap.

Deus per spiritum suum, quia non acceperat (a) *spiritum hujus mundi*, *sed spiritum*, *qui ex Deo est*, *ut sciamus*, *quæ a Deo donata sunt nobis*: *quæ & loquimur*, inquit, *non in doctis humanæ sapientiæ verbis*, *sed in doctrina spiritus*, *spiritualibus spiritualia comparantes*. Quid? *non sum Apostolus?* inquit cap. 9. v. 1. *nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi?* Unde etiam omnes monet, (b) *si quis videatur propheta esse*, *aut spiritualis*, *cognoscat*, quæ scribit, *quia Domini sunt mandata*. Hisce autem omnibus, aliisque sane multis, & generatim suæ prædicationis, & peculiariter hujus epistolæ auctoritatem adstruit, postquam initio ipsius epistolæ suum nomen ita expressit: *Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*.

Testimoniis quoque Patrum Apostolicorum, & sequentium seculorum de hujus epistolæ Auctore Divinaque auctoritate constat. S. Clemens in sua 1. epist. *ad Corint.* nu. 24., & 46. ad quædam hujus epistolæ testimonia appellat: num. autem 47. ita habet: *Sumite epistolam Beati Pauli Apostoli*. *Quid primum vobis in principio Evangelii scripsit? Profecto in spiritu ad vos litteras dedit*. S. Ignatius in epist. *Ad Ephes.* nu. 2. laudat testimonium 1. epist. *ad Corint.* cap. 1. v. 10., & num. 16., ac 18. ejusdem epistolæ testimonium I. *Corint.* 6. v. 6., 10. v. 8., 1. v. 18. 20. 23. 24. sicut etiam num. 5. ep. *ad Rom.* appellat ad alia testimonia I. ep. B. Pauli Apostoli *ad Corint.* S. Justinus *in Dialogo cum Tryphone* num. 35. non secus, ac alia Sacræ Scripturæ testimonia, laudat illud Apostoli I. *Corint.* 11. v. 18. *Erunt schismata*, *& hæreses*; & in epistola *ad Diognetum* num. 12. (c) „ Quam facultatem, *inquit*, quum perspexisset Apostolus, reprehendens cognitionem, quæ sine „ veritate mandati in vitam exercetur, ait: [d] *Cognitio inflat*, *dilectio autem ædificat* „. S. Irenæus lib. 1. *Contra Hæreses* cap. 3. num. 4. *quin & ipsum*, inquit, *quoque Paulum crucis hujusce mentionem facere dicunt*, *quum in hæc verba loquitur*. Laudat deinde, uti Divinum, testimonium I. epist. *ad Corint.* cap. 1. v. 18., quod & alias sæpe facit. Clemens Alexand. *Stromatum* lib. 5. num. 4. *Præclarus quoque Apostolus*, ait, *sic dicit quodammodo similia*. Plura deinde testimonia refert ex cap. 2. epist. I. *ad Corint.* *Stromatum* lib. 4. num. 17. „ Jam vero, *ait*, Apostolus Paulus: *si corpus meum*, inquit, *tradidero &c.* „ uti habetur I. *Corint.* 13. v. 3. Tertullianus lib. 5. *Adversus Marcionem* cap. 10. plurima testimonia profert ex epist. I. *ad Corint.* uti Divina, atque Pauli. Origenes in epist. *ad Romanos* lib. 10. nu. 7. „ Ego „ etiam, *inquit*, illud, quod Paulus in quibusdam epistolis aliorum vocabu- „ la secum jungit, & dicit: (e) *Paulus*, *& Sosthenes frater*: & alibi: (f) „ *Paulus*, *& Sylvanus*, *& Timotheus*, puto non inaniter factum „. S. Cyprianus in lib. *Testimoniorum* cap. 1. nu. 86., 90., 91., 92., 93., & 95. sub Apostoli Pauli nomine plura testimonia profert ex epistola I. *ad Corint.* S. Basilius lib. 2. *Adversus Eunomium* num. 2. „ Spernis, *inquit*, item Pau- „ lum, qui dixit: (g) *Christus Dei potentia* „. Tandem S. Ambrosius *De Spiritu Sancto* lib. 3. cap. 4. nu. 22., & seq. plura testimonia ex epist. I. *ad Corint.*, uti Divina, & Apostoli Pauli profert.

Ne-

(a) v. 12. & 13. ejusdem cap.
(b) Cap. 14. v. 37.
(c) Num hæc epistola S. Iustino tribui debeat, disputatur inter Eruditos. opus tamen esse illius ætatis, & Martyre dignissimum inter omnes convenit.
(d) I. *Corint.* 8. v. 1.
(e) I. *Corint.* 1. v. 1.
(f) I. *Thessalon.* 1. v. 1.
(g) I. *Corint.* 3. v. 24.

Neque vero est, cur quispiam huic epistolæ aliquid auctoritatis inde detrahi putet, quia Sanctus Apostolus quædam exponat secundum Dei mandata, alia vero secundum sui sententiam. „ Iis autem (inquit, ca. 7. v. 10.) qui „ matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro „ non discedere „ : versu autem 12. „ Nam ceteris, *ait*, ego dico, non Do- „ minus „. Simili ratione v. 25. „ De virginibus autem, *inquit*, præceptum „ Domini non habeo, consilium autem do „ ; & in fine hujus capitis : „ Bea- „ tior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium „.

Illud ergo observetur oportet, Dominum Apostolis certa ac definita mandata dedisse de multis, de aliis autem aut nihil plane, aut omnino generatim, nulla peculiarium circumstantiarum habita ratione, fuisse loquutum, vel quia tunc occasio id non ferebat, vel quia eorumdem Apostoli non erant capaces, donec virtute ex alto induerentur, sicut monuit Christus *Joannis* 16. v. 12., & 13. (a). Quæ igitur Christus verbis apertis expressit, Domini mandata dicebantur; quæ vero Apostoli, afflante Spiritu Sancto, Ecclesiæ tenenda tradebant, non Christo, sed Spiritui Sancto, qui in Apostolis loquebatur, tribuebantur. Hoc patet ex negotio vocationis gentium quoad immunitatem earum a jugo Mosaicæ legis. Quid enim de ea sentiendum esset; hoc est, num Gentes conversæ ad fidem a jugo legis Mosaicæ eximi deberent, Christus ante resurrectionem, immo etiam post resurrectionem, Apostolis celavit. Unde S. Petrus, & cum eo Apostoli omnes, expendendum sibi proposuerunt, utrum Gentiles conversi ad fidem legem Mosaicam servare deberent. Quod sane ab iis factum non fuisset, si expressam Christi sententiam hac de re habuissent. Illud tamen, quod decreverunt, Spiritu Sancto inspirante, decreverunt. Hinc S. Paulus *Ephesior*: 3. v. 5., & 6. ait: „ Quod aliis generatio- „ nibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis A- „ postolis ejus, & Prophetis in spiritu, Gentes esse cohæredes, & concor- „ porales, & comparticipes promissionis ejus per Evangelium „. Et Apostoli in epistola Synodica *Actorum* 15. v. 28. ita habent: „ Visum est enim „ Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam necessa- „ ria „. Quando ergo Apostolus quædam præcepta a mandatis Christi Domini in hac epistola distinguit, ita intelligi non debet, quasi ipse proprio marte nonnulla præcepta constituerit; sed horum præceptorum nomine accipienda sunt, quæ Apostolus, non Christo tradente, sed, Spiritu Sancto inspirante, novit: ita v. 11. cap. 7. dicit: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*, quia Christus hoc expresse declaraverat *Matt.* 5. v. 32. (b) Contra autem v. 12. ita habet: *Nam cete-*

(a) „ Omnia ergo (inquit S. Thomas „ lect. 6. in cap. 16. Joann.) quæ fidei erant, „ Dominus proposuit eis, sed non de eo mo- „ do, quo postea revelavit, & præcipue „ in vita æterna. Sic ergo quæ portare „ non poterant sunt plena cognitio divino- „ rum, quam non habebant tunc, puta æ- „ qualitatem filii ad Patrem, & hujusmo- „ di. Unde Paulus II. *Corint.* 5. *audivi* „ *arcana verba &c.* quæ non erant de alia „ veritate, quam fidei, sed altiori modo. „ Item spiritualis intellectus omnium Scri- „ pturarum, quem tunc non habebant, sed „ quando *aperuit eis sensum, ut intelligerent* „ *Scripturas Lucæ* ult. Item passiones, & pe- „ ricula, quæ passuri erant, quæ tunc non „ poterant, quia animi eorum imbecilles „ erant „.

(b) „ *Præcipio non ego* (scilicet indicta „ mihi auctoritate) *sed Dominus*, hoc præci- „ pit dicens: Matt. 19. *quod Deus conjunxit* „ *homo non separet*. „ Ita S. Thomas lect. 2. in cap. 7. 1. epist. ad Corinthios.

ceteris ego dico, *non Dominus*, *si quis frater uxorem habet infidelem*, *& hac consentit habitare cum illo*, *non dimittat illam*, quia a Christo nihil expresse declaratum erat, quid in hac circumstantia faciendum esset, sed generatim solum divortium prohibebatur. Hanc vero generalem prohibitionem etiam ad conjugium fidelis cum infideli, quando iste, prout debet, cum fideli habitare non renuit, Paulus extendit. Simili ratione v. 25. virginibus, versu autem 40. viduis se proponere consilium suum affirmat, quia ab ipso Servatore utrisque quoad rem illam nihil definitum erat. Ea vero verba: *puto & ego quod spiritum Dei habeam*, quibus huic capiti finem ponit, non sunt dubitantis, sed omnino affirmantis suam Divinam auctoritatem, & inspirationem, de quibus multa jam supra dixerat.

Alteram epistolam ad *Corint.* scripsit Apostolus, ut redargueret eos, qui Christi Doctrinam adulterare, seque uti hominem contemptu dignum traducere conabantur. Hinc ut confundat falsos Apostolos, & suam potestatem cap. 10. ac 16. adstruit, & labores, quos pro Christo sustinuit, commemorat, & suas visiones, atque revelationes cap. 12. manifestas facit. Multa quoque alia habet in capitibus praecedentibus, quae dubitare non sinunt, num Sanctus Paulus hujus epistolae auctor, & num ea divinitus inspirata fuerit.

De utroque autem constat etiam auctoritate eorum, qui primis, ac sequentibus Ecclesiae seculis floruerunt. S. Polycarpus in epistola *ad Philippenses* nu. 6. uti Divinum laudat testimonium II. *Corint.* 8. v. 21. S. Irenaeus sub Apostoli nomine uti Divina laudat plura testimonia ex epist. II. *ad Corint.* lib. 4. *Adversus Haereses* cap. 28, nu. 3., li. 5. cap. 3. nu. 1., in quo etiam Apostoli nomine Sanctum Paulum se intelligere explicat; & cap. 13. ejusdem libri nu. 4., atque alibi saepe. S. Clemens Alex. *Stromatum* lib. 1. nu. 11., lib. 4. nu. 21., infinitisque aliis propemodum in locis, sub Apostoli nomine plura testimonia refert ex epistola II. *ad Corinthios*. Tertullianus lib. 5. *Adversus Marcionem* cap. 11. pluribus hujus epistolae testimoniis, uti Divinis, & Apostoli Pauli, Marcionem confutat. Origenes in *Exhortat. ad Martyr.* nu. 42. plura laudat testimonia epist. II. *ad Corinthios*; *De Oratione* nu. 29.,, Et Paulus, *inquit*, singillatim: *a Judaeis quinquies quadragenas una minus accepi*.,, II. *Corint.* 4. v. 8. S. Cyprianus *Testimon.* lib. 3. nu. 56.,, Item, *ait*, in epistola Paulus *ad* ,, *Corint.* 2. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*.,, S. Hilarius *Tractatu* in psal. 68. nu. 25., in psal. 64. nu. 11., in psal. 57. nu. 5. sub Apostoli nomine plura hujus epistolae testimonia depromit. S. Basilius *Adversus Eunomium* lib. 5. *Quod si quis Spiritum ex Deo &c.* nu. 1. *Audi*, inquit, *Paulum, qui nostram formationem*, *quae secundum Deum est*, *in spiritu perfici ait*: deinde laudat testimonium II. *Corint.* 3. v. 18. Plura quoque alia ex eadem epistola in suis operibus testimonia depromit. S. Ambrosius *Enarrat.* in psal. 38. nu. 36. ,, Quod aperuit, *inquit*, & Apostolus Paulus asserens, quoniam, quum su- ,, mus in hoc corpore, peregrinamur a Domino,,. II. *Corint.* 5. v. 6: plura alia deinde ejusdem epistolae testimonia laudat. Demum S. Augustinus *De Civitate Dei* lib. 20. cap. 6. nu. 1. ita habet ,, De qua morte ait Apostolus Pau- ,, lus: *ergo omnes mortui sunt &c.*,, sicuti habetur II. *Corint.* 5. v. 14.

De epistolae autem *ad Galatas* Auctore, Divinaque auctoritate, non est, cur quispiam dubitare possit. In hac Paulus se vocat Apostolum. (a) ,, Non ,, ab

(a) Cap. 1. v. 1.

„ ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum „ Patrem „. Unde (a) „. Notum, *inquit*, vobis facio, fratres, Evangelium, „ quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque „ enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu „ Christi „. In hujus autem rei persuasionem ut omnes inducat, statim se ab accepta revelatione, nullo cum ceteris Apostolis inito consilio, Christi Evangelium Gentibus promulgandum suscepisse demonstrat, & solum post tres annos Jerosolymis vidisse Petrum, ac tandem post quatuordecim annos Jerosolymas iterum reversum, a Jacobo, Cepha, & Joanne, (b) *qui videbantur columnæ esse*, dexteras accepisse societatis, ut ipse esset Apostolus Gentium.

S. Polycarpus in epist. *ad Philippenses* nu. 5. laudat testimonium ex epist. *ad Galatas* 6. v. 7. S. Irenæus lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 13. Pauli Apostoli mentionem facit, multaque testimonia profert ex epistola *ad Galatas*, & eam Paulo tribuit. S. Clemens Alexand. li. 3. *Stromatum* nu. 18. plura testimonia ex eadem epistola profert; lib. autem 1. nu. 26. hæc habet: *Dicit autem quoque Paulus*, laudatque testimonium *ad Galatas* 3. v. 19., 23., & 24. Tertullianus lib. 5. *Adversus Marcionem* cap. 1. loquens de Paulo, ex epistola *ad Galatas* plura refert. Origenes *De Principiis* lib. 4. nu. 29. „ Christus, *inquit*, secun- „ dum quod verbum, & sapientia est, vel cetera omnia, erat in Paulo, pro- „ pter quod dicebat: (c) *Vivo ego jam non ego* &c. „ S. Cyprianus epist. 27. „ Quando & Paulus Apostolus, *inquit*, quem Dominus vas electionis suæ di- „ xit, posuerit in epistola sua dicens: [d] *miror, quod sic tam cito transfe- „ rimini* &c. „ S. Basilius *Homilia in psal.* 7. num. 3., *Adversus Enomium* lib. 4. *in illud*: *Pater si fieri potest* &c. num. 1. hujus epistolæ testimonia laudat; lib. 5. *Adversus Eunom.* „ *Quod si quis Spirituum* &c. num. 3. „ „ Nam, *inquit*, & quum Paulus dicit: (e) *Quicumque in Christum baptizati* „ *estis* &c. „ S. Ambrosius *de Paradiso* lib. unico num. 76. „ Ergo & nos, „ *inquit*, habeamus processum hujus vitæ, sicut habuit & Paulus, qui dicit: (f) „ *Vivo ego, jam non ego* &c. „ Tandem S. Aug. *Contra duas epistolas Pelagianorum* lib. 4. num. 10., & alibi sæpe epistolæ ad Galatas testimonia producit. Hanc itaque epistolam esse Pauli, atque Divinæ auctoritatis jam usque a primis Ecclesiæ temporibus, testimoniis evidentissimis constat.

Idem vero etiam de epistola *ad Ephesios* compertum habemus. In ea enim Paulus, postquam in principio epistolæ suum nomen inscripsit, Ephesios monet (g) secundum revelationem sibi notum factum esse sacramentum, & licet minimo omnium Sanctorum gratiam sibi datam dicit, ut in gentibus evangelizaret investigabiles divitias Christi, & illuminaret omnes, *quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo, qui omnia creavit*.

S. Polycarpus in epistola *ad Philippen.* nu. 1. laudat testimonium desumptum ex epistola *ad Ephesios* cap. 2. v. 8. & 9. S. Ignatius in epist. ad Polycarpum num. 5. appellat ad testimonium v. 25. cap. 1. ejusdem epistolæ. S. Irenæus lib. 5. *Adversus Hæreses* cap. 14. num. 3., & cap. 20. num. 2. plura testimonia efert ex epistola *ad Ephesios*; libro autem 3. cap. 18. nu. 3. *Manifestum est igitur*, inquit, *quoniam Paulus alterum Christum nescit*: deinde

(a) Versu 11., & 12. ejusdem cap.
(b) Cap. 2. v. 9.
(c) *Ad Galat.* 2. v. 20.
(d) *Ad Galat.* 1. v. 6.
(e) *Ad Galat.* 3. v. 27.
(f) *Ad Galat.* 2. v 20.
(g) Cap. 2. v. 3. & seq.

de inter alia etiam ex epistola *ad Ephesios* testimonia depromit. S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 1. num. 28., lib. 3. num. 4., & 18., aliisque etiam in libris utitur auctoritate epistolæ *ad Ephesios*. Tertullianus lib. 5. *Adversus Marcionem* cap. 17. pluribus testimoniis desumptis ex epistola *ad Ephesios* Marcionem urget. Origenes lib. 4. *Contra Celsum* num. 72.,, Cujus iræ, ,, *inquit*, nos filios fuisse docet Paulus, quum ait: (a) *Eramus natura filii* ,, *iræ, sicut & ceteri* ,,. S. Cyprianus *Adversus Judæos* li. 2. nu. 27.,, Item, *in-* ,, *quit*, Paulus *ad Ephesios*: *& quum venisset &c.*,, *Ephesiorum* 2. v. 17. S. Ambrosius in *Expositione in Evangelium secundum Lucam* lib. 1. nu. 17., lib. 7. nu. 141. *De Elia, & Jejunio* lib. unico cap. 16. nu. 61., atque alibi sæpe laudat testimonia deprompta ex epistola *ad Ephesios*, quod faciunt quoque alii Patres sequentium seculorum. Ex hisce vero omnibus tum de Auctore, tum de Divina auctoritate hujus epistolæ apud priorum Ecclesiæ seculorum Catholicos, satis compertum est.

In epistola *ad Philippenses* una cum Pauli etiam nomen Timothei conjunctum est: a Paulo tamen scriptam esse ea omnia argumenta demonstrant, de quibus in hac epistola agitur. Nam Sanctus Apostolus & suas curas Apostolicas commemorat, (b) & Evangelicæ suæ prædicationis mentionem facit (c).

Ad testimonium cap. 4. v. 5. epist. *ad Philippenses* appellat S. Clemens in ep. 1. *ad Ephesios* nu. 21., & S. Polycarpus in epist. *ad Philippen.* nu. 3.,, Neque ego, *inquit*, neque alius mei similis assequi potest beati, & gloriosi ,, Pauli sapientiam, qui quum esset apud vos in conspectu hominum, qui tunc ,, vivebant, perfecte, ac firmiter docuit verbum veritatis: qui & absens vobis scripsit epistolas, in quas si intueamini, ædificari poteritis in fide, quæ ,, data est vobis ,,. S. Irenæus lib. 5. *Adversus Hæreses* cap. 13. nu. 4. ca. 12. nu. 4., lib. 3. cap. 12. nu. 9. postquam de Paulo mentionem fecit, provocat ad testimonia ejus deprompta tum ex aliis, tum etiam ex hac epistola. Tertullianus lib. 5. *Adversus Marcionem* cap. 20. hujus epistolæ auctoritate contra eum pugnat. Origenes lib. 4. *contra Celsum* nu. 18.,, Sed in præsentia, *in-* ,, *quit*, satis erit allegare Pauli testimonium, quod sic habet: [d] *Hoc sentite* ,, *&c.* S. Cyprianus *De mortalitate*: ait,, Apostolus Paulus in epistola sua po- ,, nit, & dicit: (e) *Mihi vivere Christus est &c.*,, S Hilarius *Tract. in psal.* 132. nu. 3., *in psal.* 138. nu. 15., *De Trinit.* lib. 8. nu. 45. plura depromit ex hac epistola Beati Pauli Apostoli testimonia; lib. autem 9. *De Trinitate* nu. 42. hæc habet:,, Concludit autem audacissimum impietatis suæ furorem apostolica fi- ,, des, ne quo licentia liberæ intelligentiæ vageris, quum ait: (f) *& omnis* ,, *lingua &c.*,, S. Basilius *Homil. in psal.* 44. nu. 5.,, Cui affine, *inquit*, est ,, & illud Philippensibus a Paulo scriptum: [g] *Humiliavit semetipsum &c.*,, S. Ambrosius *De Bono mortis* cap. 2. nu. 7., *in Psal.* 43. nu. 76., *in Exposit. Evangelii secundum Lucam* li. 5. nu. 21., & alibi sæpe plura testimonia profert ex epist. ad *Philippenses*. Demum S. Augustinus *Contra Maximinum Arianum* lib. 1. cap. 5., & passim in suis aliis operibus sicuti ceterorum Sacrorum librorum, ita etiam hujus epistolæ testimonia laudat.

(a) *Ephesior* 2. v. 3.
(b) Cap. 1. v. 27.
(c) Cap. 2. v. 22., & cap. 3. v. 15.
(d) *Philippen.* 2. v. 5.
(e) *Philippen.* 1. v. 21.
(f) *Philippen.* 2. 11.
(g) *Philippen.* 2. v. 8.

Epistolæ quoque *ad Colossenses* una cum Pauli etiam nomen Timothei inscriptum est: (a) manu tamen Pauli signata fuit. In hac ergo epistola Paulus [b] Evangelii ministrum se dicit, &, quidem, uti ait „. Secundum di„ spensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei „. Unde etiam inquit: „ [c] Christum annuntiamus corripientes omnem homi„ nem, & docentes omnem hominem perfectum in Christo Jesu, in quo & „ laboro certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in vir„ tute „. Quæ ergo egit, Divina virtute se egisse in hac epistola S. Apostolus profitetur, adeoque de Divina auctoritate illius dubitari non potest.

S. Irenæus lib. 2. *Contra Hæreses* cap. 22. nu. 4. laudat testimonium *Colossensium* 1. v. 18., lib. 5. cap. 14. nu. 2. inquit: „ Et propter hoc Apostolus in epi„ stola, quæ est *ad Colossenses*, ait: (d) *Supra omnem principatum &c.*„ S. Clemens Alexand. *Stromatum* lib. 5. nu. 10. ait: „ Merito ergo dicit Divinus Apo„ stolus: [e] *Ut notum faceret &c.* „ aliaque deinde plura in eodem numero laudat testimonia epistolæ *ad Colossenses*, sicuti etiam facit *Stromatum* lib. 4. nu. 7., ac in aliis libris. Tertullianus lib. 5. *Adversus Marcionem* pluribus testimoniis depromptis ex epistola *ad Colossenses* Marcionem refellit. Origenes in *Exhortat. ad Martyr.* nu. 9. laudat testimonium *Colossen.* 1. v. 13., in *Præfat. Contra Celsum* nu. 5. „ Sane Paulus, *inquit*, cui non latebat multa „ esse in philosophia Græcorum non contemnenda, immo quæ, tametsi fal„ sa, specie tamen veri multis fucum facere possint, sic de illis loquitur: [f] „ *In quibus aliquando ambulastis &c.* „ S. Cyprianus lib. *Adversus Judæos* ca. 1. „ Item Paulus ad Colossenses: [g] *Qui est imago Dei invisibilis, & primo*„ *genitus totius creaturæ*. Item illic: (h) *Primogenitus a mortuis, ut fieret in* „ *omnibus ipse primatum tenens* „. S. Hilarius *De Trinitate* nu. 48., „ Sed nun„ quid, *inquit*, Doctor gentium Paulus virtutem dicti Dominici aut ignora„ vit, aut tacuit dicens: [i] *Qui est imago Dei invisibilis* „. S. Basilius *Adversus Eunomium* lib. 4. *in illud*: *Primogenitus omnis creaturæ* laudat testimonium *Colossensium* 1. ver. 16., in *Hexameron* hom. 9. nu. 2. testimonium *Colossensium* 3. v. 1., *Homil. in psal.* 33. nu. 9. testimonium *Colossensium* 3. v. 3., in *Psal.* 44. nu. 11. testimonium *Colossensium* 3. v. 9. S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 50. „ Unde, *inquit*, & tantus est filius, quantus videbitur pater, totus „ de toto, integer de integro, perfectus de perfecto consummataque virtu„ te, sicut Apostolus dicit ad *Colossenses*: (k) *Qui est imago Dei invisibilis* „. S. Ambrosius in *Expositione Evangelii secundum Lucam* lib. 2. nu. 13. laudat testimonium *Colossensium* 1. v. 16., & 17., lib. 5. nu. 107., & 108. alia hujus epistolæ testimonia laudat sub nomine Apostoli. Tandem S. Augustinus in *Enchiridion* nu. 16. sub Apostoli nomine laudat testimonium *Colossensium* 1. v. 19. & 20., *De Continentia* nu. 29. plura ex hac epistola testimonia profert, sicut in aliis suis operibus, non secus ac alii Ecclesiæ Patres sæpe faciunt.

In prima epistola *ad Thessalonicenses* tum Pauli, tum Silvani, tum Timothei nomen expressum est. Divina tamen præcepta se dedisse Paulus in ea

(a) Cap. 4. v. 18.
(b) Cap. 1. v. 23., & 25.
(c) Ejusdem cap. v. 28. & 29.
(d) *Colossens.* 1. v. 21. & 22.
(e) *Colossens.* 1. v. 9.
(f) *Colossen.* 2. v. 2.
(g) *Colossen.* 1. v. 15.
(h) Ejusdem cap. v. 18.
(i) *Colossen.* 1. v. 15.
(k) *Colossen.* 1. v. 15.

ea testatur: *Scitis enim*, inquit, (a) *quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum*. Hac vero de caussa Thessalonicenses monet, non hominem, sed Deum, esse spreturos, si non servassent, quæ iisdem tradebat: (b) *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis*. An vero evidentiori ratione hujus epistolæ Divinitatem confirmare poterat?

S. Clemens in 1. epist. *ad Corint.* num. 42. appellat ad testimonium I. *Thessalon.* 1. v. 5. S. Irenæus lib. 5. *Contra Hæreses* cap. 30. num. 1. *Hoc*, inquit, *& Apostolus ait: quum dixerint pax, & munitio, tunc subitaneus illis superveniet interitus*; lib. 5. cap. 6. num. 1. *Et propter hoc*, inquit, *Apostolus se ipsum exponens, explanavit perfectum, & spiritualem salutis hominem in prima epistola ad Thessalonicenses*: deinde vero laudat testimonium I. *Thessalon.* 2. v. 5. S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 1. num. 1. sub Apostoli nomine refert testimonium I. *Thessalonicensium* 2. v. 5., *Stromatum* lib. 4. num. 12. testimonium I. *Thessalonicensium* 4. v. 3., & *Pædagogi* lib. 3. ca. 3. ad hujus quoque epistolæ auctoritatem appellat. Tertullianus *adversus Marcionem* lib. 5. cap. 15. contra eum pugnat pluribus testimoniis depromptis ex epistola I. *ad Thessalonicenses*. Origenes postquam alia plura testimonia ex ceteris epistolis Divi Pauli laudavit, ita habet *Con. Celsum* lib. 2. num. 65. „ Sed „ & in prima *ad Thessalonicenses* eamdem aliis verbis differentiam statuit di„ cens: alios dormientes esse, alios vivos: Sic enim ait: (c) *Nolumus vos &c.* „ S. Cyprianus *Testimoniorum* lib. 3. num. 88. „ In epistola Pauli, *inquit*, *ad* „ *Thessalonicenses* I. (d) *non circumvenire in negotio fratrem suum* „. S. Hilarius *Tract. in psal.* 56. num. 9. laudat testimonium I. *Thessalon.* 4. v. 16., & in *psal.* 1. num. 7. testimonium I. *Thessalonicen.* 5. v. 17. S. Basilius *Homilia in psal.* 33. nu. 1. inquit: „ Hinc edoctus Paulus ait: (e) *Semper gau*„ *dete: sine intermissione orate: in omnibus gratias agite* „: S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 32. in principio inquit: *Licet enim mihi quoque ex Apostoli verbis aliquid audacter usurpare*: præmiserat enim, quæ habet Apostolus I. *Thessal.* 2. v. 10. S. Ambrosius *De Jacob*, *& Vita Beata* lib. 1. cap. 7. nu. 31. „ Ad cujus informationem, *inquit*, dicit Apostolus: [f] *Nolumus au*„ *tem vos ignorare fratres de dormientibus &c.* „: S. Augustinus in lib. *de Octo Dulcitii Quæst.* nu. 2. ait. „ Illi autem, inquam, de quibus dixit Apo„ stolus, quum loqueretur de resurrectione mortuorum: [g] *Itaque consolami*„ *ni invicem verbis istis* „. Evidentissimis ergo testimoniis de hujus quoque epistolæ auctore illiusque auctoritate nullo tempore non Divina constat.

In altera quoque epistola ad *Thessalonicenses* tum Pauli, tum Silvani, tum Timothei nomen præfigitur; manu tamen Pauli eam signatam esse in fine legitur. In hac ergo epistola [h] Paulus earum traditionum mentionem facit, quas tum sermone, tum priori epistola ab ipso edocti fuerant: [i] in sanctificationem spiritus, & in fidem veritatis monet illos fuisse vocatos per suum Evangelium *in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi*: (k) sua tandem præcepta ab iisdem esse servanda, in Domino sese confidere affirmat.

 Quæ

(a) Cap 4. v. 2.
(b) Cap. eodem v. 8.
(c) I. Thessalon. 5. v. 3.
(d) I. Thessalon. 4. v. 12.
(e) I. Thessalon. 4. v. 6.
(f) I. Thessalon. 4. v. 12.
(g) I. Thessalon. 4. v. 17.
(h) II. Thessal. 2. v.14.
(i) Ejusdem cap. v. 12.
(k) Cap. 3. v. 4.

Quæ ergo epistolæ prioris est etiam hujusce Divina auctoritas semper in Ecclesia S. Catholicis recepta.

Irenæus *contra Hæreses* lib. 4. cap. 23. num. 11. inquit: *De quo Paulus ait*: laudat vero deinde testimonium II. *Thessalonic.* 1. v. 6., & II. *Thessalonic.* 2. v. 9. S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 7. num. 12. refert testimonium II. *Thessalon.* 2. v. 4., & lib. 5. nu. 3. testimonium II. *Thessalon.* 3. v. 1. Tertullianus lib. 5. *Adversus Marcionem* cap. 16. plura testimonia Apostoli ex hac epistola deprompta Marcioni opponit. S. Cyprianus *De Lapsis* laudat testimonium II. *Thessalon.* 2. v. 10., epist. autem 59. „ Paulus Aposto-„ lus, *inquit*, in epistola sua ponit, & dicit: (a) *Et in omni seductione ini-„ quitatis &c.* „ S. Athanasius in epist. 1. ad *Serapionem* num. 6. postquam sub nomine Apostoli Pauli laudavit plura testimonia epistolarum illius, refert testimonium II. *Thessalon.* 2. v 8., *Oratione* 3. *Contra Arianos* nu. 51. „ Quo-„ modo, *inquit*, qui aliis dat gratiam, uti Paulus suis in omnibus epistolis „ hisce verbis agnoscit: [b] (*Gratia Domini nostri sit cum omnibus vobis*) „ ipse in gratia profecit „ ? S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* 15. num. 9. „ De hoc, *inquit*, scribens Apostolus Paulus perspicuum signum dedit, di-„ cens: [c] *Ne quis vos seducat ullo modo &c.*„ S. Augustinus *De Opere Monachorum* num. 4. postquam alia plura testimonia sub nomine Apostoli Pauli ex ceteris ejusdem epistolis laudavit, laudat quoque testimonium II. *Thessalon.* 3. v. 8.

De Divina auctoritate usque a primis Ecclesiæ seculis, atque etiam auctore epistolæ primæ *ad Timotheum* non est cur multis agamus. Pauli enim eam esse constat, in qua suum Divinum Apostolatum mirifice extollit. Nam (d) *secundum imperium Dei Salvatoris nostri, & Christi Jesu spei nostræ* se vocat Apostolum: (e) Evangelium sibi concreditum esse, (f) a Deo se positum in ministerio, (g) prædicatorem, Apostolum, & doctorem gentium se constitutum affirmat. Unde tum in canonibus Ecclesiasticis præfigendis, tum in infligendis pœnis sua auctoritate Apostolica in hac epistola utitur.

S. Polycarpus in epist. ad *Philippenses* num. 4. laudat testimonium ex I. ad *Timotheum* 6. v. 10. S. Theophilus ad *Autolycum* lib. 3. num. 4. refert testimonium ex I. ad *Timotheum* 2. v. 2. S. Irenæus lib. 4. *Contra Hæreses* cap. 16. num. 3. profert testimonium I. ad *Timotheum* 1. v. 1. Origenes lib. 1. *Contra Celsum* Præfationem ita auspicatur: „ Quatenus veritatem refutantes „ quidam inducunt verba falsa, *& genealogias infinitas, quæ quæstiones ma-„ gis præstant*, quemadmodum Apostolus ait, (h) *quam ædificationem in fi-„ de* „. *Stromatum* lib. 2. num. 6. S. Clemens Alexandrinus laudat testimonium I. ad *Timotheum* 1. v. 18., *Stromatum* lib. 3. num. 6. „ Jam de iis, „ *inquit*, qui matrimonium abhorrent, dicit Beatus Paulus: [i] *Spiritus autem „ manifeste dicit &c.*„ Tertullianus in lib. *Adversus Valentinianos* cap. 3. *Dubitabit ne*, inquit, *ibidem pronuntiare has esse fabulas, & genealogias indeterminatas, quas Apostoli spiritus*, (k) *his jam tunc pullulantibus seminibus hæreticis, damnare prævenit?* Etiam in libro *De Anima* cap. 2. laudat idem testimo-

(a) Ejusdem cap. 2. v. 10.
(b) Ejusdem cap. 3. v. 18.
(c) Cap. 2. v. 3.
(d) I. Ad Timotheum 1. v. 1.
(e) Eodem cap. v. 11.
(f) Eodem cap. v. 12.
(g) Cap. 2. v. 7.
(h) I. Ad eumdem 1. v. 1.
(i) I. Ad eumdem 4. v. 1.
(k) I. Ad eumdem 1. v. 4.

stimonium. Origenes *de Recta in Deum fide* sect. 1. in fine: „ Hoc etiam, „ *inquit*, ait Paulus Apostolus, [a] *Qui prius fui blasphemus, & persequutor, „ & contumeliosus* „. S. Cyprianus epist. 78. „ Ignosci enim potest, *inquit*, „ simpliciter erranti, sicut de se ipso dicit Apostolus Paulus; (b) *Qui primo* „ inquit, *fui blasphemus, & persequutor, & injuriosus* „. *Contra Apollinarem* lib. 1. num. 10. ait S. Athanasius: „ Ut quum dicit Apostolus (c) *Homo Christus* „ *Jesus &c.* „ lib. 2. num. 2., & 12. alia testimonia ex eadem epistola depromit. S. Hilarius *Tractatu in psal.* 140. num. 2. *Quatuor autem genera orationum*, inquit, *Apostolus esse significat ad Timotheum scribens* „ [d] lib. *De Synodis* num. 85. „ Hoc si timemus, *inquit*, deleamus in Apostolo, quod di- „ ctum est: (e) *Mediator Dei, & hominum Christus Jesus.* „ S. Basilius *Adversus Eunomium* lib 3. num. 4. inquit: „ Vivificat enim Deus, ut ait Pau- „ lus: (f) *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia* „. S. Ambrosius lib. unico de *Paradiso* cap. 4. num. 24. „ Et Paulus ait: (g) *Quia Adam non est* „ *seductus &c.*

Non minus autem in priori, quam in altera epistola ad *Timotheum* S. Paulus exhibet argumenta evidentia suae auctoritatis Apostolicae. In ea sibi datum dicit (h) non *spiritum timoris*, sed virtutis, & *dilectionis*, *& sobrietatis*: (i) se constitutum praedicatorem, Apostolum, & magistrum gentium: (k) Spiritum Sanctum in se habitare: (l) seque illum esse, cujus impositione manuum Timotheus Dei gratiam acceperat. Haec vero omnia, quibus Pauli nomen praefixum est, si hujus epistolae auctorem Divinamque auctoritatem, non demonstrant, nihil sane est, quod eam demonstrare possit.

S. Irenaeus *Contra Haereses* lib. 3. cap. 14. num. 1. „ Ipse autem Pau- „ lus, *inquit*, manifestavit in epistolis dicens: (m) *Demas me dereliquit* &c.„ S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 1. num. 1. „ *Ait quoque Paulus*: (n) *Tu ergo fortis esto &c.* „ Num. 11. *Admonet ergo recte nos vehementer Beatus Apostolus*, [o] *ne verbis contendamus*? Tertullianus de *Resurrectione carnis* cap. 13. post multa testimonia sub nomine Apostoli allata ex aliis epistolis illius: „ Sicut, *inquit*, & *ad Timotheum* de Onesiphoro: [p] *Det illi Dominus in-* „ *venire misericordiam in die illo* „. Origenes *contra Celsum* lib. 5. num. 61. „ „ Id ipse testatur Paulus, qui a Judaeis ad Christianismum accesserat: (q) *Gra-* „ *tias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura* „. S. Cyprianus ep. 59. „ Evitent, *inquit*, dilectissimi fratres nostri verba, & colloquia „ eorum, quorum sermo, ut cancer, serpit, sicut Apostolus dicit: [r] *Cor-* „ *rumpunt ingenia bona confabulationes pessimae*„. S. Athanasius *contra Apollinarium* lib. 2. num. 2. laudat testimonium II. ad *Timotheum* 2. v. 1. S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catech.* 12. num. 23. „ Et Paulus ait: (s) *Mementote Jesum* „ *Christum excitatum a mortuis* „. S. Hilarius *Tract. in psal.* 1. num. 1. „ „ No-

(a) I. Ad *Timotheum* 1. v. 13.
(b) I. Ad *Timotheum* 1. v. 13.
(c) I. Ad *Timotheum* 2. v. 5.
(d) I. Ad *Timotheum* 2. v. 1.
(e) Eodem cap. v. 5.
(f) I. Ad *Timotheum* 6. v. 13.
(g) I. Ad *Timotheum* 2. v. 14.
(h) II. Ad *Timotheum* 1. v. 7.
(i) Ejusdem cap. v. 11.
(k) Ejusdem cap. v. 14.
(l) II Ad *Timotheum* 1. v. 6.
(m) II. Ad *Timotheum* 4. v. 9.
(n) II Ad *Timotheum* 2. v. 1. & 2.
(o) II. Ad *Timotheum* 2. v. 14.
(p) II. Ad *Timotheum* 1. v. 18.
(q) II. Ad *Timotheum* 1. v. 3.
(r) II. Ad *Timotheum* 2. v. 17.
(s) Eodem cap. v. 8.

„ Novit Beatus Paulus Apostolus hanc longi prælii rationem dicens: (a) *Nemo* „ *coronatur, nisi qui legitime certaverit* „.

In epistola ad *Titum*, in qua etiam inscriptionem sui nominis apposuit, S. Paulus se Apostolum vocat. Munus autem Apostolatus sibi divinitus collatum esse per hæc verba declarat: [b] *Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei*. Titum vero monet, (c) se Cretæ eum reliquisse, ut per civitates constitueret presbyteros, sicut ipse disposuerat. Unde sui Apostolatus, quem Divinum esse dixerat, in hac quoque epistola munere fungitur.

S. Ignatius in ep. *ad Trallianos* num. 3. appellat ad testimonium hujus epistolæ cap. 2. v. 3. S. Irenæus lib. 3. *contra Hæreses* cap. 3. num. 4. „ Et Paulus ait: (d) *Hæreticum autem hominem post unam correptionem devi*„*ta* „. S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 3. num. 18. plura laudat hujus epistolæ testimonia. Idem facit Tertullianus *De Monogamia* cap. 10., & 11. S. Cyprianus ep. 67. „ Quando Apostolus moneat, & dicat: [e] *E*„*piscopum oportet esse sine crimine, quasi Dei dispensatorem* „. S. Athanasius *De Synodis* num. 39. „ Beatus autem Paulus quamvis ex prophanis loquatur: (f) „ *Cretenses semper mendaces* „ S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* 15. num. 2. „ Jam vero duos quoque illos adventus significat Paulus *ad Titum* scribens his „ verbis: [g] *Apparuit gratia Dei Salvatoris &c.* „. S. Hilarius *De Trinitate* lib. 8. num. 1. „ Beatus Paulus formam constituendi Episcopi figens, & „ plane novum Ecclesiæ hominem præceptis suis condens, veluti summam con„summatarum in ea virtutum esse docuit, dicens: (h) *Obtinentem secundum* „ *doctrinam fidei verbum &c.* „ S. Ambrosius *Exposit. in Evangelio secundum Lucam* lib. 7. num. 31. „ Unde & Apostolus ait: (i) *Hæreticum hominem post* „ *unam correptionem devita* „.

Epistolam *ad Philemonem* sua manu Paulus scripsit, [k] suumque nomen apposuit initio illius. Hæc autem quum neque ad fideles alicujus Ecclesiæ, neque ad aliquem, qui in Ecclesia peculiarem administrationem haberet, data sit; mirandum non est, si in ea de suo apostolatu, deque gratia ad id muneris recepta non loquatur. In illa tamen plurima argumenta Apostolicæ confidentiæ, atque charitatis occurrunt.

Origenes in *Matthæum in Comment. serie* num. 66. „ De Paulo autem „ dictum est *ad Philemonem*: (l) *Nunc autem ut Paulus senex* „ S. Basilius *in Regulis*, *Interrogat.* 11. *De Servis*. *Responsio: in quo imitandus est Beatus Paulus, qui quum genuisset Onesimum per Evangelium, cum ad Philemonem remisit* (m). S. Augustinus *De Doctrina Christiana* lib. 1. num. 37. „ Inde „ *ad Philemonem Paulus*: (n) *Ita frater, ego te fruar in Domino* „. Hujus epistolæ Divinam auctoritatem confirmat Auctor Commentariorum in epist. Beati Pauli *ad Philemonem*, quæ Commentaria S. Ambrosii Operibus in editione Maurina adjiciuntur. S. Hieronymus in *proœmio* „ Hujus epistolæ saltem, „ aucto-

(a) Eodem cap. v. 5.
(b) Ad *Titum* cap. 1. v. 3.
(c) Eodem cap. v. 5.
(d) Ad *Titum* 3. v. 10.
(e) Ad *Titum* 1. v. 7.
(f) Eodem cap. v. 12.
(g) Ad *Titum* 2. v. 2.
(h) Ad *Titum* 1. v. 9.
(i) Ad *Titum* 3. v. 10.
(k) Ad *Philem.* epist. v. 19.
(l) Laud. epist. v. 9.
(m) Laud. epist. v. 12.
(n) Laud. epist. v. 20.

„ auctore Marcione, doceantur, qui quum ceteras epistolas ejusdem vel non „ susceperit, vel quædam in his mutaverit, atque corroserit in hanc solam „ manus non est ausus mittere, quia sua illam brevitas defendebat. Sed mihi „ videntur, dum epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere non „ intelligentes, quid in singulis sermonibus virtutis, & sapientiæ lateat, quæ, „ orantibus vobis, & ipso nobis Sancto Spiritu suggerente, quo scripta sunt, „ suis locis explanare conabimur „. S. Joan. Chrysost. in epist. ad *Colossenses* hom. I. cap. I. num. I. „ *Ad Philemonem* enim scribens dicit: (a) *Quem genui in vinculis meis* „; in epist. ad *Ephesios* cap. 4. homil. 8. num. I. „ Quod „ quidem dicit etiam scribens *ad Philemonem*: (b) *Quum sim Paulus senex*, „ *nunc autem vinctus in Christo* „.

Sicuti S. Paulus in omnibus suis epistolis, si eam excipias, quæ ad *Hebræos* data fuit; ita etiam S. Petrus suum nomen inscripsit. Primam ergo (c) per Silvanum fidelem fratrem a se scriptam esse testatur. In hac autem & monet omnes fideles, (d) verbum Dei, quod eisdem evangelizatum est, in æternum manere, & multa eisdem salutaria præcepta tradit, quæ Apostolica auctoritate, dignitate, atque sanctitate digna sunt. Peculiariter tamen cap. 5. v. I., 2., & 3. fungitur officio sui muneris, suamque dignitatem, & auctoritatem exponit: „ Seniores ergo, *inquit*, qui in vobis sunt, obsecro, consenior, & „ testis Christi passionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ „ communicator: pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non „ coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed vo„ luntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo „. Non minus vero de hujus epistolæ auctore constat, quam de Divina auctoritate ejus apud antiquissimos Christianorum.

Ad plura enim hujus epistolæ testimonia appellat S. Clemens in sua prima epistola ad *Corinthios* num. 2., 16., 30., 33., 38., 49., 57. S. Polycarpus in epist. *ad Philippen.* numer. I., & 2. ex I. *Petri* plura testimonia depromit. S. Ignatius in epist. ad *Ephesios* nu. 5. laudat testimonium I. *Petri* 5. v. 5. S. Irenæus lib. 5. *contra Hæreses* cap. 7. num. 2. „ Hoc est, „ *inquit*, quod a Petro dictum est: (e) *Quem quum non videritis, diligitis &c.* „. S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 4. num. 20. „ Quod unus, *ait*, uti„ que scopus, & unus finis & viro, & mulieri sit ostensus de eo, qui est „ perfectus, dicit Petrus in epistola: (f) *Modicum nunc si oportet &c.* „. Tertullianus *Adversus Marcionem* lib. 4. cap. 13. laudat testimonium I. *Petri* 2. v. 8., in *Scorpiaco* cap. 12. ait: „ Petrus quidem ad Ponticos: [g] *Quanta enim gloria, si non ut delinquentes puniamini, sustinetis* „? S. Cyprianus *Testimoniorum* lib. 3. num. II. „ De hoc ipso, *inquit*, in epistola Petri: (h) *Qua„ si hospites, & peregrini abstinete vos &c.* „. S. Athanasius *Orat.* 3. *contra Arianos* num. 31. „ Nihil autem, *ait*, ei nocuit peccata nostra suo corpore „ in lignum tulisse, ut ait Petrus [i] „: num. 34. „ Sic ergo in epistola „ scribit: [k] *Christo igitur pro nobis carne passo* „. S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* 17. nu. 4. laudat testimonium I. *Petri* I. v. II., *Catechesi mystago-*

(a) Laudatæ epist. v. 10.
(b) Laudatæ epist. v. 9.
(c) I. *Petri* 5. v. 12.
(d) Cap. I. v. 25.
(e) I. *Petri* I. v. 8.
(f) I. *Petri* I. v. 6.
(g) I. *Petri* 2. v. 20.
(h) I. *Petri* 2. v. II.
(i) I. *Petri* 2. v. 24.
(k) I. *Petri* 4. v. I.

stagogica 19. num. 19. testimonium I. *Petri* 1. v. 19., *Catechesi* 13. num. 35. testimonium I. *Petri* 11. v. 6. S. Hilarius *Tract. in psal.* 51. num. 3. „ Domus „ autem, *inquit*, imperii fratris quæ sit, Petrus Apostolus docet, dicens: [a] „ *& vos quasi lapides vivi ædificamini &c.*„ S. Basilius *Homil. in psal.* 28. nu. 8. „ Hanc, *ait*, Apostolus Ecclesiis adprecatur, dicens: [b] *Gratia vobis, &* „ *pax multiplicetur* „. S. Athanasius *Contra Apollin.* lib. 2. num. 8. „ Cur „ Petrus, *inquit*, animas in inferno detentas spiritus vocans, ait: (c) *Abiit,* „ *ut iis, qui in carcere inclusi erant, spiritibus, resurrectionem annuntiaret* „:

Contra impostores, pseudoprophetas, & Antichristos, qui fidei fundamenta subvertere conabantur, quique, inter alia falsa, atque impia, docebant, Jesum non fuisse Christum, & Dei filium, S. Joannes scripsit suam priorem epistolam, providens [ut inquit S. Irenæus *Contra Hæreses* cap. 16. num. 5.] has blasphemas regulas, [hoc est „ Valentinianorum] quæ dividunt „ Dominum, quantum ex ipsis attinet, ex altera, & altera substantia di- „ centes eum factum. Propter quod & in epistola sua sic testificatus est no- „ bis: *Filioli, novissima hora est &c.*„ Ad illa vero, quæ in Evangelio tradiderat, in hac sua priori epistola S. Joannes sæpe provocat. Ut autem adstruat fidem eorum, quæ in hac epistola expositurus est, Divinam esse debere, ita epistolam exorditur: „ Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus „ oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo „ vitæ: & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vo- „ bis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quod vi- „ dimus, & audivimus, annuntiamus vobis. Et hæc est annuntiatio, quam au- „ divimus ab eo, & annuntiamus vobis „. Annuntiatio ergo Joannis quum Dei annuntiatio sit, eam Divinam esse dubitari non potest.

Testimonium ex epistola 1. *Joannis* 4. v. 3. laudat S. Polycarpus in epistola ad *Philippenses* num. 7. S. Irenæus lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 16. nu. 7. „ Rursus in epistola ait: (d) *Multi pseudo-prophetæ exierunt* . . . . propter quod „ rursus in epistola clamat: (e) *Omnis, qui credit &c.*„. *Stromatum* lib. 3. num. 4. ita habet S. Clemens Alexandrinus: „ *Et si dixerimus*, inquit Joan- „ nes in epistola, (f) *quod societatem habemus cum eo*, nempe Deo, *& in te-* „ *nebris ambulamus, mentimur* „. Tertullianus *De Anima* cap. 16. laudat testimonium I. *Joannis* 1. v. 1. Origenes *contra Celsum* lib. 7. cap. 34. „ De qui- „ bus, *inquit*, Joannes ait: (g) *Manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*„. S. Cyprianus *Testimoniorum* lib. 3. num. 53. „ Item in epistola Joannes: (h) *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* „. Eusebius loquens de Sacris Scripturis divinitus inspiratis lib. 3. *Ecclesiasticæ Historiæ* cap. 24. hæc habet: „ Porro inter Joannis scripta, præter Evangelium, prior quoque epistola tum „ a recentioribus, tum ab antiquis omnibus citra controversiam admittitur „. S. Athanasius *De Communi Essentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti* nu. 18. ait: „ Joannes inquit in epistola: (i) *Si quis peccaverit &c.* „ *De singulis Nominibus* lib. 4. „ Sed ad hæc Joannes indicat: (k) *Qui non confitetur filium &c.* „. S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* 23. *Mystagogica* nu. 16. in-

(a) I. *Petri* 2. v. 5.
(b) I. *Petri* 1. v. 2.
(c) I. *Petri* 3. v. 29.
(d) I. *Joannis* 4. v. 1.
(e) I. *Joannis* 5. v. 1.
(f) I. *Joannis* 1. v 6.
(g) I. *Joannis* 1. v. 1.
(h) I. *Joannis* 1. v. 8.
(i) I. *Joannis* 2. v. 1.
(k) I. *Joannis* 2. v. 33.

inquit „ Ac *si dixerimus, quod peccatum non habemus, mentimur*, ut ait Joan-„ nes (a) „. S. Hilarius *Tract. in psal.* 140. num. 8. „ Quam rationem, *in-„ quit*, diligentissime Apostolus Joannes retinuit, dicens: (b) *Si quis scit fra-„ trem suum delinquere* „. S. Ambrosius in *Expositione Evangelii secundum Lucam* lib. 1. num. 5. „ Unde, *inquit*, & S. Joannes Evangelista: (c) *Quod „ erat ab initio, quod audivimus &c.* „.

§. III.

DE EPISTOLA S. PAULI AD HEBRÆOS.

HAnc epistolam & Pauli Apostoli esse, & Divinam ei deberi auctoritatem, pro instituti nostri ratione contra Deistas eo argumenti genere, quod ab auctoritate ducitur, modo demonstrandum aggredimur. Duo autem præmonenda esse putamus. Prius est: plerosque veterum non de hujus epistolæ Divinitate, sed de auctore dubitasse; non multos vero fuisse eos, qui hanc epistolam uti canonicam non admiserint. Quo sane fit, ut inimici Christianæ Religionis in horum patrocinio tantum, non vero illorum, aliquam licet omnino apparentem, atque futilem, sui erroris excusationem reponere possint. Alterum vero: quamvis de hujus epistolæ auctore Divinaque auctoritate non constaret (constare autem de utroque capite mox evincemus), tamen impietatem, atque obstinatam malitiam Deistarum nihilo minus patefieri, quum eas quoque partes Divinæ Revelationis non admittant, quas dubitari non potest communi consensione omnium semper fuisse receptas.

Propositio: Epistola ad Hebræos & Divo Paulo tribui debet, & Divinam auctoritatem habet.

Prob. prior pars propositionis. Quamvis enim neque Pauli, neque Apostoli nomen huic epistolæ inscriptum sit; plura tamen sunt, quæ suadeant ejusdem Apostoli esse. Auctorem itaque hujus epistolæ id sibi peculiariter proposuisse, ut demonstraret Christum Moyse longe esse præcellentiorem, eumdemque fuisse caussam nostræ salutis; Christi sacerdotium Levitico valde præstare; novam hostiam induci oportuisse propter imperfectionem hostiarum, quæ in Veteri Testamento adhibebantur; ac præceptis Novi Testamenti esse adhærendum; hunc, inquam, ejus epistolæ auctoris scopum esse, nullus sane negare potest; sed hæc omnia nemini melius, quam Paulo convenire possunt: ergo Paulus est auctor hujus epistolæ. Prob. mi. Paulus ille fuit, qui, uti ipse ait (d), S. Petro in faciem restitit, quia Gentes cogebat judaizare, (e) *Et nos in Christo Jesu credimus, ut justificetur in fide Christi, & non ex operibus legis*. Unde & ad Romanos scribens aperte tradidit: (f) *Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*. Aliunde vero illud quoque constat, adversus eum gravem persequutionem a Judæis excitatam fuisse, quia, inquiebant (g). *Hic est homo, qui adversus populum, & legem, & locum hunc omnes ubique docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violavit*

(a) *Joannis* 1. v. 8
(b) *Ioannis* 5. v. 16.
(c) *Ioann* 1. v. 1.
(d) Ad *Galatas* 2. v. 11.
(e) Ejusdem cap. v. 16.
(f) *Roman.* 3. v. 20.
(g) *Actorum* 21. v. 28.

vit sanctum locum istum. Ergo ea omnia, quæ traduntur in epistola ad Hebræos, nemini melius, quam Paulo, convenire possunt.

Deinde scriptor hujus epistolæ voce mediatoris ad Christum designandum sæpe utitur [a]: ad indicandum autem eumdem Christum non solum S. Paulus hanc vocem adhibet in suis aliis epistolis [b], sed etiam a nemine Apostolorum aliquando eam adhibitam fuisse legimus. Tandem in hac epistola cap. 11. v. 36. nomine vinculorum suam captivitatem ejusdem auctor designat, quam eadem quoque voce S. Paulus exprimit tum in epistola ad *Philippenses* ca. 1. v. 7., 13., 14., & 17., tum ad *Colossenses* 4. v. 18., tum II. ad *Timoth.* 2. v. 9., tum in epistola ad *Philemonem* v. 10., & 13.

At vero alia quoque multa in cap. 13. hujus epistolæ occurrunt, quibus manifeste confirmatur, quod modo volumus. Nam in hujus epistolæ 18. cap. duo facit S. Apostolus: rogat primo omnes, ut pro se ad Deum orent; deinde ad suam integritatem bonamque conscientiam appellat. Utrumque autem sæpe fecit etiam in aliis epistolis. Nam orationibus aliorum sese commendat *Romanorum* 15. v. 30., *Ephesiorum* 6. v. 18., *Colossensium* 4. v. 3., II. *Thessalonicensium* 3. v. 1. A sua autem bona conscientia testimonium accipit *Actorum* 23. v. 1. *Romanorum* 9. v. 1., II. *Corinthiorum* 1. v. 12., II. ad *Timotheum* 1. v. 3., atque aliis in locis. Ita in fine 13. cap. v. 20. rogat *Deum pacis*, sicuti etiam facit *Romanorum* cap. 15. v. 33., cap. 16. v. 20., II. *Corinthiorum* 13. v. 11., *Philippensium* 4. v. 9., I. *Thessalonicensium* 5. v. 23., inque aliis multis suarum epistolarum capitibus. Tandem in fine hujus epistolæ apponit solitas salutationes, sicuti in aliis epistolis facere consuevit. Characterem ergo, atque formam hujus epistolæ talem esse constat, ut ea Apostolo Paulo adjudicari debeat.

Quamvis ergo neque Pauli, neque Apostoli nomen in hac epistola inscriptum sit; tamen esse Apostoli Pauli dubitari non potest. Quid quod ob certam rationem inscriptionem sui nominis, atque muneris S. Paulus in hac epistola omittere potuit? „ Factum est autem (inquit S. Paulus *Actorum* 21. v. 17. „ & seq.) revertenti mihi in Jerusalem, & oranti in Templo, fieri me in stupo„ re mentis, & videre illum dicentem mihi: festina, & exi velociter ex Je„ rusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me... Et dixit ad „ me: quoniam ego in nationes longe mittam te „. Quum ergo S. Paulus ad Apostolatum Gentium a Domino sese designatum esse intellexisset, hinc est, ut Gentium Apostolum sæpe se vocaverit (c). Verum non ita tamen Apostolus gentium constitutus fuit, ut etiam ad Hebræos suas curas extendere non potuerit, & revera non extenderit. Nam, ut constat ex *Actis Apostolorum* [d] Antiochiæ, Iconii, Thessalonicæ, Beroææ, Corinthi, atque Ephesi disputavit in synagogis, atque suis fratribus Christum annunciavit. Ex hisce vero apparet, cur S. Paulus & ad Hebræos scripserit, & sui nominis, atque muneris inscriptionem non apposuerit. Non contentus enim Sanctus Apostolus se suis fratribus Divinum verbum voce prædicasse, etiam litteris ad fidem Christianam eos perducere tentandum existimavit. In hisce autem mentionem sui nominis, atque muneris facere omisit, quia non erat præcipue illorum Apo-

sto-

(a) *Hebræor.* cap. 8. v. 6., cap. 9. v. 15. cap. 12. v. 14.

(b) Ad *Galatas* 3. v. 19. & 20. I. ad *Timoth.* 2. v. 5.

(c) *Roman.* 11. v. 13. 15. & 16. Ad *Galatas* 1 v. 16.; *Ephesiorum* 3. v. 8.

(d) Cap. 3. v. 2., & 16., ca. 14. v. 1. ca. 17. v. 1. & 10. ca. 18. v. 4., & 19.

ftolus. Contra vero nomen fuum, atque Apoftolatum expreffit, quando fcri-
pfit ad alias Ecclefias, quas ipse fundaverat ,,. Epiftolam autem ad Hebræos
,, (hæc de Clemente Alexandrino refert Eufebius *Ecclefiaft. Hift.* lib.6.ca.14.)
,, Pauli effe affirmat, fed hebraico fermone, utpote ad Hebræos, primum
,, fcriptam fuiffe: Lucam vero eamdem Græco fermone ftudiofe interpretatum
,, Græcis hominibus edidiffe. Quare in ea epiftola, & in Actibus Apoftolo-
,, rum eumdem dictionis colorem reperiri. Hanc vero infcriptionem: *Paulus*
,, *Apoftolus*, recte, atque ordine omiffam fuiffe obfervat. Quum enim Hebræis
,, fcriberet, qui finiftram de ipfo opinionem multo ante combiberant, ipfum-
,, que fufpectum habebant, prudenti confilio ufus illos ftatim abfterrere ab
,, initio, appofita nominis fui infcriptione, noluit. Deinde aliquanto poft his
,, utitur verbis: Jam vero ficut beatus dicebat presbyter, quandoquidem Do-
,, minus Omnipotentis Dei Apoftolus ad Hebræos miffus fuerat, præ modeftia
,, Paulus, utpote qui ad Gentes erat directus, Hebræorum Apoftolum fe mi-
,, nime infcribit tum ob fuam erga Dominum reverentiam, tum quod ex a-
,, bundanti ad Hebræos ipfe gentium præco, & Apoftolus fcriberet ,,. S. Hie-
ronymus lib. 2. *Comment.* cap. 1. epift. *ad Galatas* ,,. Et in epiftola ad Hebræos,
,, *inquit*, propterea Paulum folita confuetudine nec nomen fuum, nec Apo-
,, ftoli vocabulum præpofuiffe, quia de Chrifto erat dicturus: *Habentes ergo*
,, *principem Sacerdotum, & Apoftolum confeffionis noftræ Jefum*, nec fuiffe
,, congruum, ut ubi Chriftus Apoftolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apo-
,, ftolus poneretur ,,. Hæc alia vero habet in *Catalogo Ecclefiafticorum Scri-
ptorum in Paulo*: ,, Quia Paulus, *inquit*, fcribebat ad Hebræos, propter
,, invidiam fui apud eos nominis titulum in principio falutationis amputaverat:
,, fcripferat ut Hebræus Hebræis Hebraice, id eft, fuo eloquio difertiffime;
,, ut ea, quæ eloquenter fcripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur
,, in Græcum; & hanc cauffam effe, quod a ceteris Pauli epiftolis difcrepa-
,, re videatur (a) ,,. Tandem S. Auguftinus in *Expofitione inchoata epift. ad Ro-
manos* nu. 11. de eadem re ita: ,, Quod autem Apoftolus gratiam, & pacem
,, a Deo Patre, & Domino noftro Jefu Chrifto dicit, non adjungens etiam
,, Spiritum Sanctum, non mihi alia ratio videtur, nifi quia ipfum donum Dei
,, Spiritum Sanctum intelligamus; gratia porro, & pax quid aliud eft, quam
,, donum Dei? Unde nullo modo hominibus dari gratia poteft, qua libera-
,, mur a peccatis, & pax, qua reconciliamur Deo, nifi in Spiritu Sancto.
,, Et ideo ipfa Trinitas, pariterque incommutabilis Unitas in ifta falutatione
,, cognofcitur. Quod propterea maxime credo, quoniam, excepta epiftola,
,, quam ad Hebræos fcripfit, ubi principium falutatorium de induftria dicitur
,, omififfe, ne Judæi, qui adverfus eum pugnaciter oblatrabant, nomine ejus
,, offenfi vel inimico animo legerent, vel omnino legere non curarent, quod
,, ad eorum falutem fcripferat ,,. Tantum ergo abeft, ut hæc epiftola Paulo
tribui non debeat, quia fui Apoftolatus, ac Divinæ miffionis nullam mentio-
nem in ea fecit, quin potius fecundum prudentiæ leges ita eum fe gerere
debuiffe, non dubium eft (b).

(a) Hæc autem, etiamfi nobis alia non fuppeterent, fufficere poffent, ut nullus dubitandi locus fupereffet, exiftimatum a S. Hieronymo fuiffe, hanc epiftolam Paulo effe tribuendam, contra ac nonnulli falfo putarunt.

(b) Hac de re confulatur etiam S. Thomas in *Præfat. in ep. ad Hebræos*.

Modo autem auctoritate Patrum tum Græcorum, tum Latinorum probatur eadem prior pars, atque altera simul. Primo autem quoad Græcos, deinde vero quoad Latinos Patres id peculiariter præstabimus, quoniam quid isti potissimum hac de re senserint, a nonnullis dubitatum fuit. S. Irenæus lib. 2. *Contra Hæreses* cap. 30. num. 9. uti Divinum laudat testimonium *Hebræorum* 1. v. 1., lib. 3. cap. 6. num. 4. testimonium *Hebræorum* 3. v. 5., alibi quoque, non secus ac aliarum Divinæ Scripturæ partium, plura laudat ejusdem epistolæ testimonia. S. Clemens Alexandrinus in *Cohortatione ad Gentes* nu. 9. affert testimonium *Hebræorum* 3. v. 18. & 19., num. 11. testimonium *Hebræorum* 8. v. 10., *Stromatum* lib. 2. num. 20. testimonium *Hebræorum* 13. v. 5., lib. 4. num. 20., postquam sub Apostoli nomine laudavit testimonium ex epist. *ad Titum*, laudat testimonium *Hebræorum* 12. v. 13. & seq. Origenes *Homiliam* 1. *in psal.* 36. hisce verbis *Hebræorum* 1. v. 1. ita auspicatur: *Multifarie, multisque modis Deus loquutus est Patribus in Prophetis*: plura deinde habet in expositione horum verborum. In librum *Jesu Nave homil.* 8. num. 6. „ Vult enim, *inquit*, nos fugere ab hujusmodi hostibus, „ vult nos longe effici ab hujusmodi malis: etsi potuerimus interim evadere „ horum malorum fugiendo contagia; tunc videntes devotionem, & propositum mentis nostræ sanctæ quæque virtutes, illæ fortasse, de quibus dicit „ Apostolus Paulus: (a) *Nonne omnes sunt ministeriales spiritus &c.*„ Et in *psalmum* 7. v. 6. inquit: „ Verba hæc de Christo dici Paulus in epistola *ad Hebræos* affirmat: ait enim: (b) *Eum autem, qui modico, quam Angeli, minoratus est &c.* „. Patres Laodiceni Concilii can. 60. inter alias S. Pauli epistolas Canonicas illam quoque recensent. Eusebius *Hist. Eccles.* lib. 3. cap. 38. „ In qua, *inquit*, [hoc est, in sua epistola ad Corinthios S. Clemens] „ quum multas inserat sententias desumptas ex epistola ad *Hebræos*, iisdem„ que interdum verbis utatur, satis indicat opus illud nequaquam recens esse. Quamobrem cum reliquis Apostoli scriptis hoc etiam recensitum videtur „. Alexander Episcopus Alexandrinus apud Socratem *Hist. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 6. Apostoli Pauli testimonia laudat: „ Eo quod, *inquit*, quum „ homo factus sit, nequaquam est immutatus, sed ut ait Apostolus: [c] *Jesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula*. Quidnam vero impulit, ut „ dicerent illum propter nos factum esse, quum Paulus utique dicat: (d) *Propter quem omnia, & per quem omnia* „? Et ut ex Pauli testimonio cognoscas (inquit S. Athanasius *De Communi Essentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti* num. 40.) quisnam sit, qui ita loquebatur per prophetas, lege, quæ scripsit illa in epistola *ad Hebræos*: [e] *Multifariam multisque modis &c.* „ S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* 11. num. 24. postquam sub nomine Apostoli laudavit testimonium *Colossensium* 1. v. 16. laudat testimonium *Hebræorum* 1. v. 2., *Catechesi* 14. num. 29. testimonium *Hebræorum* 1. v. 3., & 12. v. 2. S. Basilius *adversum Eunomium* lib. 4. num. 2. inquit: „ Et Paulus: (f) „ *Qui quum sit splendor gloriæ*: „ Item in *Commentario in Isaiam prophetam* ca. 8. num. 216. „ Hæc autem verba, *inquit*, in Christi persona pronuntiari „ nemo negaverit, qui meminerit epistolæ *ad Hebræos*: [g] *Decebat enim eum*,

(a) *Hebræorum* 1. v. 14.
(b) *Hebræorum* 4. v. 9.
(c) *Hebræorum* 13. v. 8.
(d) *Hebræorum* 2. v. 10.
(e) *Hebræorum* 1. v. 1.
(f) *Hebræorum* 1. v. 3.
(g) *Hebræorum* 2. v. 10.

„ *eum*, *propter quem omnia &c.* „ S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 17. prope finem; „ Homo enim, *inquit*, videt in faciem, *Deus autem intuetur cor* (a); Audisti Scripturam hæc dicentem; ac fidem adhibe, cujus judicium cordatis hominibus pluris faciendum, magisque curandum est, quam omnium aliorum in usum coactorum „. *Adversus Julianum Oratione* 4. laudat illud testimonium *Hebræorum* 12. v. 6. *Quem Deus amat*, *castigat*, *&* *flagellat*. S. Gregorius Nyssenus *De Vita Mosis*; „ Propitiatorium autem, *ait*, quid sit, non opus expositione ulla, ut intelligatur, quum Apostolus id enodaverit, quum ait; (b) *Quem animarum nostrarum propitiatorium reposuit* „ S. Epiphanius *Adversus Hæreses* lib. 3. *Hæresi* 70. num. 4. „ Quod his verbis, *inquit*, Apostolus indicat; [c] *Visus est enim sermo Dei &c.*„ Item lib. 2. *hæresi* 59. num. 2. „ Sed illos Apostoli dictum illud in errorem impellit [d] *Impossibile est eos &c.* „ S. Joannes Chrisostomus in *Genesim* serm. 8. num. 2. „ His verbis utitur, *inquit*, ad Hebræos scribens; (e) *Multifariam multisque modis &c.* „; antea vero Pauli mentionem fecerat. Tandem S. Cyrillus Alexandrinus *contra Julianum* lib. 4. ait; „ Quin & sapientissimus Paulus de ipsis; (f) *Nonne omnes sunt administratorii spiritus* „? Item lib. 9. „ Igitur sciebat ipsum Dei, & Patris imaginem esse, & quemadmodum Sanctissimus Paulus ait; (g) *Characterem substantiæ ejus* „. Alia quoque multa ex Patribus Græcis testimonia depromere possemus; verum quæ usque modo protulimus, ad evincendum epistolam ad Hebræos & Pauli, & Divinæ auctoritatis jaminde ab Ecclesiæ incunabulis fuisse, satis sufficere putamus.

Age vero quid latini Patres senserint quoad utramque rem, modo expendamus. S. Clemens in sua 1. Epistola ad *Corinthios* nu: 12. 16. 17. 36. & 58. ad plura hujus epistolæ testimonia, non secus ac aliarum Epistolarum Divi Pauli, quamvis, ut plerumque solet, nulla ejusdem S. Apostoli habita mentione, sæpe appellat. Tertullianus *Adversus Marcionem* lib. 2. cap. 8. & 9. uti Scripturam divinitus inspiratam laudat testimonium *Hebræorum* 1. v: 14. *Adversus Judæos* cap. 14. testimonium *Hebræorum* 13. v: 12., in *Apologetico adversus Gentes* cap. 16. testimonium *Hebræorum* 9. v: 6. S. Cyprianus ep. 11. appellat ad testimonium *Hebræorum* 12. v. 7., *Adversus Judæos* lib. 2. cap. 1. nu. 1. ad testimonium *Hebræorum* 1. v. 2. S. Hilarius Arelatensis *Tractatu in psal.* 124. nu. 4. laudat testimonium *Hebræorum* 12. v. 22. & 23.; *Tractatu in Psal.* 130. nu. 7. testimonium *Hebræorum* 1. v. 14. S. Ambrosius *De Fuga Sæculi* lib. unico cap. 3. nu. 16. adducit testimonium *Hebræorum* 7. v. 26. *Talis enim decebat* &c. Item *de Pœnitentia* lib. 2. cap. 2. nu. 6. „ Quum igitur, *inquit*, tam evidenti & ipsius Apostoli, & Scriptorum ejus exemplo redarguantur, tamen adhuc obniti volunt, & auctoritatem ejus Apostolicæ sibi suffragare sententiæ allegantes scriptum ad *Hebræos* 6. v. 4. *Impossibile est enim* „. Synodus Romana sub Damaso congregata hanc quoque ad Hebræos accenset aliis Paulinis epistolis (h). Optatus Milevitanus lib. 7. ex ejusdem epistolæ 8. cap. testimonium *contra Parmenianum* adducit. Philastrius Episcopus Brixiensis lib. *De Hæresibus Hæresi* 89. eorum peculiarem

(a) *Hebræorum* 4. v. 13.
(b) *Hebræorum* 9.
(c) *Hebræorum* 4. v. 12.
(d) *Hebræorum* 6. v. 8.
(e) *Hebræorum* 1. v. 1.
(f) *Hebræorum* 1. v. 14.
(g) *Hebræorum* 1. v. 3.
(h) Vide quæ infra in responsionibus ad objectiones ex Baronio differemus quoad ea, quæ hac de re Synodus Romana constituit,

rem hæresim esse dicit, qui epistolam ad Hebræos Pauli esse inficiantur. S. Hieronymus quamvis sæpe dicat (qua de re uberius infra differemus) hanc epistolam non recipi a Latinis inter Canonicas; ipse tamen non solum in lib. 2. *Comment.* cap. 1. epist. ad *Galatas*, & in *Catalogo Ecclesiasticorum Scriptorum* in *Paulo*, uti jam vidimus hanc epistolam Paulo tribuit, atque uti Canonicam laudat, sed etiam in lib: 2. *Adversus Jovinianum* sub nomine Pauli, atque uti Divina, laudat plura testimonia desumpta ex aliis epistolis ejusdem Apostoli; ita etiam multa testimonia profert ex epistola *ad Hebræos*. Epistola autem 54. ad *Pammachium*, alias ep. 18. „ Quid Paulina temperantius, *inquit*, quæ legens illud Apostoli (a) *Honorabiles nuptiæ*, *& cubile immaculatum*, nec sororis felicitatem, nec matris continentiam ausa appetere, maluit in humilioribus tuta pergere, quam pendulo gradu in sublimioribus fluctuare „. S. Augustinus plura testimonia desumpta ex epistola *ad Hebræos* in suis operibus, uti Divina, & Apostoli Pauli sæpe laudat, atque lib. 2. *De Doctrina Christiana* cap. 8. hanc quoque epistolam S. Apostolo tribuit. S. Petrus Chrysologus *Serm.* 72. „ Hoc Apostolus commemorat, *inquit*, quum dicit: (b) *Ex fide in fidem*; & alibi: [c] *Justus ex fide vivit*„ S. Prosper laudat testimonium *Hebræorum* 12. v. 1. S. Gregorius Turonensis *Hist. Francorum* lib. 6. num. 40., postquam sub Apostoli Pauli nomine alia testimonia laudavit, illud quoque laudat, quod habetur *Hebræorum* 5. v. 14. Item in *Vitis Patrum* num. 4. „ Magna est, *inquit*, corporis, & cordis integritas, quæ in præsenti seculo præstat gratiam, & in futuro vitam largitur æternam, de qua Paulus Apostolus ait: (d) *Pacem sequimini &c.* „ S. Gregorius Magnus *Regulæ Pastoralis* par. 2. cap. 6. „ Quod juxta Pauli vocem, *inquit*, bene illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul, & manna est (e) „: Item ep. 60., alias 58. „ Scimus, *ait*, nosmetipsos, juvante Domino, a caussarum litigiis Ecclesiam moderatione compescere, atque secundum Apostolicum illum sensum (f) *Rapinam bonorum nostrorum cum gaudio sustinere* „. Tandem S. Isidorus Hispalensis, ut multos alios Latinos Patres omittam tunc præcedentium, tum sequentium seculorum, in *Præfat.* lib. Novi Testamenti inter alias S. Pauli Apostoli epistolas eam quoque enumerat, quæ ad Hebræos inscribitur.

Sequitur ergo, ut contra Deistas concludamus, epistolam *ad Hebræos*, & S. Pauli, & Divinam fuisse usque a primis Ecclesiæ seculis, tum ex ipsius epistolæ, tum ex Scriptorum omnium ætatum tam Græcorum, quam Latinorum, constare evidentissimis testimoniis.

Dices I. Non solum dicendi ratio, quæ in hac epistola adhibetur, diversa ab ea est, quam S. Paulus adhibet in aliis epistolis, sed etiam auctor hujus epistolæ sese annumerat iis, qui Evangelii notitiam a discipulis Christi acceperunt: „ Quomodo nos effugiemus, [inquit cap. 2. v. 3.] si tantam neglexerimus salutem? quæ quum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est „. Sanctus autem Paulus se quod evangelizabat, accepisse non ab hominibus, sed a Christo, sæpe testatur in suis epistolis. Ex dicendi ergo ratione, exque iis, quæ hujus epistolæ auctor de

(a) *Hebræorum* 13. v. 4.
(b) *Romanorum* 1. v. 17.
(c) *Hebræorum* 10. v. 38.
(d) *Hebræorum* 12. v. 14.
(e) *Hebræorum* 9. v. 4.
(f) *Hebræorum* 10. v. 34.

de se refert; S. Paulo hanc epistolam tribuendam non esse constat.

2. Auctor epistolæ *ad Hebræos* cap. 6. num. 4. & seq. hæc habet: „ Impossibile enim est eos, qui semel illuminati sunt.... & prolapsi sunt rursus renovari ad pœnitentiam „; Et cap. 10. v. 26. „ Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia „. Unde etiam cap. 12. v. 17. Esau pœnitentiæ locum non invenisse affirmat, quamvis eam quæsivisset cum lacrymis. Omnia vero peccata juxta doctrinam Evangelicam remitti posse tam manifestum est, quam quod maxime.

3. Hujus epistolæ Auctor cap. 1. v. 5. Christum esse Dei filium, vult evincere verbis II. *Regum* 7. v. 14. *Ego ero illi in Patrem*: quæ sane verba secundum litteram ad solum Salomonem referri possunt.

4. Cap. 9. v. 4. in arca urnam fuisse affirmat cum manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, cumque testamenti tabulis; & tamen ex lib. III. *Regum* c. 8. v. 9. nihil aliud, quam lapideas tabulas in arca fuisse constat. Ex hisce vero omnibus inferri videtur posse hanc epistolam neque Pauli, neque Divinam esse.

Ad 1. respondeo, quod S. Paulus „. *Scripserat ut Hebræus Hebræis Hebraice; id est, suo eloquio disertissime*, ut ait S. Hieronymus in *Paulo in Catalogo Ecclesiasticorum Scriptorum*. Hinc S. Thomas in *Præfat. Expositionis epistolæ ad Hebræos*; „ Dicendum, *inquit*, quod ideo est elegantior in stylo, quia „ & sciebat omnem linguam; I. *Corint*. 4. *Omnium vestrum lingua loquor*, ta„ men melius sciebat Hebraicam, tamquam sibi connaturalem, in qua scri„ psit epistolam suam istam. Et ideo magis ornate potuit loqui in idiomate „ suo, quam in aliquo alio. Unde dicit: *Etsi imperitus sermone, sed non scien„ tia II. Corint*. 11. Lucas autem, qui fuit optimus proloquutor, istum orna„ tum transtulit de Hebræo in Græcum „.

Illud quoque animadvertatur oportet, S. Apostolum in hac epistola agere de multis, que supra cetera omnia præcellunt: nam de dignitate Christi, quæ superior est dignitate Angelorum, de gloria, qua gaudet sedens ad dexteram Patris, de ejus intercessione pro nobis ad Deum, de Tabernaculo cœlesti, Sacerdotio æterno, aliisque pluribus hujus generis sermonem habet. Unde mirandum non est, si, præterquam consuevit, sublimiori dicendi ratione hæc omnia prosequutus fuerit.

Mea ergo ratio sic habet. Quamvis non negem ob dicendi rationem ab ea diversam, qua quispiam uti consueverit, probabiliter conjici posse, aliqua scripta alicui tribuenda non esse, quando & cur illa usus fuerit, nulla causa afferri potest, & multa suadent ejus non esse illud opus, de quo disputatur: tamen si hujusce diversitatis occurrat ratio idonea, & aliunde plura habeantur, quæ illud opus ei, cui vulgo tribuitur, tribuendum esse dubitare non sinant; tunc propter diversam rationem dicendi de auctore alicujus libri recte dubitari non posse contendo: alioquin nimis multa essent, quæ a suis auctoribus abjudicari deberent. In epistola ergo ad *Hebræos* licet alia, ac in ceteris epistolis, dicendi ratio adhibeatur, quia tamen & hujus diversitatis causa valde idonea afferri potest, & multa sunt, ob quæ Paulo Apostolo tribuendam eam esse constat, non est, cur quispiam æquo jure hac de re dubitare possit.

Suam autem prædicationem confirmatam per eos, qui audierant, S. Apostolus recte affirmare potuit, quamvis quod evangelizaverat, a Christo acceptisset,

cœpiſſet. Nam poſt tres a ſua prædicatione annos Jeroſolymis Petrum viderat, tribuſque diebus cum eo manſerat (a); poſt quatuordecim vero annos ſimul cum Barnaba aſcendit iterum Jeroſolymam, & tunc, ut ipſe ait, (b) *Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem*.

Ad 2. reſpondet S. Thomas lect. 1. in cap. 6. epiſtolæ *ad Hebræos*: „ Sciendum eſt, *inquit*, quod ex hoc loco ſumpſit Novatus quidam, qui fuit presbyter Eccleſiæ Romanæ, errorem errandi: voluit enim, quod nullus poſt baptiſmum poſſet ad pœnitentiam reſurgere. Sed iſta poſitio falſa eſt, ut dicit Athanaſius in epiſtola ad Serapionem, quia ipſe Paulus recepit inceſtuoſum Corinthium, ſicut patet II. *Corinthiorum* 2., & ſimiliter *Galat.* 3. quia dicit: *Filioli mei quos iterum parturio &c.* Eſt ergo intelligendum, ſicut dicit Auguſtinus, quod non dicit, quod impoſſibile eſt pœnitere, ſed quod impoſſibile eſt rurſus renovari; id eſt baptizari *Tit.* 3. *Per lavacrum regenerationis & renovationis &c.* Nunquam enim homo poſſet ſic pœnitere, quod poſſet iterum baptizari. Et hoc dicit Apoſtolus, quia ſecundum legem Judæi multoties baptizantur, ſicut patet *Marci* 7. Et ideo ad illum errorem removendum dicit hoc Apoſtolus „.

Et re quidem vera de renovatione pœnitentiæ, quæ fit per baptiſmum, S. Apoſtolum fuiſſe loquutum, alia quoque ſuadent: ait enim Apoſtolus v. 1., & 2. laudati capitis: *Non rurſus jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum; baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum*. Hic ergo de pœnitentia conjuncta cum baptiſmo, ſive quæ ad baptiſmum diſponit, loquitur Apoſtolus, adeoque etiam de eadem pœnitentia loquutum eſſe v. 4. ejuſdem cap. dici debet. Quod ſane ex eo confirmatur, quia ſemel illuminatos renovari ad pœnitentiam impoſſibile eſſe affirmat. Baptiſmum autem peculiariter eſſe ſacramentum *Illuminationis*, & *Renovationis*, nemo negaverit. Tandem, uti habet idem Apoſtolus *Romanorum* 6. v. 3. & 4. per baptiſmum repræſentamus Chriſti mortem, atque ſepulturam. Hinc Apoſtolus poſtquam dixit, impoſſibile eſſe ſemel illuminatos renovari ad pœnitentiam, ſuperaddidit: *Rurſus crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei*; quia ſicut Chriſtus iterum crucifigi non poteſt, ita neque baptiſmus iterum repeti.

Quum vero Apoſtolus cap. 10. de Chriſti ſacrificio loquatur; hoc eſt, de holocauſto Dominicæ paſſionis; ideo mirandum non eſt, ſi nullam amplius hujuſmodi hoſtiam iis dixerit ſupereſſe, qui voluntarie peccant. Semel enim Chriſtus oblatus fuit, adeoque etiam baptiſmus, qui eſt figura mortis Chriſti, ſemel tantum conferri poteſt. Unde iis, qui peccaverunt, nulla hujuſmodi hoſtia, quæ in baptiſmo operetur, amplius reliqua eſt „. Liberum arbitrium „ (inquit S. Thomas lect. 3. in cap. 10. hujus epiſtolæ) habet multiplicem ſtatum, quia in ſtatu extra gratiam, non eſt in poteſtate noſtra peccare mortaliter, vel non peccare, & hoc propter præconceptionem finis, & habitum inclinantem: quod quidem verum eſt ſecundum magnum tempus, ſed per aliquam moram, ſi operetur ex præmeditatione, poteſt vitare hoc peccatum, vel illud. Sed poſtquam per gratiam reparatus eſt homo, omnino eſt in poteſtate ejus vitare peccatum mortale, & etiam veniale in particulari, non autem omnino in univerſali: & hoc eſt propter auxilium gratiæ ſal-

van-

(a) *Ad Galatas* 1. v. 8.

(b) Cap. 2. ejuſdem ep. v. 9.

„ vantis. Et ideo dicit: *Nobis peccantibus voluntarie post acceptam notitiam veritatis*; id est post acceptam gratiam, per quam habetur notitia peccati, „ quia ante notitiam peccati peccatum nostrum a Deo nobis non imputatur: „ unde quasi dicitur ipsum ignorare, quia non imputat nobis. Sed post: *Jam non est pro peccatis hostia*: ante enim reparationem, quæ facta est per Christum, relinquebatur hostia ista, quæ expectatur: sed nunc jam non expectatur alia mors ejus; ita nec post baptismum semel acceptum expectatur „ alius baptismus „. Antea tamen illud: *Voluntarie peccantibus*, ita etiam intelligi posse exposuerat; id est in voluntate peccandi permanentibus.

Esau autem pœnitentiæ locum non invenisse dici potest & quoad patrem suum, quia recuperare non potuit, quod amiserat, & apud Deum, quia non egit pœnitentiam ea ratione, qua debebat. Hoc autem exemplo S. Apostolus usus est, ut omnes magis magisque a peccato deterreret „. Sequitur: ? inquit „ S. Thomas lect. 3. in cap. 12. hujus epistolæ *ad Hebræos* ? *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacbrymis inquisisset eam*. Sicut enim dicitur *Genesis* 27. *Irrugiit clamore magno &c.* Sed contra, quia dicitur *Ezechielis* 18. *Quacumque hora ingemuerit peccator &c.* Respondeo: dicendum „ est, quod quandiu præsens vita agitur, potest agi vera pœnitentia. Interdum tamen aliquis pœnitet non propter amorem justitiæ, sed propter timorem pœnæ, vel damni temporalis. Et sic pœnituit Esau, non quia vendiderat primogenita, sed quia perdiderat. Unde non dolebat de peccato venditionis, sed de damno perditionis. Et ideo pœnitentia ejus non fuit accepta, quia non erat vera „.

Neque est, cur quispiam dicat, laudata verba ver. 14. cap. 7. lib. II. *Regum* ad Christum referri non posse, prout Apostolus retulit: nam si ad Salomonem referantur; eum filium Dei adoptivum fuisse significant: si autem ad Christum; ejus æternam generationem a Patre indicant, & hac de caussa Apostolus antequam laudata verba ad Christum referret, hæc præmisit: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: filius meus es tu, ego hodie genui te* ? Quum autem Salomon Christi figuram gesserit, quod sane ii negare non poterant, ad quos scribebat Apostolus, uti demonstrat S. Augustinus in lib. *De Unitate Ecclesiæ* cap. 8. ? quæ de Salomone dicebantur, ad Christum quoque applicare potuit.

Tandem quod opponitur de virga, & manna in arca existentibus, omnino futile est. Primo enim dici potest, juxta morem Sacrarum Scripturarum S. Apostolum fuisse loquutum, in quibus aliquid in loco esse sæpe dicitur, quod est juxta illum: ita *Lucæ* 9. v. 30., & 31. legitur: *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias, visi in majestate: & dicebant excessum ejus, quem completurus erat Jerusalem*; hoc est prope Jerusalem, in monte Calvariæ: item *Joannis* 10. v. 13. habetur, quod *Ambulabat Jesus in Templo in porticu Salomonis*; Porticus autem non erat pars Templi, sed ædificium ipsi conjunctum. Hoc ergo eodem sensu dici potest, S. Apostolum affirmasse, virgam, & mannam in arca fuisse; hoc est juxta, vel circa arcam. Quid? anne contingere non potuit, ut tempore Salomonis, quemadmodum III. *Regum* cap. 8. v. 9. legitur, solæ tabulæ in arca repositæ essent, deinde vero Judæi etiam virgam, & mannam reposuerint, atque id S. Paulus probe noverit?

Dices II. Eusebius, *Ecclesiast. Hist.* lib. 3. cap. 3. hæc habet: „ Eidem

„ (hoc est epistolæ Pauli *ad Hebræos*) ab Ecclesia Romana, tanquam quæ „ Pauli non sit, contradici „; lib. 6. cap. 14. „ Nam illa ad hunc usque „ diem apud quosdam Romanos non existimatur esse Pauli „. S. Hieronymus ep. 124. nu. 3., alias 129. de auctore hujus epistolæ habet, quod plerique *vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur*; ep. 77. nu. 4., alias ep. 126. „ Præterea, *inquit*, plenius esse tractatum in epistola *ad Hebræos*, quam „ omnes Græci suscipiunt, & nonnulli Latinorum „. Item in *Comment. in cap.* 2. *epistolæ ad Ephesios* ait: „ Nescio quid tale & in alia epistola (si quis „ tamen eam recipit) prudentibus quibusque lectoribus Paulus subindicat „; Item in *Comment. in cap.* 26. *Matthæi*: ita habet: „ *Nam & Paulus* in „ epistola sua, quæ inscribitur *ad Hebræos* (licet de ea multi Latinorum dubitent) quum Sanctorum merita, & passiones descripsisset, intulit: [a] *Lapidati sunt &c.* „. *Comment. in cap.* 8. *Isaiæ*: „ Ceterum Beatus Apostolus „ in epistola, quæ *ad Hebræos* scribitur, docet [licet eam latina consuetu„do inter Canonicas scripturas non recipiat] hoc testimonium debere intel„ligi ex persona Salvatoris „ Tandem in *Comment. in cap.* 28. *Ezechielis* inquit: „ Et Paulus Apostolus loquitur, si quis tamen ad Hebræos epistolam „ suscipit: [b] *Accessistis ad Sion montem &c.* „. Neque putavit tantum S. Hieronymus a multis, uti Apostoli Pauli, non recipi eam epistolam, quæ inscribitur *ad Hebræos*, sed ipse quoque in eadem sententia fuit: nam in *Comment. in cap.* 8. *Amosi* ita habet: *Quod, quicumque est ille, qui ad Hebræos scripsit epistolam, differens ait*: alibi quoque dum Pauli epistolas recenset, eam excludit, quæ ab Apostolo *ad Hebræos* data esse dicitur, & in *Comment. in Zachariæ* 8. cap. recenset epistolas, quas Apostolus scripsit ad septem Ecclesias, nulla habita mentione epistolæ *ad Hebræos*.

S. Augustinus lib. 16. de *Civit. Dei* cap. 22. nu. 1. „ De quo, *inquit*, in „ epistola, quæ inscribitur *ad Hebræos*, quam plures Apostoli Pauli esse di„cunt, quidam vero negant, multa, & magna conscripta sunt „. Philastrius *Hæresi* 89. *Sunt alii quoque*, inquit, *qui epistolam ad Hebræos non asserunt esse ipsius*. S. Isidorus Hispalensis *De Ecclesiasticis Officiis* lib. 1. cap. 11. *Plerisque Latinis*, ait, *ejus fuisse incertum est*. Rabanus *De Institutione Clericali* lib. 2. cap. 54., & alii idem tradunt. Hinc vero existimatum *ante ætatem Hieronymi a Latinis eam epistolam non receptam fuisse inter sacras*, uti Erasmus tradit sub finem Annotat. in ep. *ad Hebræos*. Et sane vetustiores quoque Patres id confirmant. Tertullianus enim in lib. 5. *Contra Marcionem* demonstraturus non alium Deum ab Apostolo prædicari, quam Creatoris, epistolæ *ad Hebræos* nullam mentionem facit; lib. *De Pudicitia* cap. 20. hanc epistolam Barnabæ tribuit. Unde Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Paulo* ait: *Sed creditur vel Barnabæ juxta Tertullianum*. Cajus presbyter Ecclesiæ Romanæ, qui tertio Ecclesiæ seculo floruit, [c] dum adversariorum, ut refert Eusebius *Ecclesiast. Hist.* lib. 6. cap. 20. „ in componendis novis Scrip„ turis

(a) *Hebræorum* 11. v. 37.

(b) *Hebræorum* 12. v. 21.

(c) Secundo seculo floruisse nonnulli etiam putant. Vide quæ Mansius adnotavit ad §. 4. cap. 12. sec. 1. *Hist. Eccl.* Natalis ab Alexandro. Hæc tamen de tempore, quo Cajus vixit, habet Eusebius *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. cap. 23. *Cajus floruit temporibus Zephirini Romanæ urbis Episcopi*. Zephirinus autem, tertio ineunte seculo, Pontificatum adeptus fuit.

„ turis temeritatem, & audaciam fuggillat, tredecim folum Divini Apofto„ li commemorat epiftolas, eam, quæ *ad Hebræos* infcripta eft, cum reli„ quis non adnumerans. Sed hæc epiftola ? ita aliorum quoque hac de re „ opinionem exponendo Eufebius profequitur ? etiamnum a quibufdam Roma„ nis Apoftoli effe non creditur „. Hyppolitus Martyr, Clementis Alexandrini, vel, juxta Photium, Irenæi difcipulus, apud Photium *Cod.* 121. in libello *Contra Hærefes* epiftolam ad Hebræos non recenfuit inter alias epiftolas Apoftoli Pauli. Sunt quoque, qui putant, in eadem opinione fuiffe S. Cyprianum, Arnobium, atque Lactantium.

R. falfum effe de auctore, atque auctoritate hujus epiftolæ inter Latinos fuiffe difputatum primis duobus Ecclefiæ feculis; vel certe ante inclinationem fecundi feculi. Hoc autem inde primo deducimus, quia apud Ecclefias tum Græcas, tum Orientales de auctore, atque Canonica auctoritate hujus epiftolæ dubitatum non fuit: 2. ex fuffragio Clementis Romani Pontificis, quem & plura hujus epiftolæ teftimonia laudaffe, tradit etiam Eufebius lib. 3. *Ecclefiaft. Hift.* cap. 8., & ejus habitum fuiffe interpretem, una cum aliis tradit S. Clemens Alexandrinus apud Eufebium *Ecclefiaft. Hift.* lib. 6. cap. 14. 3. quia de epiftolæ hujus auctore, atque etiam auctoritate poft adventum Marcionis in Italiam, atque ejus diffeminatâ dogmata, dubitatum videtur. Marcion enim in Occidente primus pugnavit contra epiftolas Apoftoli Pauli, licet id ipfum ante eum Ebion in Oriente feciffet. Marcionem autem non admififfe epiftolam ad Hebræos, teftis eft S. Epiphanius *Hærefi* 42. nu. 9., & S. Hieronymus in *Proœmio* in epift. *ad Titum*. Notum eft autem eam hærefim Romæ, in Italia, & poftea in Oriente altas radices egiffe: „ Qui ? Marcion, inquit S. „ Epiphanius *Hærefi* 42. nu. 1. ? infinita hominum multitudine variis artibus ad „ hocufque tempus illufa, ludum erroris aperuit. Atque hæc hærefis hodie „ non modo Romæ, & in Italia reperitur, fed & Ægyptum, ac Palæftinam, „ nec non Arabiam, ac Syriam, Cyprum, ac Thebaidem, immo etiam Per„ fidem, aliafque regiones longe eft lateque pervagata. Quibus in locis plu„ rimum nequiffimus dæmon calliditate fua, ac fraudolentia profecit „. Hinc vero natam apud quofdam Latinos minus peritos de hujus epiftolæ controverfiam putari poteft, accedentibus potiffimum argumentis ex diverfa dicendi ratione, & occultatione nominis, petitis, quibus etiam nonnullæ aliæ cauffæ robur adjecerunt, quæ, ut videbimus, tertio, & quarto feculo fubinde ortæ fuerunt.

Et re quidem vera hæc noftra conjectura etiam inde confirmari poteft, quia ex Romanis Scriptoribus Ecclefiafticis Cajus Ecclefiæ Romanæ presbyter fuit omnium primus, qui, tertio ineunte feculo, epiftolam *ad Hebræos* a ceteris Paulinis fegregavit, occafione cujufdam difputationis, ut refert Eufebius laudato loco, quam habuit adverfus quemdam Proclum propugnatorem hærefis Cataphrygarum. Cataphygæ autem, quamvis falfo, reponebant fundamentum fui erroris in epiftola *ad Hebræos*. Hinc vero factum fuiffe dici poteft, ut quum Cajus difficultatibus ex eadem epiftola petitis fatisfacere nequiret, eam Pauli effe negaverit, atque ita contra auctoritatem fuorum majorum infipienter egerit.

Hæc vero controverfia de epiftola ad Hebræos rurfus agitari cœpit tempore Novatianorum, tertio inclinante feculo. Novatus enim, ut tradit S. Epipha-

phanius *Hæresi* 59. nu. 1., lapsis *nullam spem salutis, sed unam dumtaxat esse pœnitentiam* asserebat, inque confirmationem sui erroris, uti affirmat idem S. Epiphanius num. 2., doctrinam Apostolicam epistolæ *ad Hebræos* Romanæ Ecclesiæ opponebat. Patres autem non ad impossibilitatem renovationis pœnitentiæ, sed baptismi referenda esse recte reposuerunt, quæ ex epistola *ad Hebræos* Novatiani obtendebant. Verum quum nonnulli id imperite non advertissent, de hujus epistolæ auctore, atque auctoritate dubitandum esse dixerunt. Hinc Philastrius 89. *Hæresi* inter ceteras rationes, ob quas a nonnullis existimatum esse dicit, epistolam ad Hebræos S. Paulo tribui non debere, hanc adducit, quod *faveret Novatianis*.

Tandem quarto Ecclesiæ seculo tempore Arianorum a quibusdam Latinis dubitari potuit de hujus epistolæ auctore Divinaque auctoritate. Ariani namque contra τό ὁμούσιον non solum multa opponebant desumpta ex Evangelio Joannis, sed etiam illa verba *Hebræorum* 1. v. 3.. *Qui quum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, sicut etiam ea cap. 3. v. 2. *Qui fidelis est ei, qui fecit illum*; exque iis inferebant Filium esse quid a Patre participatum, & distinctum, factum, & creaturam, ut tradidit S. Epiphanius *Hæresi* 69. nu. 14., 37., & 70. Inde vero contigit, ut aliqui Latini imperitiores, ut hanc sibi oppositam difficultatem declinarent, epistolam *ad Hebræos* Pauli esse inficiarentur. Et re quidem vera Philastrius prædicta *Hæresi* ob hanc quoque rationem a nonnullis epistolam ad Hebræos a Sancto Paulo abjudicatam affirmat, quia *Christum factum* in ea dicitur: *Corpore* autem, non *Divinitate factum* dici Philastrius recte monet, atque tradit legi in Ecclesia inter ceteras Divinas epistolas *& ad Hebræos interdum*. At vero S. Hilarius disertissimus Latinorum lib. 4. *De Trinitate* Apostoli dicendi rationem explicandam suscepit, & ab omni suspicione erroris, in quem Ariani impegerant, præclare vindicavit. Hoc idem etiam Græci Patres præstitere, uti S. Epiphanius, & S. Basilius epistola data ad Nyssenum fratrem. Hæreticorum ergo vitio factum fuit, non tamen quod ipsi de ea dubitarent, sicuti advertit Faber Stapulensis in cap. 2. hujus epistolæ, ut aliqui Latini imperitiores incerti fuerint, num epistola ad Hebræos Apostolo Paulo tribui deberet.

Ut autem singulis eo ordine, quo in objectione proposita sunt, modo satisfaciamus, Eusebii, & Hieronymi testimonia ita accipienda esse dicimus, ut quæ de ancipiti mente Latinorum quoad hanc epistolam testati sunt, ad ea tempora, quibus vixere, vel saltem iisdem proximiora, referri debeant, non vero ad prima Ecclesiæ secula. Simili ratione quando affirmant, *ab Ecclesia Romana, tamquam quæ Pauli non sit, contradici* huic epistolæ: putasse *plerosque* eam esse vel Barnabæ, vel Clementis: *multos Latinos* de ea dubitasse: *secundum Latinam consuetudinem* inter Canonicas scripturas non fuisse receptam; ita accipi debent, ut ad paucos quosdam, non vero plerosque Ecclesiæ Latinæ auctores referri debeant. Quandoquidem ipse Eusebius, postquam *Ecclesiast. Hist.* lib. 3. cap. 3. affirmavit: *Quod eidem* [hoc est epistolæ Pauli *ad Hebræos*] *ab Ecclesia Romana, tamquam quæ Pauli non sit, contradici*; hæc quoque subaddidit: *Nam illa ad hanc usque diem apud quosdam Romanos non existimatur esse Pauli*. Quosdam ergo, non plerosque, aut scientia, vel dignitate præstantiores, ita sensisse refert. Verum quidem est, affirmatum ab Eusebio fuisse *Ecclesiast. Hist.* lib. 3. cap. 38., quemadmodum supra monuimus, dum auctoritate Græcorum Patrum de hujus epistolæ auctore Divinaque auctoritate age-

re-

remus, propter conformitatem sententiarum, quæ est inter epistolam ad Hebræos, & Clementis, *verius videri esse* Clementis: verum Eusebium vel non secundum propriam opinionem id affirmasse, vel non semper in eadem sententia perstitisse, non solum monemur auctoritate Gobarii apud Photium Codice 232. (a) sed etiam ipsius Eusebii testimonio convincimur. Nam *Evang. Præparat.* lib. 12. cap. 13. uti Divinum, & sub Apostoli nomine laudat testimonium *Hebræorum* 8. v. 5., lib. 13. cap. 3. „ Ceterum, *inquit*, qui puniantur, „ fructum ex iis capere: quod non tantum a Philosopho, sed etiam a Scriptu„ ra confirmatur, dum ait: (b) *Quem enim diligit Dominus castigat*„. Et lib. 12. cap. 5. inquit: „ Quæ ad Hebræos, omnia longe ante, quam alii plerique „ justi, tum etiam Prophetæ pertulisse memorantur, quippe qui justissimi quum „ essent, tamquam injustissimi, (c) *lapidati sunt*, *secti sunt*, *tentati sunt*„.

Quamvis autem S. Hieronymus quandoque ea dicendi ratione usus fuisse videatur, ob quam significaverit, multos Latinorum putasse epistolam *ad Hebræos* non esse Pauli, atque Canonicam; tamen quum ipse quoque uti Divina, & sub nomine Pauli plura ex hac epistola testimonia deprompserit, uti observavimus, quum hac de re Patrum Latinorum auctoritate pugnaremus; ideo & de ipso quoque sentire possumus, vel non secundum propriam sententiam fuisse loquutum, vel non semper in eadem opinione perstitisse, vel demum quadam amplificatione usum retulisse ad multos, quæ nonnisi ad paucos referri poterant: nisi tamen cum Baronio ad annum Christi 60. nu. 52. dicere velimus, S. Hieronymum Eusebii auctoritate falsse deceptum, & majorem, quam par erat, fidem ei tribuisse, dum ob testimonium illius laudatam epistolam apud Latinos non fuisse receptam affirmavit. Verum quacumque tandem ratione res ista contigerit, illud apud unumquemque certum esse debet, nullum omnino dubium, Hieronymi præsertim ætate, subesse potuisse, num Ecclesia Romana epistolam ad Hebræos, uti Canonicam, Sanctoque Paulo tribuendam receperit. „ De no„ vissimis vero temporibus [ita recte Baronius ad laudatum Christi annum „ nu. 53.] quibus Hieronymus vixit, quid de his sentiret Romana Ecclesia, „ epistola Innocenti Papæ (d) ad Exuperium (ambo hi vivebant Hierony„ mi tempore: nam utriusque meminit) satis superque declarat, dum te„ xens in ea Romanus Pontifex catalogum librorum Divinorum, inter eos „ enumerat quatuordecim epistolas Pauli Apostoli. Sed ante Innocentium „ Papam extat decretum Romani Concilii, quod ad damnandam hæresim Apol„ linaris est celebratum sub Damaso Romano Pontifice, ubi novissimo loco „ actum est de libris Canonicis in hæc verba: *Item dictum est: nunc vero* „ *de Scripturis Divinis agendum est: quid Universalis Catholica recipiat Ec*„ *clesia, & quid vitare debeat. Incipit ordo Veteris Testamenti: Liber Gene*„ *sis* &c. Inferius vero in ordine Novi Testamenti inter epistolas Pauli recen„ sita habetur epistola ad Hebræos his verbis: *ad Hebræos una*. Habentur hæc „ in collectione Cresconiana omnium antiquissima, atque vetustissima, & in „ nostro codice, qui antiquitate nemini cedit, ponitur pag. 235. Porro dictum „ Concilium sub Damaso Romæ est celebratum, antequam Hieronymus scri„ pserit librum de Scriptoribus Ecclesiasticis: nam quum se illum scripsisse di„ cat

(a) Laudato Codice apud Photium Gobarius ita habet. *Eusebius, & multa veterum Patrum turba hanc epistolam Paulinis aliis accenset*.

(b) *Hebræorum* 12. v. 6.

(c) *Hebræorum* 11. v. 37.

(d) Epist. 3.

,, cat anno 14. Theodosii Imperatoris; Damasus, qui auctor decreti illius fuerat, jam anno 6. ejusdem Imperatoris ex hac vita decesserat. Sicque in re tam patenti de Romana Ecclesia nulla remanet amplius dubitatio. Quid vero pilohac? ita nu. 54. prosequitur doctissimus Annorum Ecclesiasticorum Parens? senserit eadem Romana Ecclesia, Gelasius fidem facit, [a] & alii Romani Pontifices... Quid etiam Galliæ, Alcimus Episcopus Viennensis, qui heroico carmine texens omnia scripta Canonica hoc versu recolit 14. epistolam Pauli. *Bis septena pii quod spargit epistola Pauli*. Quid præterea Hispaniæ, demonstrant Isidorus Episcopus Hispalensis [b] quid Ecclesia Affricana Concilium Carthaginense III. (c) atque etiam Augustinus declarat [d],,.

Quum vero S. Hieronymus ex epistola *ad Hebræos* plura, uti Canonica, non secus ac ex aliis Sacræ Scripturæ libris, testimonia sæpe deprompserit, eaque sub nomine Pauli laudaverit, uti jam demonstravimus; hinc est, ut eum sensisse hanc epistolam vel Canonicam, vel Divi Pauli non esse, existimari non debeat, quamvis aliquando ejusdem mentionem non fecerit, vel loqueus juxta sententiam aliorum de ea dubitasse aliquo modo ac prima specie visus sit.

Ex iis vero constat, quæ a S. Augustino, S. Isidoro Hispalensi, Rabano, nonnullisque aliis de incertitudine hujus epistolæ apud nonnullos Latinos tradita fuere memoriæ posterorum, ad quosdam tantum eorumdem Latinorum imperitiores referri debere, qui hæresi Marcionitarum, & subinde Arianorum inaniter commoti, quod illi in epistola S. Pauli præsidium reponebant, inscite metuentes, ut se ab omni difficultate expedirent, epistolam ad Hebræos dici Pauli, & Canonicam esse negarunt. Quia vero semper Ecclesia contra sensit, neque alicujus momenti fuit auctoritas eorum; ideo tum S. Augustinus, tum alii sine confutatione eam neglexerunt, atque quod erat in Ecclesia receptum, sequuti fuere.

Ex eo autem quod Tertullianus in lib. 5. *Contra Marcionem* non laudaverit testimonia ex epistola *ad Hebræos*, inferri a nemine debet, hanc epistolam admissam ab illo non fuisse. Uti enim hoc loci debebat iis testimoniis, quæ a Marcione probarentur. Marcion autem non admittebat epistolam *ad Hebræos*, uti testis est S. Epiphanius *Hæresi* 42. nu. 9., & S. Hieronymus in *Proœmio* in ep. *ad Titum*. Verum quidem est in libro *De Pudicitia* hanc epistolam Barnabæ a Tertulliano fuisse tributam; at sicut quoad alia multa, etiam quoad rem istam in hoc libro peccavit. Licet autem Barnabam hujus epistolæ auctorem esse falso putaverit, eam tamen ut Canonicam habuit, atque inde est, ut etiam ex hac epistola non secus ac ex aliis Sacræ Scripturæ libris, testimonia deprompserit, quemadmodum jam observavimus.

Adversus Proclum Montani sectatorem dum Cajus disputaret, uti laudato loco Eusebius refert, tredecim tantum Pauli epistolas recensuit. Id autem fecisse eodem errore ductum, quo, ut vidimus, quidem Latini fuerunt, dici debet; hoc est, ut ab iis difficultatibus sese expediret, quas Proclus una cum suis ex epistola *ad Hebræos*, licet præter omnem rationem, reponebat.

De Hyppolito autem præter hæc, quæ in laudato Codice Photius habet, necesse non est, ut alia superaddamus: *Refert cum alia non omnino proba*,

(a) In Concilio Romano in decreto de libris Canonicis.
(b) Lib. 6. *Originum*
(c) Canone 47.
(d) *De Doctrina Christiana* lib. 2. ca. 8.

ba, *tum epistolam ad Hebræos non esse Pauli Apostoli*.

S. vero Cyprianus ad nonnulla testimonia epistolæ *Hebræorum* aliquando appellavit, uti alibi observavimus; nullibi autem tradidit hanc epistolam non esse Canonicam, vel Apostoli Pauli. Mirandum vero non est, si Arnobius, Lactantius, nonnullique alii Apologistæ Christianæ Religionis de hac epistola nullam mentionem fecerint: id enim sibi proposuerunt, ut contra Ethnicos ipsa ratione pugnarent. Si quando ergo ex Sacris litteris nonnulla depromunt, vel id faciunt, ut etiam divinitus traditum esse demonstrent, quod per rationem compertum habemus, vel ut ipso quoque splendore Divinarum Scripturarum aciem suorum adversariorum percellere possint. Ceterum ut eos rationum firmitate confutent, hoc vero est, quod potissimum sibi proponunt. Quum ergo in epistola *ad Hebræos* peculiari modo de iis agatur, quæ sunt peculiariter elevata supra rationem, ideo etiam ex hoc capite non erat, cur de ea mentionem facerent.

Tandem quod nonnulli opponunt, ab aliquibus Commentaria edita esse in tredecim epistolas Apostoli Pauli, ea omissa, quæ inscribitur *ad Hebræos*, nullius momenti est. Plures enim hujus rei caussæ subesse potuerunt, quas ne divinando quidem consequi possumus. Anne ab expositione hujus epistolæ ob ea dubia retrahi non potuerunt, quæ de ea apud nonnullos imperitos circumferebantur? anne ipsa rei difficultate deterreri non potuere? anne demum etiam contingere non potuit, ut hujus epistolæ commentaria ab aliquibus omissa fuerint, quia, quum sit ultima omnium, viribus defecerint, vel aliter impediti fuerint, quando ei manus imponere constituerant? quam multa enim opera ob varias multiplicesque caussas imperfecta relinquuntur? Verum hæc de epistola ad Hebræos disseruisse sufficiat, atque illud concludamus adeo evidenter constare, eam S. Pauli, atque Canonicam esse, ut neque etiam ii, qui ex sui instituti ratione debebant, in dubium id revocare præsumpserint [a].

§. IV.

DE EPISTOLA S. IACOBI, SECUNDA S. PETRI, SECUNDA, ET TERTIA S. IOANNIS, ET DE EPISTOLA S. IUDÆ.

DE Auctoribus, Divinaque auctoritate harum epistolarum distinctis propositionibus peculiariter agemus, ut certius de utroque capite constare possit.

PROPOSITIO I. Epistola illa Novi Testamenti, quæ sub nomine Jacobi Apostoli circumfertur, est revera illius, atque Divina.

Prob. prop. Hujus ergo epistolæ non Jacobum fratrem Ioannis auctorem esse dicimus, sed Jacobum fratrem Domini minorem appellatum, qui fuit Jerosolymorum Episcopus [b] & a S. Paulo in epist. ad *Galatas* cap. 2. v. 9. in-

(a) Præter Flaccium, Chytræum, Palladium, Gesnerum, Gerardum, Hornetum, Calixtum, alios etiam recentiores a magistro suo Luthero quoad rem istam defecisse, Fridericus Spanhemius *Miscellaneorum Sac. Antiquit.* lib. 2. par. 1. cap. 9. nu. 3. observavit. Num. 4. illud quoque monuit a maxima parte *Reformatorum* hanc epistolam tribui Apostolo Paulo.

(b) S. Jacobum Minorem ab Apostolis Petro, Iacobo Majori, & Joanne Ierosolymorum Episcopum fuisse constitutum ex Antiquorum fide tradit S. Clemens Alexandrinus apud Eusebium *Hist. Eccles.* lib. 2. c. 1. Quod vero, & qua ratione in Synodo Jerosolymitana judicium ipse tulit post Petri aliorumque sententiam, eum Apostolica auctoritate præditum fuisse demonstrat.

inter Ecclesiæ columnas recensetur. Hic enim revera fuit Apostolus, quum S. Paulus ad *Galatas* 1. v. 19. dicat. *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*: ita etiam *Actorum* 15., in quo Apostolos statuisse legitur, ne Gentes legalia observarent, S. Jacobus Apostolis adnumeratur.

Quæ in hac epistola leguntur, cuncta sunt omnino digna viro divinitus inspirato; id tamen Sacer Auctor sibi peculiariter in ea proposuit, ut Simonis Magi hæresim refelleret, quæ Samariæ, atque non longe a Jerosolymis grassabatur. Solam autem fidem prærequiri ad salutem, non vero necessaria esse bona opera Simoniani ex illis falsò prætendebant, quæ habet Apostolus Paulus *Roman*. 3. v. 28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*. Hinc S. Augustinus lib. *De Fide, & Operibus* nu. 21. „ Quoniam ergo, „ *inquit*, hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Joan„ nis, Jacobi, & Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut ve„ hementer adstruant fidem sine operibus non prodesse: sicut etiam ipse Pau„ lus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, pla„ neque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: sed fi„ des, inquit, (a) *quæ per dilectionem operatur* „.

Apostoli vero nomen S. Jacobus suæ epistolæ non præposuit, vel quia aliunde, quum esset Antistes Jerosolymorum, & solus ex Christi discipulis Jacobi nomine superstes, notus erat Judæis ad Christi fidem conversis, vel ne nimis sibi tribuere videretur, quum scriberet ad eos, erga quos alii Apostoli jam defuncti erant munere Apostolatus, eosque ad fidem Christianam converterant. Hac etiam fortasse de caussa, neque Joannes, neque Judas in suis epistolis se inscripserunt Apostolos, quia eis, ad quos scribebant, vel soli, vel omnium primi non fuerant auctores, ut fidem Christianam amplecterentur. S. autem Petrus se Apostolum vocavit, quia erat caput omnium Ecclesiarum, idemque fecit etiam, una excepta epistola, ad Hebræos S. Paulus, tum ut sibi majorem auctoritatem vindicaret, tum ut se non esse amplius persequutorem omnibus palam faceret, tum demum quia Gentium Apostolus erat peculiariter constitutus.

Nunc autem videamus, quodnam de hujus epistolæ Auctore Divinaque auctoritate antiquissimorum tum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ Patrum judicium fuerit.

S. Clemens in sua 1. epist. ad *Corinthios* num. 31. appellat ad testimonium desumptum ex v. 21. cap. 2. hujus epistolæ, S. autem Ignatius in epistola ad *Ephesios* nu. 5. ad testimonium v. 6. cap. 4. ejusdem epistolæ. S. Irenæus li. 4. *Contra Hæreses* cap. 16. nu. 2. ad testimonium *Jacobi* 2. v. 23. S. Clemens Alex. *Stromatum* lib. 5. num. 14. „ Jam vero, *inquit*, cum hoc Domini dicto: [b] „ *Sit sermo vester, est, est: non, non*, alterum illud conferri possit „. Lib. 3. *Stromatum* num. 6. „ Eis autem, *inquit*, dicit Scriptura: [c] *Deus super*„ *bis resistit, humilibus autem dat gratiam* „. *Adversus Judæos* cap. 2. laudat Tertullianus testimonium *Jacobi* 2. v. 23. Origenes lib. 1. *De Principiis* nu. 6. & alibi sæpe ex hac epistola testimonia depromit. S. Dionysius Alex. in *Dialogo*: *quod Unus est Christus* ait: „ Et Jacobus ejus discipulus: *Fratres*, inquit, „ *nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi glo*„ *riæ* „. *Jacobi* 2. v. 1. S. Athanasius *Orat*. 3. *contra Arianos* nu. 61. „ Uti

„ nos

(a) *Ad Galatas* 5. v. 6. (b) *Jacobi* 5. v. 10. (c) *Jacobi* 4. v. 6.

„ nos, *inquit*, etiam Apostolus Jacobus his verbis docet : [a] *Volens genuit* „ *nos verbo veritatis* „. *Homilia in Paralyticum ad Piscinam* nu. 17. laudat S. Cyrillus Jerosolymitanus testimonium *Jacobi* 1. v. 13., & *Catechesi* 7. nu. 5. testimonium *Jacobi* 1. v. 17. S. Basilius *Tract. De Consolatione in Adversis* nu. 2., relato testimonio *Jacobi* 1. v. 2. & 3., ait : „ Inquit Jacobus in *Canoni*- „ *ca*. Item in sequentibus ponit, & dicit: [b] *Beatus vir &c.* „ *Orat.* 28. laudat testimonium *Jacobi* 2. v. 26. *Fides sine operibus mortua est*. S. Epiphanius *Heresi* 31. nu. 34. „ Cui, *inquit*, & Jacobus adstipulatur, de hujusmodi dog- „ matibus ita loquens : (c) *Non est enim ista sapientia desursum descendens* „. *Homil.* 2. nu. 5. in 1. caput *Genesis* laudat S. Joan. Chrysostomus testimonium *Jacobi* 2. v. 26. S. Hieronymus lib. 1. *Adversus Luciferianos* nu. 39. „ Transea- „ mus, *inquit*, ad Jacobum, qui frater Domini dicebatur ... Hic primus Epi- „ scopus ex Judæis Jerosolymæ credentis Ecclesiæ, ad quem Paulus cum Ti- „ to Barnabaque pergebat, loquitur in epistola sua : (d) *Nolite errare, fratres* „ *mei dilectissimi &c.* Ego enim (inquit S. Augustinus ep. etiam alias 193. nu. „ 13.) (quod confitendum est charitati tuæ) plus amo discere, quam docere. „ Nam & hoc admonemus, etiam dicente Apostolo Jacobo : (e) *Sit autem om-* „ *nis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum* „. Tandem S. Gregorius lib. 12. in cap. 15. *Job.* nu. 38. „ De quo, *inquit*, per Jacobum dicitur : (f) „ *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* „. lib. 17. in cap. 24. nu. 7. „ Hinc Jacobus dicit : [g] *Fides sine operibus mortua est* „. De Auctore ergo Divinaque auctoritate hujus epistolæ etiam testimonio Scriptorum Ecclesiasticorum diversarum ætatum, atque seculorum abunde constat.

Quamvis ergo universali denique Ecclesiæ consensione post Concilium Laodicenum epistola Jacobi uti Canonica habita fuerit; tamen etiam antea, atque omni tempore apud quasdam Ecclesias in numerum aliarum Sacrarum Scripturarum fuisse receptam etiam ex Eusebio constat *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. cap. 23. in quo de hac epistola ita habet : „ Quam quidem nonnulli spuriam, „ & suppositiam existimant. Sane pauci admodum ex vetustioribus (h) tum „ hujus epistolæ, tum illius Judæ, quæ & ipsa in septem Catholicarum nu- „ mero recensetur, mentionem fecere. Verumtamen has quoque cum ceteris „ in plurimis Ecclesiis publice lectitari cognovimus „. Unde etiam ipse uti Canonicam, & S. Jacobi Apostoli laudat apud S. Joannem Damascenum *Parallelo* 1. tit. 9. Hinc etiam Christinus quidam apud Leonem Allatium *Tractatu De Libris Ecclesiasticis Græcorum Dissert.* 1. lib. 7. *Topographiæ Christianæ* licet Catholicarum epistolarum auctoritatem multis oppugnet; tamen epistolam Jacobi una cum prima Petri, & Joannis apud Syros receptam esse testatur.

Dices. Hujus epistolæ Auctor cap. 2. v. 10. ita habet : *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

 Hæc

(a) *Jacobi* 1. v. 18.
(b) Ejusdem cap. v. 12.
(c) *Jacobi* 3. v. 15.
(d) *Jacobi* 1. v. 16.
(e) *Jacobi* 1. v. 19.
(f) *Jacobi* 1. v. 17.
(g) *Jacobi* 2. v. 20.
(h) Ex vetustioribus fuisse sane paucos, qui epistolæ Jacobi mentionem fecerint, simpliciter dici non potest. Eam enim, ut modo vidimus, laudarunt S. Clemens Romanus, S. Ignatius, S. Irenæus, S. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, & S. Dionysius Alexandrinus, qui omnes ætatem Eusebii præcesserunt. Ex horum vero testimoniis illud quoque conficitur, epistolam Divi Jacobi apud plures Ecclesias semper habitam fuisse Canonicam.

Hæc autem ab Evangelica æquitate omnino abhorrent: ergo.

R. S. Jacobum affirmare eo sensu, factum esse transgressorem omnium, qui in uno offenderit, ut quispiam sit trangressor legis, semel ac unum tantum mandatum non servaverit. Unde v. 11. superaddit: *Qui enim dixit: non mœchaberis, dixit: & non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem; factus es transgressor legis*. In hoc autem nihil contrarium Evangelicæ æquitati continetur.

PROPOSITIO. II. Epistola secunda, quæ S. Petro tribuitur, revera est illius, atque Divina.

Prob. prop. In hac epistola non solum nomen Apostoli, sed etiam Simonis Petri inscriptum est: hoc autem nomine S. Petrum Apostolum in Evangelio sæpe designari certum est. Deinde Auctor hujus epistolæ cap. 1. v. 16. Ita habet. *Non enim doctas fabulas sequuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis*. Sanctus autem Petrus fuit unus eorum, qui Jesu Christi transfigurationi interfuerant. Tandem ad alteram epistolam, quam ad eosdem dederat, hisce verbis appellat S. Apostolus cap. 3. v. 1. *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram fidem*. Dubitari ergo non potest utramque scriptam a S. Petro fuisse, adeoque esse utramque Divinæ auctoritatis.

Et re quidem vera talis habita fuit etiam ab antiquioribus Ecclesiæ Patribus. Sanctus enim Clemens in sua 1. epistola ad *Corinthios* nu. 11. eamdem laudat. S. Irenæus *contra Hæreses* lib. 5. cap. 23. num. 2. laudat testimonium II. *Petri* 3. v. 8. S. Clemens Alexand. in *Cohortatione ad Gentes* nu. 10. testimonium II. Petri 2. v. 2., *Pædagogi* lib. 3. cap. 12. testimonium II. Petri 4. v. 8. Origenes in *Leviticum homil.* 4. nu. 4. „ Et iterum, *inquit*, Petrus „ dicit: (a) *Consortes*, inquit, *facti estis Divinæ Naturæ*, quod est socii „. S. Athanasius *Orat.* 1. *contra Arianos* nu. 16. „ Nos enim quum ipsius Filii „ participes efficimur, Dei participes esse dicimur, idque ipsum est, quod „ ajebat Petrus: (b) *Ut efficiamini Divinæ consortes naturæ* „. S. Cyrillus Jerosoly. *Catech. Mystago*: 22. nu. 3. „ Sic, *inquit*, juxta Beatum Petrum, *Di-* „ *vinæ simus consortes naturæ* „. S. Basilius *Adversus Eunomium* lib. 5. *Quod non sit Creatura* laudat testimonium II. *Petri* 2. v. 4. S. Epiphanius *Hæresi* 66. nu. 64. „ Quod in epistola sua, *inquit*, Petrus indicat his verbis: (c) *Attendentes* „ *prophetico sermoni &c.* „. S. Hieronymus lib. 2. *Adversus Jovinianum* nu. 3. „ Petrus quoque (d) *novit*, inquit, *Dominus pios de tentatione eripere*; „ & de falsis doctoribus: (e) *Hi sunt fontes sine aqua &c.* De talibus dicit „ Apostolus Petrus, (f) (inquit S. Augustinus in *Psal.* 30. *Enarrat.* 3. num. 6.) „ *Facta sunt illis posteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non co-* „ *gnoscere viam justitiæ &c.* „. Tandem S. Gregorius Magnus in *Ezechielem* lib. 2. *homil.* 6. nu. 11. „ Et fuerunt quidam, *inquit*, qui secundam Petri epi- „ stolam, in qua epistolæ Pauli laudatæ sunt, ejus dicerent non fuisse. Sed „ si ejusdem epistolæ verba pensare voluissent, longe aliter sentire potuerant. „ In ea quippe scriptum est: (g) *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifi-* „ *ca*

(a) II. *Petri* 1. v. 4.
(b) Laud. loco.
(c) II. *Petri* 1. v. 19.
(d) II. *Petri* 2. v. 9.
(e) Ibidem v. 17.
(f) II. *Petri* 2. v. 20.
(g) II. *Petri* 1. v. 17.

„ *ea gloria: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Atque subjungitur: (a) *& hanc vocem nos audivimus, quum essemus cum ipso in monte*. Legant itaque Evangelium, & protinus agnoscent, quia quum vox ista de cœlo venit, Petrus Apostolus cum Domino in monte stetit. Ipse ergo hanc epistolam scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audivit „.

Dices. Diversa ratio dicendi in hac epistola adhibetur, ac in altera, quæ S. Petro vulgo tribuitur: utraque ergo S. Petro adjudicari non potest.

R. solam diversam rationem dicendi per se non sufficere, ut aliquis liber, seu epistola, ab aliquo auctore abjudicetur. Quod sane tunc potissimum contingit, quando tum intrinsecis, tum extrinsecis argumentis evinci potest aliquod opus ei revera tribuendum esse, cui vulgo tribuitur. Quum ergo & ex his, quæ in hac epistola continentur, & ex Veterum testimoniis jam demonstraverimus hanc quoque epistolam S. Petro tribui debere; non est, cur quispiam hac de re æquo jure dubitare amplius possit. Hinc recte Millius in *Prolegomenis ad Novum Testamentum* par. 1. nu. 129. „ Verum frustra, *inquit*, ex dissimilitudine styli diversorum eas esse colligitur, quas unius ejus demque auctoris esse aliis luculentis indiciis constat. Neque vero valet argumentum a sermonis diversitate ductum, quum multis modis fieri possit, ut idem Scriptor alio, atque alio dicendi charactere utatur „. Propter diversam dicendi rationem S. Petrum diverso interprete usum fuisse putat S. Hieronymus in epist. *ad Hebidiam* qu. 2. „ Duæ epistolæ, *ait*, quæ feruntur Petri, stylo inter se, & charactere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus pro diversitate rerum diversis eum usum Interpretibus „.

Falso autem Grotius initio *Adnotat.* in hanc alteram epist. S. Petri non solum ex diversa ratione dicendi se colligere posse putat hanc epistolam S. Petro tribui non debere, sed etiam quia multæ Ecclesiæ eam non receperint, & hæc epistola scripta fuerit post excidium Jerosolymitanum, quemadmodum, uti ipse inquit „ Ex capite 3. colligitur. Nemo enim Christianus ultimum mundi diem venturum credidit, nisi postquam evenisset eversio Judaici status. Post eam vero brevi admodum futuram mundi ruinam multorum animo obversabatur. Hic vero Scriptor Christianos vult patientes adhuc esse in illius diei expectatione, si forte sperato tardius adveniat: esse hoc signum magnæ Dei patientiæ, qui adhuc multos ex Gentibus, & Judæis ad se velit converti.

Esto itaque ante Concilium Laodicenum, in quo primum catalogus Divinarum Scripturarum auctoritate publica constitutus fuit, quod non omnes omnino Ecclesiæ hanc epistolam S. Petri receperint, quia apud eas, num revera Petri esset, certo non constiterat; tamen etiam ante Laodicenum Concilium a multis Ecclesiis tum in Oriente, tum in Occidente, uti Canonicam fuisse receptam, constat ex antiquiorum Patrum testimoniis, quæ supra retulimus. Horum vero auctoritatem per se quidem gravissimam, atque magni momenti, quum deinde omnes Ecclesiæ sequutæ fuerint, non video sane, cur Grotius cum paucis quibusdam aliis sequi non debeat.

Hanc vero epistolam scriptam esse post excidium Jerosolymitanum inde Grotius inepte infert, quia S. Petrus cap. 3. significat omnibus, ut cum patientia, atque longanimitate diem judicii expectent. Sanctus ergo Apostolus futurum prædicit, (b) „ Quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores,

(a) Ejusdem cap. v. 18.

(b) Laud. cap. v. 3. & seq.

„ res, juxta proprias conscientias ambulantes, dicentes: ubi est promissio, aut „ adventus ejus „? Ne itaque ab iisdem se seduci patiantur, eos, ad quos scribit, ita monet: (b) „ Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia u- „ nus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut unus dies. Non „ tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter „ agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti „. An vero ita eos præmonere non poterat, licet excidium Jerosolymitanum nondum contigisset? Profecto quam multa sunt, quæ Apostoli spiritu prophetico prævidentes nobis significarunt, licet eorum multa nondum evenissent, quæ præcedere debebant? Quid? anne spiritus Prophetarum eventui rerum ita alligatus fuit, ut nisi ea præcessissent, quæ præcedere debebant, futura prædicere non possent? Tandem nonne etiam ipse Christus de ultimo judicii die multa prædixit, quamvis Jerosolyma nondum excisa esset? Grotii ergo conjectura inanis est, nulliusque momenti.

COROLLARIUM.

Alterius epistolæ Sancti Petri auctoritate Divina, atque Canonica semel perspecta, ad evincendum epistolam ad Hebræos & Sancti Pauli, & Divinam esse, ex ea novum argumentum deduci potest.

Nam Sanctus Petrus in sua II. epistola cap. 3. v. 14. & seq. ita habet: „ Propter quod, charissimi, hæc expectantes, satagite immaculati, & inviolati inveniri in pace. Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam „ scripsit vobis: sicut & in omnibus epistolis loquens eis de his „. Sanctum vero Petrum non respexisse ad hæc verba, quæ leguntur *Romanorum* 2. v. 4. *An divitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* sed ad ea, quæ habentur *Hebræorum* 10. v. 34. 35. & 36., inde primo constat, quia Sanctus Paulus 2. *Romanorum* loquitur Judæis Incredulis, in epistola autem ad *Hebræos* iis, qui credebant, ad quos etiam Sanctus Petrus hanc suam epistolam misit. Verba deinde Sancti Pauli *Romanorum* 2. eo tendunt, ut redarguantur ii, qui abutuntur Divina misericordia, quo liberius peccent: ad *Hebræos* autem cap. 10. hortatur Christianos, ne amittant confidentiam, quæ magnam remunerationem habet. Simili ratione etiam S. Petrus veros Christianos monet, ut eum patientia diem Domini expectent.

Illud quoque in dubium revocari a nemine potest, Sanctum Petrum hanc alteram epistolam dedisse ad eosdem, ad quos etiam priorem dederat; hoc est ad *Electos advenas dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bythiniæ*, cum dicat in altera epistola: *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam*. Nomine autem *advenarum dispersionis* Judæi dispersi per orbem intelliguntur: nam Gentiles in his locis, quæ commemorat Sanctus Petrus, non erant advenæ; unde & cap. 2. epistolæ prioris v. 12. eos ita monet; *Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam*: ergo quum & Sanctus Paulus se ad eos scripsisse dicat, non aliam, quam epistolam ad *Hebræos* Sanctus Petrus

(b) Laud. cap. v. 8. & seq.

trus significare potuit (a). Quum vero de hac longanimitate, ad quam Sanctus Petrus in sua secunda epistola ad *Hebræos* laudato capite, etiam II. *Corint. 6. v. 6.*, ad *Galatas* 5. v. 22., ad *Colossenses* 1. v. 11., II. *ad Timot.* 3. v. 10., sermonem habeat; ideo S. Petrus illud quoque superaddidit: *Sicut in omnibus epistolis loquens eis de his.*

Propositio III. Secunda, & tertia epistola, quæ Sancto Joanni tribuuntur, illius revera, atque Divinæ sunt.

Prob. prop. Has ergo duas epistolas esse ejusdem auctoris, ac priorem; hoc est Sancti Joannis, immo tum easdem, tum Evangelium, quod inscritur secundum Joannem, eidem auctori tribui debere, inde primo evincitur, quia non solum eædem phrases, idemque dicendi modus in omnibus hisce epistolis, & in Evangelio occurrit, sed etiam phrasium constans uniformitas deprehenditur. Tanta enim, tamque multa, atque præclara sunt, quæ Sanctus Joannes tum in Evangelio, tum in suis tribus epistolis de charitate erga Deum, & proximum iisdem pene verbis disserit, ut præco charitatis a Deo peculiariter institutus esse videatur. Primo ergo expendamus, quæ sit in epistolis uniformitas verborum, atque sententiarum, deinde eadem de re etiam quoad epistolas, & Evangelium inquiremus: paucis tamen utrumque præstare conabimur, quia res per se est manifesta. *Qui autem*, inquit Sanctus Joannes epist. I. cap. 2. v. 3., *servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est*; epistola autem II. v. 6. *Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus*. Ita epistola I. cap. 2. v. 7. *Charissimi*, inquit, *non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio*; & epistola II. v. 5. *Non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus*; & v. 6. *Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis*. Similiter epistola I. cap. 5. v. 10. *Qui credit in filium Dei*, inquit, *habet testimonium Dei in se*: epistola autem II. v. 9. *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet*. Tandem epistola I. cap. 3. v. 6. *Omnis*, inquit, *qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum*: epistola vero III. v. 11. *Qui bene facit, ex Deo est; qui male facit, non vidit Deum*.

In epistola autem I. multa eorum, quæ leguntur in Evangelio, iisdem pene verbis expressa esse, unicuique constare poterit, si v. 5. cap. 1. epist. I. cum v. 12. cap. 8. Evangelii, v. 8. cap. 2. epist. I. cum v. 34. cap. 13. Evangelii, v. 8. cap. 3. epist. I. cum v. 44. cap. 8. Evangelii, v. 16. cap. 3. epistola I. cum v. 13. cap. 15. Evangelii, aliosque sane multos hujus epistolæ versiculos cum aliis versiculis Evangelii Joannis comparaverit. Ex quibus omnibus, illud consequitur, ut quoniam verba, phrases, & dicendi modus, quæ in secunda, & tertia epistola adhibentur, cum primæ epistolæ verbis, sententiis, atque dicendi modo, quantum illarum brevitas ferre potest, mirifice conveniunt, tum Evan-

(a) Consulatur Calmetius in cap. 3. II. epistolæ S. Petri, qui præter alia quæ affert, ut evincat S. Petrum respexisse ad epistolam S. Pauli ad Hebræos, hoc idem inde quoque demonstrat, quia multis de rebus, de quibus S. Petrus in hac epistola sermonem habet, habet quoque S. Paulus in epistola ad Hebræos. Etiam Cornelius a Lapide in laudatum caput præfatæ epistolæ tum ratione, tum auctoritate eamdem sententiam tuetur. Spanhemius vero in *Miscellanis ad Sacram Antiquitatem* lib. 2 cap. 2. ex laudato testimonio Apostoli Petri solide evincit epistolam ad Hebræos Apostolo Paulo tribui debere, unaque simul ea omnia sibi opponit, ob quæ putare quispiam fortasse posset, S. Petrum non respexisse ad epistolam S. Pauli ad Hebræos, eaque nullius momenti esse demonstrat.

Evangelii, tum omnium trium epistolarum & Sanctum Joannem auctorem, & eamdem Divinam auctoritatem esse.

Quum vero hæ duæ epistolæ posteriores ad Electam, & Gajum in Asia existentes directæ fuerint, ideo in Asia primum uti Canonicæ habitæ fuere. Sanctus Irenæus secundam bis laudavit; hoc est lib. 1. *Contra Hæreses* ca. 16., num. 3., & lib. 3. cap. 16. num. 8. Traditio Divinæ auctoritatis harum epistolarum ab Asia in Ægyptum cito transmeavit: nam *Ecclesiasticæ Hist.* lib 6. cap. 14. Eusebius refert, Clementem Alexandrinum eas quoque epistolas *Catholicas*, de quibus a nonnullis ambigebatur, admisisse. Et re quidem vera idem Sanctus Pater *Pædagogi* lib. 2. cap. 7. laudat testimonium III. *Joannis* v. 15. S. Clementem Alexander, & Athanasius seculo 4. sequuti fuere: ille namque apud Socratem *Hist. Eccles.* lib. 1. cap. 3. in epistola, quam scribit ad Fratres, qui sunt ubique gentium, secundam epistolam Joannis uti Divinam, atque Canonicam laudat, ipsique Joanni tribuit: S. Athanasius autem in *Synopsi Sacræ Scripturæ* ita habet: *Novi vero* (hoc est Testamenti) *determinati, & Canonici sunt isti*. Alios priores suo ordine recenset, ad Joannem autem deveniens ait: *Joannis tres*; (epistolæ) *& prima quidem initium est*: Quod erat a initio &c. *Secundæ vero initium*: Senior Electæ Dominæ &c. *Tertiæ exordium*: Senior Gajo dilecto &c., *De Adoratione in Spiritu, & Veritate* lib. 8. laudat S. Cyrillus secundum epistolam Joannis, eamque Apostoli Domini esse dicit. Etiam in Africa primis Ecclesiæ seculis hæ epistolæ Divinam auctoritatem habuerunt, ut constat ex Tertulliano in lib. *De Præscriptionibus* cap. 12. & 33., & in libro *Adversus Hæreticos* cap. 33. inquit: *At in epistola*; hoc est Joannes, cujus mentionem supra fecit, *eos maxime Antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse*, uti legitur II. *Joannis* v. 7. Quin etiam ab Ecclesia Jerosolymitana has epistolas uti Divinas receptas fuisse testimonio Santi Cyrilli Jerosolymitani *Catechesi* 4. *Illuminatorum* nu. 36. compertum habemus. Idem apud Syros contigisse S. Ephrem tom. 3. in *Paræneticis Parænesi* 47., & apud Cyprios S. Epiphanius *Hæresi* 26. nu. 25. fidem faciunt. De Phrygia autem, & Asia Patres Concilii Laodiceni idem testantur. Tandem quoad Italiam habemus testimonium Luciferi Episcopi Calaritani, qui in lib. *De non conveniendo &c.* secundam epistolam, & quidem sub nomine Joannis, laudavit: atque S. Ambrosii, qui in *Comment. in psal.* 36. num. 60. *& Joannes senex*, ait, *cœpit scribere Evangelium, vel epistolas, qui quum refugeret Apostolum se scribere, Seniorem scripsit*.

Quod autem aliqui has duas epistolas tribuant alteri cuidam Joanni, Presbytero vulgo nuncupato, curandum non est, quia sine ulla ratione hoc faciunt, & falso a voce *πρεσβύτερος* in illam opinionem abducti sunt. Harum enim epistolarum inscriptio talis est, ut privato cuidam, etiam Episcopo convenire non possit. Porro Joannes Presbyter dictus fuisset: *Ιωάννης πρεσβύτερος*, vel *Ιωάννης ὁ πρεσβύτερος*, vel etiam *ὁ πρεσβύτερος Ιωάννης*. At *ὁ Πρεσβύτερος* solitarie sumptus quid præcellentius significat, quod nostro Apostolo maxime convenit, qui erat plusquam nonagenarius, & omnibus Asiaticæ Ecclesiæ provinciis præsidebat. Alterum quidem Joannem, Presbyterum vocatum, Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum ab Apostolo ordinatum fuisse *Constitution. Apostolic.* Auctor lib. 7. cap. 46. tradit; verum omnibus Ecclesiis Asiaticis iste non præfuit, & hac de caussa in eas habe-

habere non potuit omnem illam auctoritatem, qua Sanctus Joannes epist. III. v. 10. se usurum minatur. Papias autem apud Eusebium *Hist. Eccles.* lib. 3. cap. 39. duos quidem Joannes eodem tempore vixisse tradit; verum ab altero, quam ab Apostolo, has epistolas scriptas fuisse non affirmat.

Neque est, cur quispiam opponat testimonium S. Hieronymi in *Catalogo Ecclesiasticorum Scriptorum* in *Joanne* dicentis has duas epistolas Joanni presbytero adjudicandas esse: nam hoc loci Sanctus Doctor refert opinionem aliorum; unde hæc superaddit „. Super qua re quum per ordinem ad Papiam ejus auditorem ventum fuerit, differemus „. Ita autem in *Papia* habet: „ Hoc autem diximus propter superiorem opinionem, quam a plerisque retulimus traditam, „ duas posteriores epistolas Joannis, non Apostoli esse, sed Presbyteri „. Ipse autem horum opinionem sequutus non fuit, utpote quæ, uti jam vidimus, falso fundamento innitebatur: nam in epistola 85. *Ad Evagrium* tam secundam, quam tertiam epistolam S. Joanni tribuit, & in *Commen.* in cap. 1. epistolæ *Ad Titum* v. 8. & 9. „ De quibus puto, *inquit*, & Joannem ad Gajum scribere: (a) *Charissime: fideliter facis, quodcumque operaris in fratres* „.

Quicumque ergo tandem ii *plerique* fuerint, qui duas epistolas posteriores Joannis non esse putarunt, & auctoritatem eorum Sanctus Hieronymus sequutus non fuit, & nihili faciendam esse colligitur ex iis, quæ supra disseruimus: nam ab antiquissimis temporibus hæ duæ quoque epistolæ apud multas easque florentissimas Ecclesias, uti Joannis, atque Canonicæ, habitæ fuerunt.

Ex hisce vero omnibus facile refelluntur, quæ Grotius initio *Adnotationum* in 2. epist. Joannis opponit; hoc est, has duas epistolas Joanni tribui non debere, tum quia simul extitere duo Joannes, unus Apostolus, alter Presbyter, atque discipulus illius, tum quia Auctor harum epostolarum se non vocat Apostolum, & apud plures gentes hæc epistolæ receptæ non fuere. Quod vero addit probabile non fuisse, extitisse aliquem, qui Apostolo resisteret, sicuti revera Diotrephes fecit, nullius momenti est: non solum enim ceteris Apostolis, sed etiam ipsi Christo multi fuerunt, qui aperte contradicerunt. Quæ autem ultimo ex Clementinis opponit, etiamsi vera essent, nihil tamen illi faverent.

Propositio. IV. Epistola, que Judæ Apostolo tribuitur, illius revera, atque Divina est.

Prob. prop. Auctor hujus Epistolæ, uti ex inscriptione ejus manifestum habemus, est Judas Apostoli Jacobi frater, sive Thaddæus Apostolus Alphæi filius: quem enim Matthæus, atque Marcus Thaddæum vocant, is a Sancto Luca tum in Evangelio, tum in Actis Apostolorum Judas Jacobi dicitur. Sua ergo pia desideria Apostolo digna postquam S. Judas exposuit, monet eos, ad quos illam dedit, ad hanc se epistolam scribendam compulsum fuisse ex debita sollicitudine sui Apostolici muneris: *Charissimi*, inquit v. 3., *omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis*. Postquam vero eos monuit de multis, pro sui officii ratione etiam rogat, [b] ut sint memores *Verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi*. Quum ergo & Evangelistarum auctoritate doceamur, Judam Jacobi fratrem fuisse Apostolum, & hujus epistolæ Auctor Judam Jacobi fratrem sese inscribat, tam de Auctore, quam de Divina auctoritate hu- jus

(a) III. Joanni v. 5. (b) V. 7.

jus epistolæ apud antiquissimos Christianorum dubitari nequit.

Hanc autem epistolam uti Canonicam, & Divinam a multis rejectam esse, licet Eusebius *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. ca. 23. tradat; tamen lib. 2. ca. 23. hæc habet: *Ex iis vero, quæ in dubium revocantur, a multis tamen commemorari videmus, est epistola, quæ dicitur Jacobi, & Judæ*. Eam ergo uti Canonicam laudavit, & Apostolo Judæ tribuit S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 3. num. 1., & *Pædagogi* lib. 3. cap. 8., in quo ita habet: „ Qui enim „ non similiter peccarint, ac ii, qui puniti sunt, nunquam peccatoribus simi- „ les pœnas dederint, ut qui peccando pœnam quoque caverint. *Volo enim* „ *vos scire*, inquit Judas, [a] *quod Deus, qui semel servavit populum ex Æ-* „ *gypto &c.* „ *De Habitu Muliebri* cap. 3. *Eo accedit*, inquit Tertullianus, *Quod Enoch apud Judam Apostolum testimonium possidet* (b). Origenes tom. 13. in *Joannem* num. 37., non secus ac Divinum Scripturæ testimonium laudat illud *Judæ* v. 6. *Angelos vero, qui non servaverunt &c.* & Apostolo Judæ tribuit: „ Quomodo etiam, *inquit*, quod Judas Apostolus in epistola Ca- „ tholica dicit, poterit explanari: ait enim ita: *Angelos quoque qui non ser-* „ *vaverunt suum principatum &c.* „. Comment. in Matt. tom. 13. num. 27. inquit: „ Et in Judæ epistola: (c) *Qui sunt in Deo Patre, dilectis, & Jesu* „ *Christo conservatis, & vocatis*; plane ab Angelis custodibus „. S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catech.* 15. num. 10. appellat ad testimonium *Judæ* v. 14. Hæc epistola S. Judæ laudata quoque legitur etiam apud S. Ephræm Syrum tom. 3. *De Timore Dei: De Pœnitentia: Adversus Hæreticos: De Consummatione hujus seculi*. S. Epiphanius *Hæresi* 26. num. 11. *De quibus*, inquit, *adeo mihi commotus videtur in Apostolo Juda Spiritus Sanctus*; *hoc est in Catholica illius epistola*: laudat deinde quæ leguntur in epistola Judæ v. 10. S. Isidorus Pelusiota Epist. lib. 4. epist. 58. illud *Judæ* v. 13. *Sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum*, non secus ac fecerat in ceteris epistolis quoad alia multa Sacræ Scripturæ testimonia, explicandum sibi proponit.

Quamvis autem non eodem tempore ab Occidentalibus, ac ab Orientalibus Scriptoribus hanc Judæ epistolam laudatam fuisse inveniamus; tamen etiam in Occidente primis Ecclesiæ temporibus illa recepta fuit. Nam si acephalum illud fragmentum, quod Cajo Romano Presbytero tribuendum esse Muratorius in *Antiquitatibus Italicis medii ævi* tom. 3. dissert. 43. probabiliter conjecit, huic Scriptori revera tribuatur; tunc tertio ineunte seculo etiam a Latinis Scriptoribus hujus epistolæ, sicuti Judæ, atque Canonicæ, mentionem factam fuisse, dicere possumus. In eo enim etiam *epistola Judæ* recensetur inter ceteras Scripturas Canonicas. Quæcumque autem hac de re Criticorum sententia sit, illud certum est, Luciferum Episcopum Calaritanum, qui juxta S. Hieronymum anno 370. vivere desiit, in lib. *De non conveniendo cum Hæreticis* hanc epistolam sub nomine *Judæ gloriosi Apostoli* laudasse. Idem deinde fecit S. Ambrosius *Comment.* in *Lucæ* cap. 8. lib. 6. nu. 43., & S. Hieronymus, qui non solum epist. 17. ad *Marcellam* hanc epistolam *Canonicam* appellat, sed etiam in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* in *Juda* testatur suo tempore *Auctoritatem vetustate jam, & usu meruisse, & inter Sanctas Scripturas computatam esse*. Unde inter Scripturas Canonicas eamdem computavit S. Augustinus li. 2. *De*

(a) *Judæ* v. 5. (b) *Judæ* v. 14. (c) *Judæ* v. 1.

De Doctrina Christiana num. 13., S. Gregorius Magnus in caput 10. *Job.* lib. 9. nu. 68., & ceteri deinde Ecclesiæ Latinæ Scriptores.

Dices. Sanctus Judas quum laudet testimonium ex libro apocrypho Henoch, veluti propheticum, argumento id esse debet, hanc epistolam revera neque illius, neque Divinam esse. Deinde hujus epistolæ Auctor post Apostolos se vixisse tradit hisce verbis v. 17. & 18. ,, Vos autem, charissimi, ,, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Je- ,, su Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illu- ,, sores ,,: ergo Sanctus Judas non conscripsit hanc epistolam.

R. cum S. Augustino lib. 15. *De Civit. Dei* cap. 23. nu. 4., quod ,, Scri- ,, psisse quidem nonnulla Divina Enoch illum septimum ab Adam, negare non ,, possumus, quum hoc in epistola Canonica Judas Apostolus dicat. Sed non ,, frustra non sunt in eo canone Scripturarum, qui servabatur in Templo He- ,, bræi populi succedentium diligentia Sacerdotum, nisi quia ob antiquitatem ,, suspectæ fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent, quæ ille scripsisset, po- ,, terat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis re- ,, perirentur rite servasse ,,. Idem quoque repetit lib. 18. *De Civit. Dei* cap. 38., in quo etiam congruentem rationem affert, cur multa eorum, quæ a Sanctis viris scripta esse leguntur in Sacris litteris, vel perierint, vel Divinæ auctoritatis ea esse non constet: ,, Quid Enoch, *inquit*, septimus ab Adam? ,, nonne etiam in Canonica epistola Apostoli Judæ prophetasse prædicatur? ,, Quorum scripta ut apud Judæos, & apud nos in auctoritate non essent, ni- ,, mia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne ,, proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum ,, esse dicantur ab eis, qui pro suo sensu, passim quod volunt, credunt. Sed ,, ea castitas canonis non recepit, non quod eorum hominum, qui Deo pla- ,, cuerunt, reprobetur auctoritas, sed quod ista esse non credantur ipsorum. ,, Nec mirum debet videri, quod suspecta habentur, quæ sub tantæ antiqui- ,, tatis nomine proferuntur: quandoquidem in ipsa historia Regum Juda, & ,, Regum Israel, quæ res gestas continet, de quibus eidem Scripturæ Cano- ,, nicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur, & in ,, libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetæ scripserunt, & alicubi eorum ,, quoque Prophetarum nomina non tacentur; non tamen inveniuntur in ca- ,, none, quem recepit populus Dei. Cujus rei fateor caussa me latet; nisi ,, quod existimo, etiam ipsos, quibus ea, quæ in auctoritate religionis esse ,, deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica di- ,, ligentia, alia sicut Prophetas inspiratione Divina scribere potuisse; atque ,, hæc ita fuisse distincta, ut illa tamquam ipsis, ista vero tamquam Deo per ,, ipsos loquenti judicarentur esse tribuenda; ac sic illa pertinerent ad uber- ,, tatem agnitionis, hæc ad religionis auctoritatem: in qua auctoritate custo- ,, ditur canon, præter quem si quæ jam etiam sub nomine veterum Prophe- ,, tarum scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientiæ valent, quoniam ,, utrum eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est; & ob hoc eis non ,, habetur fides, maxime his, in quibus etiam contra fidem librorum Cano- ,, nicorum quædam leguntur, propter quod ea prorsus esse non apparet il- ,, lorum ,,.

Ex hisce vero constat præter omnem rationem agere eos, qui a Juda

hanc epistolam abjudicandam inde esse arbitrantur, quia Enoch testimonium in ea laudatur.

Quamvis autem Sanctus Judas simul vixerit cum Apostolis, eorum tamen epistolas laudare potuit, quia postremus ab illis suam scripsit. Et re quidem vera nonne Sanctus Petrus in sua secunda epistola, quemadmodum in corollario secundæ propositionis hujus §. demonstravimus, facit mentionem epistolarum Divi Pauli, quamvis utrique simul vixerint, simulque martyrio coronati fuerint? Cur ergo hoc idem etiam Sanctus Judas facere non potuit?

Corollarium.

Epistolæ Sancti Judæ Divina auctoritate semel perspecta, etiam Divina auctoritas epistolæ secundæ Sancti Petri magis magisque comprobatur.

Hisce enim verbis, quæ v. 17., & 18. epist. Sancti Judæ leguntur: „ Vos „ autem, charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apo- „ stolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo „ tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietati- „ bus „ manifestum est Sanctum Apostolum appellasse ad ista, quæ Sanctus Petrus in sua secunda epistola cap. 3. v. 3. tradiderat: *Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias conscientias ambulantes*. Utrobique enim mentio fit de iis illusoribus, qui *secundum sua desideria, vel juxta proprias conscientias* in impietatibus ambulaturi erant. Quia vero S. Petrus de istis affirmat, quod diem adventus Domini derisuri essent, (a) dicentes: *Ubi est promissio, aut adventus ejus? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ*; & hac de caussa monet Fideles, oportere eos (b) *Esse in sanctis conversationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in adventum diei Domini*; ita etiam Sanctus Judas ita adhortatur omnes: (c) „ Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam „.

Hoc vero est, de quo etiam nostri Fideles contra Incredulos hujus ætatis monendi sunt: nam & hi quoque ita oblaterant: *Ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ*; & quum commonstrare possint, nonnulla jam prædicta suo ætate non evenisse (quæ tamen non evenerunt, quia tempus a Deo constitutum, quo evenirent, nondum advenit, aliunde vero infallibiliter futura esse ex iis, quæ jam contigerunt, unicuique compertum esse debeat) suis falsis ratiocinationibus plures in errorem inducere conantur. Ex iis ergo, quæ longo ante tempore prædicta jam adimpleta sunt, illorum quoque, quæ superest, ut adimpleantur, certissimam habere rationem omnes obsecramus, atque interim Sancti Judæ Apostoli verbis unumquemque in Domino monemus: „ Charissimi, „ superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto oran- „ tes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Do- „ mini nostri Jesu Christi in vitam æternam „.

Scho-

(a) II. Epist. cap. 3. v. 4. (b) Laud. cap v. 11., & 12. (c) In sua epist. v. 20., & 21.

Scholion I.

Quamvis epistola S. Jacobi, secunda S. Petri, secunda, & tertia S. Joannis, atque unica Sancti Judæ, non statim ubique ab omnibus, sicuti aliæ Canonicæ, receptæ fuerint; non tamen Deistæ propter hoc, si æqua ratione agere velint, earumdem Divinam auctoritatem rejicere possunt.

Primo enim non habent, cur contemnant auctoritatem tantorum virorum, qui jam a primis Christianæ Religionis temporibus harum epistolarum Canonicam auctoritatem agnoverunt. Deinde omni ætate apud celeberrimas, easque florentissimas, & antiquissimas Ecclesias hæ epistolæ & iis, quibus nunc quoque tribuuntur, adjudicatæ, & eodem in pretio, ac ceteri libri Canonici, habitæ fuere. Tandem an ne se comparare possunt cum tot Sanctissimis Patribus, præcellentissimis Doctoribus, summis totius Ecclesiæ Præsulibus, quorum communi consensione factum deinde fuit, ut hæ quoque epistolæ in Canonem Sacrarum Scripturarum ubique reciperentur?

At vero ex eo quod in Canonem Sacrarum Scripturarum non statim ab omnibus receptæ fuerint, duo inde consequi contendo, quæ contra Deistas æque faciunt. Prius est; ab Ecclesiis diligentissimam curam habitam esse, ut viderent, num revera ii libri, quos Sacro Canoni adnumerabant, divinitus inspirati forent: alterum vero; de Divina inspiratione illorum librorum, quos subinde in Sacrum Canonem receperunt, omnem ab iisdem certitudinem acquisitam fuisse. Quandoquidem nulla alia ratio afferri potest, cur omnes Ecclesiæ Orientis, atque Occidentis hisce libris eamdem auctoritatem tribuendam esse judicaverint, ac omnibus aliis, quos primo receperant, nisi quia de eorumdem Divina inspiratione paulatim omnis dubitatio sublata fuit, atque esse eos Auctorum divinitus inspiratorum omnino constitit. Et re quidem vera an fortasse secundum judicium omnium Ecclesiarum res erat parvi momenti, num aliquis liber in Sacrum Canonem referretur? Profecto quum libris divinitus inspiratis omnem fidem adhibendam esse Ecclesia semper firmissime tenuerit, proindeque & ea dogmata suscipienda, & illis præceptis obtemperandum, quæ in iisdem continerentur; fieri non potuit, quin, si aliquos subinde communi consensione in Sacrum Canonem recepit, de eorum Divina inspiratione omnem certitudinem habuerit. Si ergo Ecclesia has epistolas, de quibus usque modo disputavimus, in Sacrum Canonem recepit, eæ quoque non secus, ac aliæ omnes, uti Canonicæ, & divinitus inspiratæ, habendæ sunt.

SCHOLION II.

Etsi alia scripta, prater Canonica, uti Hermæ Pastor, epistolæ Barnabæ, Clementis, Polycarpi, & Ignatii, jam ab initio publice in Ecclesia lecta fuerint; tamen non est, cur quispiam inde inferat, etiam ea in Sacrum Canonem non secus, ac epistolas ad Hebræos, Sancti Jacobi, secundam Sancti Petri, secundam, & tertiam Sancti Joannis, atque unicam Sancti Judæ, recipi debuisse.

Tolandus ergo inepte calumniatur (a) epistolas ad Hebræos, Sancti Jacobi, secundam Sancti Petri, secundam, & tertiam Sancti Joannis, atque unicam Sancti Judæ præter omnem rationem in Sacrum Canonem fuisse receptas, quia easdem ab initio Ecclesiæ rejecerunt: contra autem Hermæ *Pastorem*, epistolam Sancto Barnabæ vulgo tributam, epistolas Clementis, Polycarpi, & Ignatii omnino immerito a Sacro Canone rejecta fuisse, quia jam ab initio in Ecclesia publice legi consueverunt. Quandoquidem publica lectio, quæ vel *Pastoris* Hermæ, vel epistolarum Sanctorum Barnabæ, ut inscribitur, Clementis, Polycarpi, & Ignatii in aliquibus Ecclesiis facta fuerit, argumento tantum esse potest, putasse Fideles, plura in iisdem ad Christianam pietatem fovendam sane utilia contineri, non vero ea habuisse pro libris divinitus inspiratis. Nam Veteres Patres non solum scripta Prophetarum, & Apostolorum in Ecclesia legere consuevisse, quando Fideles ad Missarum solemnia conveniebant, sed etiam Summorum Pontificum, & Episcoporum epistolas, atque potissimum eas, quas *Pacificas*, sive *Communicatorias* vocabant, testata res est [b]. Quis tamen hæc quoque scripta in Sacrum Canonem referri debuisse inde putaverit? Esto itaque Hermæ *Pastorem* apud quasdam Ecclesias Græciæ, ut tradit S. Hieronymus in *Herma* in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, publice legi consuevisse, atque etiam de epistola tributa Barnabæ si hoc idem factum fuisse, quispiam contendat, per me licet: nam S. Hieronymus in laudato *Catalogo* in *Barnaba* eam pertinere affirmat *ad ædificationem Ecclesiæ*: similiter epistolam Sancti Polycarpi in *Asiæ conventu*, eodem Hieronymo testante in *Polycarpo*, & S. Clementis, uti affirmat Eusebius *Ecclesiast. Hist.* lib. 3. cap. 12., publice in Ecclesia lectas; sicut etiam Sancti Ignatii epistolas summo in honore semper habitas fuisse constet; tamen hæc omnia scripta in Sacrum Canonem referri debuisse, dici non potest. Et quidem S. Irenæum Hermæ *Pastorem* uti divinitus inspiratum lib. 4. *Contra Hæreses* cap. 20. num. 2. laudasse, nonnullosque alios Patres primorum seculorum ab iis libris, qui a nobis apochryphi habentur, non aliter, ac si divinitus inspirati essent, testimonia desumpsisse, compertum habemus. Verum ex hoc potissimum inferri debet, diligentissime semper cautum ab Ecclesia fuisse, ne qui non debebant, in Sacrum Canonem libri reciperentur, ita ut non unius, aut alterius etiam suorum Doctorum, fuerit contenta testimonio, sed rem ipsam multo diligentissime expenderit. Nam in hoc peculiari Spiritus Sancti gratia semper fuisse di-re-

(a) Apud Stackhouseum in lib. inscripto *Le Sens Litteral de l'ecriture Sainte* tom. 1. ch. 3.

(b) Consulatur Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum* lib. 1. cap. 6. nu. 2.

rectam, non est, cur commemorem contra hominem, qui omnem Divinam Revelationem negat. Epistolas autem ad Hebræos, Sancti Jacobi, secundam Sancti Petri, secundam, & tertiam Sancti Joannis, atque unicam Sancti Judæ jam inde ab initio universaliter ab omnibus fuisse rejectas, impudentissimum Tolandi mendacium est, ut constat ex iis, quæ de hisce epistolis usque modo disseruimus.

§. V.

DE APOCALYPSI BEATI JOANNIS APOSTOLI.

HUnc quoque Sacrum librum non minus Joannis Apostoli, quam Divinum esse, demonstrabimus. Et sane a centesimo & amplius anno, quo hic liber scriptus fuit, neminem unum reperies, qui vel de auctore, vel de Divina auctoritate illius serio dubitaverit. Immo Eusebius *Ecclesiast. Historiæ* li.3. cap. 25. postquam inter alios Sacros libros etiam Apocalypsim recensuit, ita concludit: *Et hæc quidem communi omnium consensu recepta sunt*. Cujus omnium primus Ecclesiæ Romanæ Præsbyter, quum Cataphrygas ad millenarium regnum adstruendum auctoritate Apocalypsis recte uti posse falso putaret, eo ductus fuit, ut in disputatione contra Proclum principem horum hæreticorum illius libri auctoritatem rejiceret, & sub nomine Joannis a Cerintho scriptum diceret, ut constat ex Eusebio *Eccles. Hist.* lib. 3. cap. 28. Dionysius autem Alexandrinus licet hujus libri Divinam auctoritatem admittat, tamen eum Joanni Apostolo tribuendum esse negat. Hoc autem pluribus suadere contendit, sicuti apud Eusebium legere est *Hist. Eccles.* lib. 7. cap. 25. Præter recentiores, nonnulli quoque alii antiqui hæretici fuerunt, qui Apocalypsim uti librum divinitus inspiratum non habuere, sicuti ex Tertulliano colligitur lib. 4. *Contra Marcionem*, & ex S. Epiphanio *Hæresi* 51., & 54. Nos ergo quod proposuimus, contra Deistas potissimum modo propugnabimus.

PROPOSITIO Apocalypsis & Sanctum Joannem Apostolum Auctorem habet, & est liber divinitus inspiratus.

Prob. prop. „ In hac persequutione [hoc est Domitiani [inquit Eusebius „ *Eccles. Hist.* lib. 3. cap. 18.] Joannes Apostolus, idem & Evangelista, qui „ etiam tum in vivis supererat, ob testimonium, quod Divino verbo perhibe- „ bat, in insulam Patmum traditur esse relegatus „ at hic est ille Joannes, qui Apocalypsim scripsit : „ Ego Joannes frater vester (ita legitur *Apocaly-* „ *psis* cap. 1. v. 9.) & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in „ Christo Jesu, fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, „ & testimonium Jesu „ : ergo. Et re quidem vera illum Joannem, de quo Eusebius lib. 3. *Eccles. Hist.* cap. 39. ex Papia mentionem fecit, & simul cum Joanne Evangelista in Asia vixisse dicit, aliquid scripsisse, aut ob fidem exilium passum esse, a nemine invenimus fuisse traditum memoriæ posterorum.

Deinde statim hujus sacri libri initio ita legimus : „ Apocalypsis Jesu Chri- „ sti, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri ci- „ to: & significavit mittens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testi- „ monium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu Christi quæcumque vi- „ dit „. Quisnam vero alius, præter Joannem Apostolum, atque Evangelistam,

se perhibuisse testimonium de verbo Dei, atque de iis omnibus, quæ a Jesu Christo gesta esse conspexerat, cum veritate affirmare poterat?

Tandem anne alius, præter Joannem Apostolum, & Evangelistam, super Asiæ Ecclesias supremam præfecturam habuit? atqui Auctor Apocalypsis ex iis, quæ scribit ad plures Ecclesias Asiæ, se illis præesse demonstrat: ergo.

Neque minus de hujus libri Divina auctoritate constat. Nam *Apocalypsis Jesu Christi* dicitur, (a) quæ Joanni facta fuit, ut servis suis eam manifestaret. *Prophetia* quoque appellatur (b), ideoque esse non potest, quin sit opus viri divinitus inspirati. Hinc Joannes, qui scripsit verba hujus prophetiæ, inter Prophetas recensetur (c); eaque, quæ scripsit Ecclesiis Asiæ, non veluti sua tradidit, sed ejus, (d) *qui tenet septem stellas in dextera sua*, qui est (e) *Primus, & novissimus*, qui (f) *habet oculos, tamquam flammam ignis, & pedes ejus similes aurichalco*, qui (g) *habet septem spiritus Dei, & septem stellas*, [h] *qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*. Unde mirandum non est, si de isto libro eamdem, quæ Moyses de lege sibi a Deo tradita, Joannes sub finem illius hisce verbis pronunciet: (i) „ Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: si quis „ apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. „ Et si quis diminuerit de verbis prophetiæ hujus, auferet Deus partem eius „ de libro vitæ, & de civitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in li„ bro isto „.

At vero utriusque rei, quam usque modo demonstravimus; hoc est *Apocalypsim* & Joannis Apostoli, atque Evangelistæ, & divinitus inspiratam esse, in traditione quoque Ecclesiarum perspicuum argumentum habemus. S. Clemens in sua 1. epist. ad *Corinthios* num. 34. appellat ad testimonium *Apocalypsis* 22. v. 12. S. Justinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone* num. 81. *Apocalipsis* testimonium affert, & Sancto Joanni Apostolo tribuit. Sunt vero propemodum infinita testimonia, quæ ex *Apocalypsi* depromit S. Irenæus in suis libris *Contra Hæreses* „ Sed & Joannes [inquit lib. 4. cap. 20. num. 11.] Do„ mini discipulus in Apocalypsi sacerdotalem, & gloriosum regni ejus videns „ adventum: [k] *Conversus sum*, inquit, *videre vocem* „. *Contra Hæreses* lib. 5. cap. 28. numer. 2. „ Cujus adventum, *ait*, Joannes in Apocalypsi si„ gnificavit ita: (l) *Et bestia, quam videram &c.* „. *Stromatum* li. 6. nu. 6. laudat Sanctus Clemens Alexandrinus testimonium *Apocalypsis* 21. v. 6., & li. 4. num. 22. testimonium *Apocalypsis* 22. v. 12. Tertullianus *De Corona militis* cap. 15., lib. 4. *Contra Marcionem* cap. 5. plura testimonia ex *Apocalypsi* depromit, lib. *De Anima* cap. 8. „ Sic Joannes, *inquit*, in spiritu Dei „ factus animas martyrum conspicit: [m] *Fui in spiritu in die Dominico &c.* „. *In Exodum* homil. 11. num. 1. Origenes ait: „ Sicut & in Apocalypsi scri„ ptum est; (n) *Qui autem vicerit, dabo ei de ligno vitæ &c.* „ *In Numeros* homil. 20. num. 1. *Verum quoniam Joannes in revelatione sua*: post pauca vero

(a) Cap. 1. v. 1.
(b) Cap. 1. v. 3., cap. 22. v. 10.
(c) Cap. 22. v. 1. 6., & 9.
(d) Cap. 2. v. 1.
(e) Ejusdem cap. v. 8.
(f) Ejusdem cap. v. 18.
(g) Cap. 3. v. 1.
(h) Ver. 7. ejusdem cap.
(i) Cap. 22. v. 18., & 19.
(k) Apocaly. 1. v. 12.
(l) Apocaly. 13. v. 2.
(m) Apocaly. 1. v. 10.
(n) Apocaly. 2. v. 7.

vero profert testimonium *Apocalypsis* 2. v. 14. S. Cyprianus epist. 31. laudat testimonium *Apocalypsis* 3. v. 21., *De Exhortatione ad Martyrium* testimonium *Apocalypsis* 20. v. 4., atque alibi sæpe in suis operibus idem facit. S. Athanasius *Orat.* 1. *contra Arianos* num. 11. inquit: „ Et in Apocalypsi hæc „ habentur: (a) *Qui est*, *qui erat*, *& qui venturus est* „. *Catechesi* 15. nu. 22. affert Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus testimonium *Apocalypsis* 6. v. 16. Sanctus Ephræm Syrus tom. 3. *De Diversis Sermones Sermone* 4. laudat testimonium Apocalypsis 2. v. 11. S. Hilarius *Tract. in psam.* 118. littera 12. nu. 3. inquit: „ Stat enim ad ostium verbum Dei, & pulsat ostium animæ nostræ, „ & dicit: (b) *Ecce stans ad ostium*, *pulso*: *si quis aperiet mihi ostium*, *ingrediar ad eum* „. *Comment. in Matt.* cap. 20. num. 10. „ Et hos quidem „ eosdem Prophetas duos prævenientes adventum ejus esse intelligimus, quos „ Apocalypsis Joannis ab Antichristo perimendos esse dicit (c) „. Optatus Milevitanus lib. 2. *De Schismate Donatistarum* ait: „ Mittite illum, si pote- „ stis, excludet septem Angelos, qui sunt apud socios nostros in Asia, ad „ quorum Ecclesias scribit Apostolus Joannes [d] „. Sanctus Basilius *Adversus Eunomium* lib. 4. num. 2. una cum aliis testimoniis Evangelii Sancti Joannis laudat testimonium *Apocalypsis* 1. v. 8. Joannis Evangelistæ facta mentione. S. Gregorius Nyssenus illud testimonium *Apocalypsis* 1. v. 8. *Qui erat*, *& qui venturus &c. Orat.* 35. laudat. S. Ambrosius *Exposit. in psal.* 118. serm. 2. num. 24. affert testimonium ex *Apocalypsis* 3. v. 15., & 16., *De Abraham* lib. 2. cap. 7. num. 41. ita habet: „ Unde Joannes ait: (e) *Va* „ *habitantibus in terra* „. *Hæresi* 48. num. 10. inquit Sanctus Epiphanius: „ „ Unde & Joannes ita in Apocalypsi loquitur: [f] *Hæc revelavit Dominus &c.* „ S. Hieronymus *Adversus Jovinianum* lib. 1. num. 18. inquit: „ Unde & ipse „ Salvator in Apocalypsi Joannis: (g) *Ego sum*, inquit, α & ω, *Initium &* „ *finis*. Si habent aures [ait S. Augustinus epist. 43. num. 22., alias epist. 162.] „ audiant, quid Spiritus dicat Ecclesiis. Sic enim in Apocalypsi Joan. legitur: (h) „ *Angelo*, inquit, *Ecclesiæ Ephesi scribe* „. *Dialogorum* lib. 4. cap. 42. Sanctus Gregorius ait: „ Et Joannis vox in æstimatione ista concordat.... (i) *Et ego* „ *flebam multum* „. Ita alii quoque Græci, & Latini Patres omnium seculorum & non secus ac ex aliis Sacris libris, etiam ex Apocalypsi testimonia deprompsere, & illud simul innuerunt Sanctum Joannem Apostolum ejusdem Auctorem esse.

Dices contra priorem partem. Sanctum Joannem Evangelistam non esse Auctorem Apocalypsis inde primo constat, quia Sanctus Joannes Evangelista tum in Evangelio, tum in epistolis nomen suum non inscripsit, sicut facit Auctor Apocalypsis, seque Joannem esse manifestat: [k] 2. quia licet suum nomen indicaverit; tamen non dixit, se Joannem illum esse, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, & re quidem vera in Græcis Codicibus non erat titulus Joannis Evangelistæ, sed Joannis Theologi, qui alias Presbyter cognominatus est: 3. dicendi ratio, quæ in Evangelio Joannis, atque epistolis illius deprehenditur, longe diversa est ab ea, quæ adhibetur ab Auctore *Apocalypsis*.

Hæc

(a) *Apocaly.* 1. v. 4.
(b) *Apocaly.* 3. v. 20.
(c) *Apocaly.* 11. v. 7.
(d) *Apocaly.* 1.
(e) *Apocaly.* 8. v. 13.
(f) *Apocaly.* 1.
(g) *Apocaly.* 1. v. 8.
(h) *Apocaly.* 2. v. 1.
(i) *Apocaly.* 5. v. 4.
(k) Cap. 1. v. 1. & alibi.

Hæc sunt, quæ a Dionysio, ut constat ex Eusebio lib. 7. *Eccles. Hist.* cap. 15., & Erasmi *Adnotationibus* in Apocalypsim mutuati Deistæ nobis opponere possent. Testimonia autem eorum, quæ Erasmus pro sua opinione obtrudit, non est, cur curare debeamus, quum auctoritate eorumdem contrarium supra evicerimus.

Ad 1. respondemus dubitari non posse Sanctum Joannem fuisse Prophetam, sicuti jam demonstravimus. Quapropter mirandum non est, si Apocalypsi suum nomen inscripserit, quum hoc fecerint etiam ceteri Prophetæ, uti legenti libros Prophetarum veteris Testamenti manifeste constabit. Deinde cur Sanctus Joannes suum nomen inscripserit Apocalypsi, non vero epistolis multæ caussæ subesse potuerunt, quas nullo modo assequi possimus. Anne sine inscriptione sui nominis inde etiam epistolas mittere non potuit, quia notus erat eis, ad quos peculiariter scribebat; contra vero suum nomen Apocalypsi inscribere, quia per eam omnibus indiscriminatim manifestabatur, quæ sibi a Deo revelata fuerant?

Ad 2. non est opus, ut aliquid respondeamus, quum nonnisi Joannem Apostolum, & Evangelistam esse eum posse demonstraverimus, qui scripsit Apocalypsim.

Quamvis autem in Græcis codicibus Joannis Theologi nomen appositum fuerit, nihil tamen contra nos inde evinci potest. Nam præter Joannem Apostolum, & Evangelistam nullus alius est Joannes, in quem Theologi nomen melius cadere possit. Quis enim unquam, præter Joannem Evangelistam, quæ sublimiora sunt, cognovit? Hinc S. Augustinus *Tract.* 36. in *Joannem* nu. 5. recte observat, ideo Joannem aquilæ volanti fuisse comparatum, ceteros autem Evangelistas animalibus in terra gradientibus, quia isti de Christi humanitate scripserunt, ille autem Divinitatem peculiariter attigit.

Ad 3. respondemus, uti alias sæpe monuimus, diversam dicendi rationem, si sola sit, multa vero alia contrarium suadeant, argumento esse non posse, ut alicui non tribuatur illud opus, in quo ea deprehenditur. Hoc autem tunc potissimum attendi debet, quando pro argumenti diversitate, de qua agitur, diversam quoque dicendi rationem adhiberi convenientissimum fuit. Quum ergo argumenta Evangelii, atque Epistolarum omnino differant ab iis, de quibus agit Sanctus Joannes in sua Apocalypsi; ideo non est, cur quispiam miretur, si dicendi ratio ipsius Apocalypsis cum ea non conveniat, quæ tum in Evangelio, tum in Epistolis adhibetur.

At vero multa in Apocalypsi deprehendi contendo, ob quæ unusquisque certo conjicere possit, Evangelii, Epistolarum, atque ipsius *Apocalypsis* unum eumdemque auctorem esse. Nam *Apocalypsis* cap. 19. v. 13. Filius Dei *Verbum Dei* dicitur; hoc vero nomine Dei Filius ab eodem Joanne tantum vocatur tum in Evangelio cap. 1. v. 1., & 14., tum in I. epistola cap. 5. v. 7. Quæ de infallibili testimonio Jesu Christi in Evangelio cap. 3. v. 11. 32. 33. tradit, *Apocalypsis* quoque cap. 1. v. 5., & 19. v. 11. eadem efficacia verborum S. Joannes confirmat. In prima epistola cap. 5. v. 20. hæc leguntur: *Et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna:* cap. autem 3. v. 7. *Apocalypsis* ita habetur: *Hæc dicit Sanctus, & Verus*; cap. 19. v. 11. *vocabatur Fidelis, & Verax*. Sicuti autem in I. ep. cap. 5. v. ult. monet omnes, ut ab idololatria sibi caveant; ita cap. 2. *Apocalypsis* Episcopos Pergami, & Thyatiræ reprehendit, quia alter non expelleret *tenentes doctrinam Baal*, alter quia fe-

ferret Jezabelem, quæ, ut inquiebat Sanctus Joannes laudato cap. v. 20. *se dicit propheten, docere, & seducere servos meos, fornicari, & manducare de idolothytis*. Tandem, ut plura alia omittam, anne dicendi modus, quo Christus Joannis cap. 10. v. 1., & seq. *ostium* se esse affirmat, cum eo non convenit, qui *Apocalypsis* cap. 2. v. 20. adhibetur?

Dices contra alteram partem. Cerinthi regnum millenarium facile adstruitur ex iis, quæ *Apocalypsis* cap. 7. v. 19. 20. 21. leguntur: repugnat ergo, ut liber *Apocalypsis* sit Divinæ anctoritatis. Deinde nemo dixerit in hoc libro contineri revelationem. Nam quisnam unquam intellexerit, quæ per septem sigilla, per septem Angelos singulos habentes unam tubam, per bestiam e mari ascendentem, atque habentem capita septem, ac tandem per effusionem septem phialarum Joannes significaverit?

Ad 1. respondemus nihil magis a veritate alienum esse, quam ex hoc libro adstrui posse quodcumque regnum millenarium, & præcipue quale Cerinthus effutiebat. Primo enim quid non contrarium Cerinthi erroribus in Apocalypsi legitur? Mundum factum a Deo esse negabat Cerinthus: contrarium autem Sanctus Joannes in *Apocalypsi* non semel affirmat. Ille Christum resurrexisse inficiabatur, sed una cum aliis resurrecturum contendebat: hic autem primogenitum ex mortuis eum vocat, atque in medio nubium venturum ad judicandum prædicit. Deinde vero quamvis Joannes in *Apocalypsi* tradat Sanctos cum Christo mille annos esse regnaturos; tamen de cibis, & poculis, de festis nuptialibus, aliisque voluptatibus hujus generis, quibus hoc regnum transfigendum esse Cerinthus effutiebat, ne ullum quidem verbum habet. Quare non unum idemque regnum a Sancto Joanne, & ab ipso Cerintho designatum fuit. Quo vero sensu illi mille anni accipiendi sint, quibus Sanctos cum Christo regnaturos Beatus Joannes affirmavit, non est, cur modo exponendum aggrediamur, (a) sed paucis demonstrasse sufficiat errores Cerinthi in *Apocalypsi* nullo modo contineri.

Licet autem in *Apocalypsi* plura sublimiora, quæque non facile intelligi possunt, vaticinia contineantur; tamen nemo negaverit multa quoque præcepta in ea posita, quæ per se manifesta sunt, & spectant ad patientiam in persequutionibus sustinendis, & ad confutationem eorum, qui sanam doctrinam depravare conantur (b). Quoad res autem spiritu prophetico prævisas, non solum in *Apocalypsi* Joannis, sed etiam in aliis libris propheticis multa obscura adinveniuntur, quæ non facile explicari possunt. Ob ea autem prædictiones propheticas rejici non posse, jam supra demonstravimus, dum de prophetia ageremus. Hinc recte Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *Eccl. Hist.* lib. 7. cap. 25. „ Ego vero, *inquit*, librum illum rejicere omnino non ausim, „ præ-

(a) Hac de re, præter alios, consulatur Natalis ab Alexandro in *Hist. Eccles. sec. 1. Dissert.* 27. ar. 2.

(b) „ Et in hoc quidem libro (inquit „ S. Augustinus *De Civit. Dei* lib. 20. cap. 17.) „ cujus nomen est Apocalypsis, obscure mul„ ta dicuntur, ut mentem legentis exerceant, „ & pauca in eo sunt, ex quorum manife„ statione indagentur cetera cum labore: „ maxime quia hic eadem multis modis re„ petit, ut alia atque alia dicere videatur. „ Verum in his verbis, ubi ait: *Absterget „ Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et „ mors jam non erit, neque luctus, neque „ clamor, sed nec ullus dolor*: tanta luce „ dicta sunt de seculo futuro, & immor„ talitate, atque æternitate Sanctorum (tunc „ enim solum, atque ibi solum ista non e„ runt;) ut nulla debeamus in litteris Sacris „ quærere, vel legere manifesta, si hæc pu„ taverimus obscura „.

„ præsertim quum multi ex fratribus magni faciant. Sed hujusmodi de illo „ opinionem concipiens, quasi sensus mei modum excedat, arcanam quamdam „ planeque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam „ etsi ipse non intelligo, suspicor tamen altiorem quemdam sensum verbis „ subesse. Eaque non meo ipsius judicio metior, atque æstimo; sed plus fi- „ dei tribuens, sublimiora esse censeo, quam ut a me percipiantur. Nec ea „ condemno, quæ intelligere non potui; verum inde admiror magis, quod „ ea capere non possum „.

Verum enim vero septem sigillis designatas fuisse persequutiones Sanctorum, quæ ante adventum Antichristi futuræ erunt, affirmare possumus, & ideo cap. 5. liber aperiri non potuisse dicitur, nisi reseratis sigillis, quia hæ persequutiones tempus Antichristi præcedere debebant. Et re quidem vera a cap. 6. usque ad 10. sigilla aperiri incipiunt, & calamitates per ea significatæ manifestari; capite autem 10. librum antea signatum Joannes ab Angelo accipit, simulque ei præcipitur, ut iterum prophetet *gentibus*, *& populis*, *& linguis*, *& regibus multis*, sicuti revera fecit cap. 11. & seq., dum multa mysteria de Antichristo, Elia, atque Enoch revelavit (a).

„ Quod si Angelorum [ita Sanctus Epiphanius *Hæresi* 51. nu. 32. *contra* „ *Alogos*] vobis tubæ illæ, quæ in Apocalypsi leguntur, risu dignæ viden„ tur, sequitur etiam alteram illam apud Apostolum tubam non minus esse „ ridiculam: *Descendet*, inquit, *de cælo in novissima tuba*, *& mortui resur-* „ *gent in novissimo die in voce Archangeli*. Postquam igitur cum Paulo A„ postolo Apostolus æque Joannes in Apocalypsi adeo mirifice consentit, quid „ est, quod ab illis possit opponi? Nonne omnis istorum error subinde dissol„ vitur, quum ab ambobus hisce sanctis suum Deus testimonium editum esse „ voluerit „ (b)?

De bestia non est, cur pluribus agamus: Antichristum itaque per eam designatum fuisse dicimus (c).

Tandem per septem phialas iræ Dei ex plagæ præfigurantur, quibus impii ante diem judicii affligendi erunt, quemadmodum cap. 16. explicatur.

ARTICULUS III.

NUM AUCTORES LIBRORUM NOVI TESTAMENTI NOS DECEPERINT.

DEistarum nisi tanta impudentia fuisset, ut hoc quoque in dubium revocare auderent (d), cur hac de re disputare aggrederemur, nullus sane non mirari deberet. In eo ergo tantum nos condemnare aliquis fortasse posset, quod rem jam actam modo ageremus, quum in hoc libro qu. 1. ar. 2. §. 3.

prop.

(a) Consulatur Hugo Cardinalis in hoc cap. *Apocalypsis*, qui plures horum sigillorum tradit explicationes.

(b) Alias quoque difficultates, quæ contra *Apocalypsim* Alogi opponebant, solvit in hac Hæresi Sanctus Epiphanius.

(c) Vide Cornelii a Lapide *Comment.* in cap. 13. *Apocalypsis* v. 1.

(d) Hoc vero est, quod VVolstonus sæpius impiissime calumniatur, ut constat ex Joecheri *Dissert.* 2. *In Examine Paralogismorum Thomæ VVolstoni de Miraculis Christi*; Consulatur etiam Le Moine: *Dissert. Historique sur les Ecrits de Mr. VVolston*. Neque solus VVoolstonus ita deliravit, sed eadem etiam Blountii, Hobbesii, Tolandi, Collinsii insipientia fuit. Consulatur Stackouseus: *Le Sens Litteral de L'Ecriture Sainte* ch. 1.

prop. 1., & 2. demonstraverimus, nullam suspicionem subesse posse, quod Apostoli, & Discipuli Christi quoad ea mentiti fuerint, quæ de Christi Resurrectione, & Ascensione referunt, atque testantur. At inde tamen futurum esse nemo negaverit, ut audacia Deistarum magis magisque retundatur, & quæ viris Sanctissimis debetur, vindicetur auctoritas. His autem & illud quoque accedit, ut in una, atque altera re, quamvis ea quidem præcipua sit, & cetera omnia ab ea pendeant, Apostolos, & Discipulos Christi, decipere neque voluisse, neque, etiamsi voluissent, potuisse, palam supra fecerimus; nunc autem quoad omnia generatim idem evincere conaturi simus, indeque demonstraturi, omnem fidem iis testimoniis adhibendam esse, quæ de se quoad Divinitatem eorum, quæ scripserunt, ipsos perhibere §. præcedenti exposuimus.

Propositio: Nihil magis a veritate abhorrere potest, quam ut auctores librorum Novi Testamenti nos deceperint.

Prob. prop. Et quidem nunc omissis præcipuis argumentis Divinæ Revelationis, de quibus supra copiose jam egimus, habita tantum ratione ipsorum Auctorum, rerumque gestarum, quas scripserunt, pro eorum rectitudine fidei pugnamus.

Quoties ergo de alicujus historiæ certitudine, atque veritate detegenda agitur, duo sunt, quæ æquo jure assequi contendimus: 1. num Auctores cognoscere potuerint, quæ tradiderunt memoriæ posterorum: 2. num talem probitatem habuerint, ut fidem indubiam mereantur. De priori solliciti sumus, ut cognoscamus, num ab aliis decipi potuerint; de altero autem, ut nullam decipiendi voluntatem habuisse constet.

Duodecim itaque fuerunt, quos Dominus peculiariter elegit, ut una cum aliis eorum omnium testes esse possent, quæ ipse fecerat, atque dixerat, ab initio sui baptismatis usque ad tempus, quo in cœlum ascendit (a). Hi ergo cum Servatore nostro diutius familiariter vixerunt, propriis auribus illius Divina præcepta audiere, & conspexere oculis multa eorum, quæ fecit. Neque solummodo iisdem datum fuit, ut Christi, dum in hac vita degeret, familiari consuetudine fruerentur, audirent colloquia ejus, atque facta præclara viderent, sed etiam postquam resurrexit a mortuis, corpus illius viderunt, & palparunt, cum eo comedere, multaque illum sibi disserentem audiere (b). Illusioni vero sensuum quoad hæc omnia nullus locus esse potuit. Nam, uti supra monuimus dum de Resurrectione, & Ascensione Christi ageremus, non fit per illusionem sensuum, ut ii sanentur, qui variis infirmitatibus obnoxii sunt, videant, qui antea cœci, audiant, qui surdi erant, ambulent, qui se in pedes erigere non poterant, vivant, qui mortui fuerant, panis parva quantitas in maximam excrescat, & in vinum aqua vertatur; at hæc omnia a Christo facta esse Apostoli viderant: ergo. Quid quod non solum quoad Apostolos, & Discipulos, sed etiam quoad Judæos hujusmodi illusio sensuum contingere debuisset, quum propter miracula, quæ Christus fecit, atque doctrinam, quam tradidit, in eum tam nefarie, impie, & crudeliter animadverterint? Ex quibus omnibus hanc instituo argumentationem. Nemo sanæ mentis dixerit, ab aliquo ea non potuisse cognosci, quæ longo tempore vidit, diutius probavit, omnique genere argumentorum certissime perspexit; sed talia sunt, quæ Apostoli, & Disci-

(a) *Lucæ 6. v. 13., Joannis 15. v. 27. Actorum 1. v. 8. v. 22., & 23.*

(b) *Lucæ 24. v. 39. & seq.*

scipuli Christi tradiderunt: ergo dubitari non potest, omnino eis comperta fuisse, quæ scripserunt.

Sanctus autem Paulus quoad ea dogmata falli non potuit, quæ sibi a Jesu revelata fuisse profitetur. Unde quum [a] *secundum revelationem* Jerosolymam ascendisset, ut Evangelium, quod prædicabat Gentibus, cum Apostolis communicaret, dexteram (b) *societatis* ab iisdem accepit.

Quum vero Sanctus Joannes divinitus sibi revelata ea omnia cognoverit, quæ in Sacra Apocalypsi tradit, illisque sint omnino conformia, quæ se audivisse, ac propriis oculis perspexisse, alibi testatus fuit; ei quoque fides indubia etiam quoad ea debetur, quæ sibi divinitus revelata in Apocalypsi manifestavit.

Lucam demum, atque Marcum quod spectat, fuerunt qui putavere fuisse ambos e numero septuaginta discipulorum, (c) quos Dominus *misit binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus*. De eo tamen dubitari non potest, Marcum fuisse socium itineruin S. Petri, quæ per Galatiam, Cappodociam, Asiam, atque Bithyniam habuit. Salutat enim Sanctus Petrus nomine Marci illos omnes, ad quos suam priorem epistolam misit (d). Inde autem colligi facile potest, S. Marcum socium itinerum Sancti Petri fuisse, quæ fecit per Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam, quia per hanc salutationem notum fuisse eis, ad quos scribit, Sanctus Petrus supponit. Quum autem Marcus simul cum Petro Romam venisset, non contenti Romani se Evangelium a Petro audivisse, Marcum rogarunt, ut illud litteris consignaret: quod sane ipse præstitit, & Petrus sua auctoritate confirmavit, quod scripserat Marcus, uti jam observavimus. (e)

Troade vero Sanctus Lucas Apostolo Paulo se socium adjunxit (f), & cum eo simul multis regionibus peragratis, ex Asia in Europam descendit. Hinc Apostolus in epistola ad *Philemonem* (g) suum *adjutorem* eum vocat, illumque tantum secum esse in II. ad *Timoth.* cap. 4. v. 11. commemorat. „ Lucas [inquit Eusebius *Eccles. Histor.* lib. 3. cap. 24.] in ipso Evangelii „ sui exordio, quæ sibi scribendi caussa esset, exposuit. Ait enim multos temere, & imprudenter aggressos fuisse narrationem earum rerum, quas ipse „ exploratas haberet; ac proinde se necessitate adductum, ut nos ab incertis „ opinionibus liberaret, certissimam, ac fidelissimam narrationem earum rerum, quarum ipse veritatem partim ex Pauli contubernio, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus hauserat, Evangelio suo tradidisse „. Sacrorum ergo Scriptorum fuisse neminem, qui non videre ea distincte potuerit, quæ litteris consignavit, nimis perspicuum est. Quapropter si Tacito, aut Svetonio quoad ea credimus, quæ multo ante eos tempore contigerunt, quia diligenti inquisitioni eorum fidentium esse putamus; profecto longe potiori jure ut Sacris Scriptoribus omnem fidem præbeamus, æquitatis ratio postulat. Quia vero, ut inquit Sanctus Augustinus *Contra Faustum* lib. 11. cap. 7. „ Ita sibi omnia in Canonica auctoritate concordant, ut tamquam uno ore „ dicta justissima, & prudentissima pietate credantur, & serenissimo intellectu „ in-

(a) *Ad Galatas* 2. v. 2.
(b) Laud. cap. v. 9.
(c) *Lucæ* 10. v. 1.
(d) Cap. ult. v. 13.
(e) Hujus quæstion. ar. 2. §. 1.
(f) *Actorum* 16. v. 9., & seq.
(g) Ver. 24.

,, inveniantur, & solertiffima diligentia demonftrentur ,, ; ex hoc quoque capite cognofci poteft, Sacros Scriptores nihil non noviffe, neque quafi propter aliquem defectum aliter retuliffe, ac geftum erat.

Sacris autem Scriptoribus propter probitatem, qua infignes præcellentefque fuerunt, certiffimam fidem deberi, tam manifeftum eft, quam quod maxime. Quandoquidem nemo eorum, qui eifdem occulte, aut aperte adverfabantur, aliquando tam fuit impudens, ut Sanctis viris aliquid objicere aufus fuerit, per quod fides eorumdem vel leviter fufpecta reddi poffet. Hoc autem eo magis admiratione dignum eft, quo plures fuerunt, qui infenfum odium in illos conceptum habebant, & quæ doctrinæ dogmata ipfi proponebant, ceteris omnibus magis adverfabantur.

Quandoquidem multa a Chrifto palam, omnibufque videntibus, gefta effe Apoftoli publice denunciabant: ergo quum hæc omnia eo tempore denunciarent, quo eorumdem oblivifci homines nondum potuerant, a Judæis uti impoftores facile refelli potuiffent, præfertim quia ad eorum quoque teftimonium Apoftoli appellabant; fed quamvis Judæi, qui omnium, quæ Chriftus gefferat, teftes fuerant, in Apoftolos immaniffimum odium conceptum haberent; licet nihil non tentaverint, ut quæ ab iifdem prædicabantur, refellere poffent; etfi quavis arte, & induftria curaverint, ne Apoftoli fua prædicatione aliquid proficerent, illos tamen hoc nunquam eis exprobraffe legimus: impie ergo, & contra evidentiffimam rationem agit, qui fidem Apoftolis præbere recufat.

At vero quænam tandem eorum agendi ratio fuerit, quæque docuerint, paucis expendamus. Profecto licet cum fumma alacritate, quæ Jefu Chrifti funt, principibus, atque poteftatibus, gentibus, & nationibus, annuncient, quis tamen iis abjectior unquam fuit, fuorumque commodorum magis negligens? Quam Evangelium prædicandi provinciam femel fufcepere, ftrenue profequuntur, neque aliquo labore, aut ærumna, quamvis graviffima, ab ea deterrentur. Si in carcerem recludantur; patienter ferunt: fi virgis cæfi fint; non dolent: fi ex una civitate in alteram ejiciantur; æquo animo fuftinent: ad fupplicia demum fi trahantur; gaudent pro nomine Jefu contumeliam pati. Omnibus vero, qua ratione poffunt, benefaciunt, & immemores injuriarum, etiam eos juvare omni ftudio contendunt, quorum furorem experti funt. Iis vero, quæ faciunt, omnino conformia docent. Nam Dei honorem curandum, ejufque præceptis diligenter obtemperandum effe, inferere in animis omnium fummopere curant: quæ de mutua dilectione tradunt, omnino Divina, & e cœlo allata effe conftat: voluptates vero feculi afpernandas, divitias contemnendas quantopere commendant? demum ficuti ipfi in omni genere virtutum fefe exercent; ita ab omnibus virtuofe femper agendum effe denunciant. Quid vero de ea fimplicitate dicendum, qua in fcribendo ufi funt? Nonne hæc quoque una cum eorum agendi fanctiffima ratione, præclariffimifque præceptis, quæ tradiderunt, fimul conjuncta, nullam omnino mendacii fufpicionem in Sacris Scriptoribus ineffe poffe fidem evidentiffimam faciunt? Hinc recte Origenes *Contra Celfum* lib. 3. nu. 39. ,, At vide, *inquit*, an non hoc ipfo di-,, gna laude fit ifta fides, quod nos ipfi credamus rerum omnium Domino, gra-,, tias agentes illi, qui nos ad hanc fidem perduxit, confitentefque illum fi-,, ne Deo non potuiffe rem tantam fufcipere, & perficere, quod infuper ad-

,, jun-

„ jungamus fidem iis, qui Evangelia scripserunt, ducti scilicet pietate, & „ animi candore, quæ in eorum scriptis elucent, quæque nihil in eis aut spurium, aut dolosum, aut fictitium, aut vafrum suspicari sinunt. Pro certo „ enim habemus animas, quæ nunquam attingerent ea, quæ apud Græcos callida, multamque veri speciem, & subtilitatem adhibens sapientia, & versata in judiciis rhetorica docent, idoneas non fuisse ad res comminiscendas, „ quæ & fidem ingenerare, & ad vitam fidei consentaneam adducere potuissent. Equidem crediderim talibus suæ doctrinæ magistris Jesum hac mente „ uti voluisse, tum ut suspicandi locus non esset, eam niti argumentis ad veri „ speciem compositis; tum ut intelligentioribus evidens fieret, sinceritatem illam Scriptorum junctam cum multa, ut ita loquar, simplicitate, donatam „ fuisse Divina potestate, quæ multo plura perficeret, quam perficere posse „ videntur verborum ambitus, dictionum compositio, & totus ille Græcanicus „ divisionum, dicendique ornamentorum apparatus „.

Sed quid? anne de ingenuitate Apostolorum, atque Christi Discipulorum semper magis magisque non constat, si semel advertamus, quæ de Christo evulgarunt, non confusa, sed distincta, non pauca, sed multa fuisse, non separata, sed connexa cum aliis, non remota ab ætate hominum, sed quæ omnes vidisse poterant, non supra sensus posita, sed visibilia, eaque etiam scripsisse, ut apud omnes pervulgari, & perpetuæ posteritati tradi possent? „ Abfuit ergo ab his, (ut ait Lactantius *Divin. Institut.* lib. 5. cap. 3.) fingendi „ voluntas, & astutia, quoniam rudes fuerunt. Aut quis posset indoctus apta „ inter se, & cohærentia fingere, quum Philosophorum doctissimi Plato, & „ Aristoteles, & Epicurus, & Zenon, ipsi sibi repugnantia, & contraria dixerint. Illorum autem traditio, quia vera est, quadrat ubique, ac tota sibi „ consentit, & ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est. Non igitur „ quæstus, & commodi gratia Religionem istam commenti sunt, quippe qui & „ præceptis, & ipsa re eam vitam sequuti sunt, quæ & voluptatibus caret, & „ omnia, quæ habentur in bonis, spernit, & qui non tantum mortem pro fide „ subierint, sed etiam morituros esse se & scierint, & postea universos, qui „ eorum disciplinam sequuti essent, acerba, & nefanda passuros „.

Et re quidem vera in fine suæ vitæ per eam mortem, quam sustinuere, adeo manifestum argumentum suæ ingenuitatis Apostoli dederunt, ut nihil certius, & evidentius excogitari possit, quemadmodum etiam Origenes observavit: „ Tanta enim (inquit *contra Celsum* lib. 2. num. 10.,) tam firma ad „ mortem usque constantia, argumento est Discipulos Jesu non fuisse eos, qui „ fingerent de magistro suo, quæ neutiquam erant. Apostolos autem pro certis habuisse, quæ scripserunt, æquis rerum æstimatoribus inde perspicuum „ est, quod tot, ac tanta pertulerint propter eum, quem Dei Filium esse „ credebant „. (a)

Tandem semel ac Apostolos falsa retulisse, aliosque decipere voluisse admittatur, non solum impostores nequissimi, ac stultissimi omnium, sed etiam Religionis fuissent perturbatores: nam & cunctis in re gravissima omnium non solum sine ullo sui fructu, sed etiam cum gravissimis incommodis turpiter illusissent, & adorandum proposuissent, quod inaniter confinxerant ad deceptionem aliorum. Quisnam vero tam audax insanusque fuerit, ut de Sanctissimis viris ita, vel levissime, suspicari audeat? Obje-

(a) De hoc argumenti genere etiam Arnobius consulatur in lib. 1. *Adversus Gent.*

Objectiones, quæ ex Spinosæ, Blountii, Hobbesii, Tolandi, Collinsii, atque Woolstoni operibus peti possunt, eo tendunt, ut suadeant, suum magistrum ab Apostolis plus æquo laudari, ab eo miracula facta fuisse contingi, sub nitore verborum occultari mendacia, ea quæ contigisse tradunt, diminute referri, iisdemque fidem adhibendam non esse, quia Christi amici erant: tandem remotionem temporum impedire debere, ne ut vera habeamus, quæ ipsi prædicarunt. (a)

Quamvis his omnibus necesse non sit, ut aliqua respondeamus, quum unicuique per se constare possit, sola libidine calumniandi dicta esse, & uti commenta hominum insanientium habenda, jam vicerimus; tamen nonnulla alia nunc superaddere operæ pretium esse ducimus, ut semper magis magisque perspicuum fiat, quæ opponunt Deistæ nostri temporis fere omnia ab Ethnicis priorum temporum fuisse mutuatos. Hac vero de caussa Eusebii testimonia proferemus, quibus a primis jam Ecclesiæ seculis confutata fuere, quæ isti nostri Philosophi iterum in medium proponere non erubuerunt. Postquam ergo Eusebius *Evangelicæ Demonstrationis* lib. 3. num. 5. observavit, Apostolos multa tacuisse, quæ existimationem, contra alia narrasse, quæ ignominiam sibi afferre poterant, ita recte concludit: „ Qui igitur ea, quæ poterant ipsis afferre bonam famam recusant, criminationes vero contra ipsos sempiternæ memoriæ in scriptis suis commendant, & eorum, quæ ab ipsis peccata sunt, accusationes, quas posteriorum nullus unquam cognovisset, nisi de eorum scriptis didicisset, publice ab omnibus legendas proponunt, cur non ab omni de se ipsis opinione, omnique mendacio merito abhorrere credantur? studiique erga veritatem certissima argumenta præbere? Qui vero tales viros fictionibus usos, ac mentitos putant, & tamquam impostores infamia probrisque notare conantur; cur non ipsi potius ridiculi sunt, & odio invidiaque digni, tamquam omnis veritatis inimici habentur „?

Deinde vero nullam mendacii suspicionem in iis inesse posse, quæ de Christo Apostoli, atque Discipuli retulerunt, ita demonstrat: „ Si enim hoc illis figendi propositum fuit, ut mendaciis suum præceptorem ornarent, cur illi ea, quæ modo diximus, adscripserunt? [superius vero commemoravit, quæ Christum passum fuisse Apostoli tradiderunt] aut cur posteris indicarunt, & quod tristis fuerit, & tædio affectus, & animo turbatus? aut quod ipsi illum deseruerint, atque abierint? aut quod qui omnibus ipsis, præpositus fuerat Apostolus illius, & Discipulus Petrus, nullis neque tormentis, neque tyrannicis minis ter illum abjuraverit? Hæc enim etsi alii dixissent, neganda tamen ab iis fuere, qui nihil aliud in scribendo sibi proposuissent, nisi ut reverentiam præceptoris commendarent. Quod si veridici in tristioribus de illo narrationibus videntur, cur non in iis item, quæ lætitiam gloriamque habent multo magis, quam sibi ipsis contrarii? Nam quibus unum fuerit propositum mentiendi, ab iis, si quæ offendunt, ea in primis aut præteriri oportebat silentio, aut si id non poterat, negatione refelli. Quis enim apud posteros ea, quæ tacuissent, reprehendere unqnam potuisset? Sed si mentiri decreverant, cur non illud quoque mentiti sunt, Judam, qui osculo illum tradidit, simul ac proditionis signum ostendere ausus est, ejus illico dexteram aruisse? & Caipham Pontificem, propterea quod falsis contra illum „ cri-

(a) Consulatur Stackousei Opus inscriptum: *Le Sens Litteral de L'Ecriture Sainte* ch. 1.

,, criminibus consenserit, oculis captum fuisse? cur non omnes mentiti sunt, ,, significantes nihil plane illi, quod possit offendere, evenisse? sed ipsum quidem evanuisse, forumque, & judicia illorum risisse? Qui vero illum comprehendere ausi fuerant, divinitus illusos, contra illum se agere, quæ egerunt, tametsi ille non aderat, credidisse? Quid porro? Non gravius digniusque scripsissent, nullum plane humanum, aut mortalem casum ipsum subiisse? verum ubi vi Divina res omnes suas confirmasset, tum in cœlum gloriosius diviniusque revertisse? Certe hoc multo majorem venerationem comparasset, quam fingere ab illo ea miracula facta, quæ novimus. Neque enim his credituri non fuerant, qui ceteris eorumdem narrationibus fidem adhibuere. Qui igitur in iis, quæ dedecus habent, atque tristitiam, veritatem corrumpere ausi non sunt, cur non & in reliquis quoque, quæ de illo protulerunt, digni habentur, quibus absque suspicione falsitatis credatur, etiamsi miracula narraverint,,?

Alias vero argumentationes, quas adhibet Eusebius, ut a Sactis viris omnem suspicionem falsitatis expungat, modo omittimus, atque hanc unam tantum ultimo loco in medium proponimus.,, Quod si mendacia hæc erant, ,, quæ illi ex composito finxissent, operæ pretium erit admirari quonam pacto tantus numerus consensum illum inter se in rebus fictis vel usque ad mortem servaverit, neque ullus unquam earum rerum formidine, quæ illis, qui prius sublati fuerant, acciderant, a societate desciverit, neque reliquis publice contradixerit, prodens ea, quæ inter ipsos composuissent. Quin & unus eorum, qui vivum præceptorem prodere ausus est, illico manum sibi ipsi consciscens debitum supplicium invenit. Illud porro qui fieri potest, ut non omnem habeat stuporem, homines seductores, atque illiteratos, qui nec loqui, nec audire quidquam, præter unam patriam linguam, consuessent, non solum excogitasse audaciam peragrandi orbem nationum omnium, sed quum peragraverint, fecisse, quod cogitaverant? Contemplare præterea quantum, & cujusmodi sit, illos de rebus gestis Jesu nullum unquam discrepans verbum protulisse. Si enim in omnibus rebus, de quibus ambigitur, atque in judiciis, quæ ex legibus exercentur, communibusque controversiis, consensus testium certum ratumque id efficit, de quo ambigitur? in ore enim duorum, vel trium testium consistit omne verbum? cur in his quoque veritas non consistet? Quum & duodecim Apostoli fuerint, & septuaginta Discipuli, & innumerabilis extra hunc numerum multitudo, qui admirabilem in omnibus consensum servaverint, & rebus a Jesu gestis testimonium dederint, non illud quidem sine sudore, sed cum tormentorum omnisque injuriæ, ac denique mortis perpessione, & quos postremo etiam Deus vicissim suo testimonio comprobaverit, qui verbum, quod ab illis proditum vulgatumque est, ad hunc usque diem etiam in omnem ævum continuat, atque propagat,,.

Dum vero Deistæ obtrudunt, a Sacris Scriptoribus res gestas imperfecte diminuteque referri, illud demonstrant, se amplius non habere, quo confugiant. Quod enim Apostolis propositum erat, integre exponunt, omittunt vero ea, quæ ad sui instituti rationem nihil intererant. Sacri ergo Scriptores id sibi non constituerunt, ut vel elegantia orationis, vel ornatu figurarum, vel apparatu, aut pompa verborum legentium animos sibi conciliarent, quo facilius

ſius in eorum, quæ referebant, fidem inducere poſſent, ſed nuda rei veritate contenti, cum ſumma ſimplicitate eam manifeſtare aggreſſi ſunt. „ Qui „ prudenter, & candide res ab Apoſtolis Jeſu geſtas poſſunt examinare [in- „ quit Origenes *Contra Celſum* lib. 1. num. 12.] his manifeſtum fiat hos Di- „ vina virtute roboratos fuiſſe oportere, ut edocerent Chriſtianam Religio- „ nem, & homines verbo Dei ſubjicerent. Non eis ſecundum artes Græco- „ rum dialecticas, aut rhetoricas, dicendi facultas, & diſſerendi ratio inerat, „ qua auditores ſibi conciliarent. Atque etiam ſi Jeſus elegiſſet doctrinæ ſuæ „ miniſtros, adhibuiſſet eos, qui multorum opinione ſapientes habentur, aut „ cogitandi ſubtilitate, aut ſermonis facundia multitudinis plauſus captare poſ- „ ſunt; juſta meo quidem judicio ſuſpicio fuiſſet, ſimili eum ratione, atque „ via uſum fuiſſe, qua Philoſophi ſectæ cujuſpiam auctores uſi ſunt, neque „ quod promiſſum eſt de doctrinæ ejus Divinitate videretur adimpletum... „ Nunc autem ecquis eſt, qui quum videat piſcatores, & publicanos, vel „ primorum elementorum imperitos [id enim de illis Scriptura teſtatur, & „ Celſus ipſis inſcientiam ſuam vere deſcribentibus credit] confidenter de fi- „ de Jeſu adjungenda non modo apud Judæos diſputare, ſed etiam apud re- „ liquas gentes proſpere Jeſum annuntiare, non quæſierit, unde illis eſſet per- „ ſuadendi facultas? neque enim erat vulgaris. Ecquis non dixerit Jeſum „ in Apoſtolis Divina quadam virtute conſequutum fuiſſe, quod his promiſe- „ rat verbis: (a) *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum* „? Inde ergo etiam de ſuo errore Deiſtæ convincuntur, unde calumniandi occaſionem accipiunt.

Licet ergo arctiſſimo amicitiæ vinculo cum Chriſto eſſent Apoſtoli conjuncti, immo quamvis, ſicuti revera erat, uti ſuum ſupremum Dominum colerent, atque venerarentur; tamen propter hoc iis fidem non eſſe adhibendam, quæ de Chriſto Apoſtoli tradiderunt, impudenter videlicet Deiſtæ effutiunt: nimis enim multa ſunt, ut modo etiam ex Origene obſervavimus, quæ ne leviſſime quidem ſuſpicari quemquam patiuntur, a Sanctiſſimis viris nos fuiſſe deceptos.

Tandem ad id, quod opponunt de remotione temporum, non eſt, cur hic aliqua contra reponamus: ſatis enim hac de re initio libri 2. in pluribus lemmatibus diſputavimus.

ARTICULUS IV.

NUM AUCTORES LIBRORUM NOVI TESTAMENTI ALIOS DECIPERE, ATQUE IN ERROREM INDUCERE POTUERINT.

NUM, etiamſi voluiſſent, poſſibile fuerit, ut Sacri Scriptores ſuos poſteros deciperent, illud eſt, de quo modo diſputare aggredimur. Hac enim ratione de veritate eorum, quæ tradiderunt, tanta evidentia conſtabit, ut ea nulla major haberi poſſit.

PROPOSITIO. Sacri Scriptores librorum Novi Teſtamenti, etiamſi voluiſſent, in errorem alios inducere non potuiſſent.

(a) *Matt. 4. v. 19.*

Prob. prop. Illud vero priori loco demonstrabimus, impossibile fuisse, ut eos Ethnicos, atque Judæos deciperent, qui Christianæ Religioni nomen dederunt; deinde autem, hoc idem multo potiori jure etiam quoad alios fieri non potuisse, qui in suo errore obstinati perstiterunt. Ethnicorum ergo Religionem fuisse talem, ut sensibus indulgeret, voluptates foveret, & non solum non contineret gravia præcepta, sed etiam multa turpia, & obscœna permitteret, nemo non novit. Contra autem Religio Christiana, quæ tota innititur præceptis, atque institutis Christi Domini, cum pravis cupiditatibus bellum perpetuum agi vult, sensuum noxios appetitus reprimi jubet, præcipitque ut multa serventur, quæ gravia sunt, & difficilia, utque ipsa quoque vita, si opus sit, pro defensione ejus in discrimen adducatur. Hinc vero est, ut duo inter se magis contraria esse non possint, quam Religio Ethnicorum, atque Christianorum. Ethnicis ergo, qui Religionem Christianam amplectebantur, necesse erat aliam omnino vivendi rationem instituere, omnibus inhonestis voluptatibus bellum indicere, multisque legibus, atque præceptis, quæ sensui adversantur, sese subjicere. Res igitur ista talis erat, in qua sibi turpiter illudi pati non potuerint. Quandoquidem quidnam tandem gravius fingi, aut excogitari potest, in quo homines omnem suam curam ponant, ut de rei veritate convincantur? Anne præcipitanter possibile est, ut agant in tam gravi negotio, quod & præsentis, & futuræ vitæ statum respicit? atqui multi Ethnicorum omnis generis, atque conditionis, (a) Apostolis monentibus, & suadentibus, Christianam Religionem amplexi sunt, licet sensus contra obniterentur: ergo absurdum est, ut se per Apostolos decipi passi sint.

Quoniam vero Deistæ, dum de rebus agitur, quæ Religionem spectant, ad præjudicia institutionis, atque educationis sæpe recurrunt, ex hoc quoque capite nunc expendamus, num Ethnici ab Apostolis decipi potuerint. Dubitari ergo non debet eos Ethnicos, qui Apostolorum tempore Christianæ Religioni nomen dederunt, in præjudiciis superstitionis fuisse educatos, assuevisse indulgere sensibus, persequi voluptates, quærere commoda vitæ præsentis: qua igitur fieri ratione potuit, ut contra institutionem semel habitam semperque retentam, sine evidentia, & absque firmissima persuasione, qua interius convincerentur, id amplexi fuerint, quod sensibus permolestum erat? Profecto si de aliqua Religione ageretur, quæ nihil non concederet sensibus, nihilque durum, & grave servandum imponeret, contra ac a sua pueritia per patrias leges instituti erant, sibi illudi passos fuisse, existimari posset; at vero quot, quantaque erant, quæ licet antea secundumpatriam institutionem libere sibi permissa essent, per Religionem Christianam sub gravibus pœnis prohiberi animadvertebant? quibusnam legibus se subjici, quænam onera sibi imponi non videbant? an fortasse prava omnia oblectamenta sensuum a se rejicienda, in virtutis exercitatione etiam cum gravi labore persistendum esse non cognoscebant, contra ac a sua pueritia educati erant? ergo si primæ institutionis, atque etiam usque ad provectam ætatem subsequentis educationis ratio habeatur, nemini unquam vel apparenter probabile videri potest ut decipi potuerint, qui Chri-

(a) Non solum ex infima plebe homines, sed etiam multos tum nobilitate generis, tum doctrina præcellentes primis Ecclesiæ seculis Christianæ Religioni nomen dedisse supra in hoc lib. observavimus qu. 1. ar. 1. §. 4.

Christianam Religionem amplexi sunt.

Neque etiam minus irrationabile est, ut Judaei, qui Christi cultores facti fuere, in re tanta sibi turpiter illudi passi sint. Quandoquidem eam Religionem deserere debebant, quam ministerio Moysis a Domino acceperant, atque uti Messiam suscipere hominem, qui velut seductor ab iisdem habitus fuerat, quique cum eo, quem venturum esse sibi finxerant, nullam similitudinem praeseferebat. Huic ergo Divinos honores oportebat, ut tribuerent, sicuti Dei Filium eum venerarentur, eumdemque a mortuis resurrexisse, inque coelos ascendisse crederent. Inde vero consequebatur, ut alii, ac antea erant, evadere deberent, ac omnino novam vivendi rationem instituere. Quapropter magis impossibile fuisse quoad Judaeos, quam quoad Ethnicos, ut in re tam gravi aliquis error obrepere potuerit, hac ratione concludo. Quamvis Ethnici suos Deos haberent; tamen neque legem sibi revelatam ab iisdem acceperant, neque opem eorum sibi praesentem experti fuerant, neque miracula viderant, per quae de Divina quadam, atque supra humanas vires posita virtute, convicti remanerent: contra Judaei legem, quam servabant, a Deo sibi revelatam esse certissime noverant, & ut in ejus observatione persisterent, qua flagellis, si inobedientes, qua insignibus praeclarisque miraculis, si fideles, saepius moniti fuerant: ergo si hac in re Ethnici decipi non potuerunt, multo magis quod Judaeos nullus deceptioni locus esse potuit.

Ad Judaeorum autem educationem, & institutionem si advertatur, longe graviora in iisdem, ac in Ethnicis occurrunt, propter quae eos decipi non potuisse, unicuique manifeste perspectum erit. Quandoquidem patrias institutiones necesse tantum erat ut Ethnici condemnarent, suorum Deorum falsitatem detestarentur, seque nimis crasso errore delusos faterentur: at vero Judaei erubescere debebant, se majoresque suos adversus evidentem veritatem summa cum pertinacia pugnasse, contra Dei Filium impie crudeliterque egisse, atque eum immanioribus suppliciis antea excruciatum occidisse, quem summopere colere, & venerari debebant: ergo si Judaeorum educationis institutionisque ratio habeatur, nihil minus fieri potuisse constat, quam ut Judaei ad Christianam fidem conversi ab Apostolis decepti fuerint: ergo impossibile fuit, ut Apostoli eos Ethnicos, ac Judaeos deciperent, qui Christianae Religioni nomen dederunt, quemadmodum nos priori loco demonstrare aggressi fuimus.

Age ergo nunc de eadem impossibilitate quoad eos Ethnicos, atque Judaeos agamus, qui in sua obstinatione perstiterunt. Quum ergo Ethnici Apostolos discurrentes viderent, ut Christi Religionem ubique propagarent, eos suam sibi impietatem exprobantes audirent, denunciantesque intelligerent, futurum esse, ut in aeternum perirent, nisi aras everterent, idola confrigerent, atque ad cultum veri Dei sese converterent, fieri non poterat, ut quoniam in sua impietate obstinate persistere constituerant, contra Apostolos quam maxime non commoverentur, sicuti revera commotos fuisse constat. Naturale autem est, ut qui propter doctrinae novitatem animum omnino aversum ab altero habet, in dogmata illius diligentissime inquirat, expendat facta, quae refert, nihilque intentatum relinquat, ut detegat omnem falsitatem, quae subesse possit: ergo quum Apostoli ea Ethnicis suaderent, quae non multo ab inde tempore contigerant, quaeque num vera, aut falsa essent, ipsi Ethnici aut per se cogno-

 sce-

scere, aut per alios facile assequi poterant, eos ab Apostolis decipi non potuisse dicendum est (a).

Multo minus autem Judæi falli potuerunt. Nam Christum, qui fuerat auctor pacis, atque justitiæ, eorum consilio injuste interemptum esse, Apostoli affirmabant: Scribas, Pharisæos, Sacerdotes, Pontifices, omnesque alios, qui in natione erant venerabiliores, uti hypocritas, calumniatores, & blasphemos traducebant, nullaque excusatione dignos, quia licet tot miracula, tamque mirabilia opera vidissent, tamen credere noluerant. Quis vero Judæos tam bardos, stupidos, immo & insipientes fuisse crediderit, ut in re tam evidenti ab Apostolis decipi potuerint? anne non repugnaturi fuissent, ne ab iis uti blasphemi, impii, atque parricidæ impune traducerentur? nonne calumnias tam turpes omni studio repulsuri? Profecto infensio odio exarsisse eos contra Apostolos non ignoramus; atque illud quoque compertum habemus, quum alia ratione non possent, vi, atque violentia, ut silerent, neque amplius Christum Crucifixum prædicarent, fuisse conatos: ergo quum Apostoli apud Judæos ea promulgarent, quæ illorum ætate contigerant, atque etiam per eosdem perfecta erant, nihil minus fieri potuit quam ut Judæi ab Apostolis decipi fallique potuerint.

At vero non solum, si Ethnicorum, atque Judæorum ratio habeatur, nullus in hac re deceptioni locus esse potuit; sed etiam hoc idem manifestum apparet, si ad id advertatur, quod Apostoli præstiterunt: „ Nam si ipsi (inquit Eusebius *Præparat. Evang.* lib. 3. nu. 5.) & seductores, & impostores erant, & præterea imperiti, omninoque vulgares, ut constat, quin etiam barbari, qui non plus, quam Syrorum linguam nossent, quomodo in totum progressi sunt terrarum orbem? vel qua illud solertia excogitarunt, ausive sunt? quibus porro viribus id, quod ausi sunt, perfecerunt? Esto enim viros rusticos in terra propria versantes decipere, & vagari, nec otiose, aut frustra rem serere. At vero apud omnes nomen Jesu prædicare, admirabiliaque illius gesta & in urbibus, & in agris docere; & alios quidem eorum imperium Romanum, ipsamque omnium urbium civitatem reginam invadere: alios Persarum regnum, alios Armeniorum, Parthorum alios nationem, item alios Scytharum, quosdam etiam ad ipsos orbis terræ venisse fines, Indorumque regionem penetrasse: alios porro trans Oceanum evasisse ad eas insulas, quæ Britannicæ vocantur: hæc sane ego nunquam humana vi effecta putaverim, nedum conatu levium vulgariumque hominum, ac multo minus seductorum, præstigiisque utentium. Qui vero flagitiosum versutumque doctorem experti essent, & ejus exitum vitæ talem perspexissent, quibus tandem verbis assequerentur inter se de illo consentanea fingere? Siquidem uno ore omnes & leprosorum purgationes, & ejectiones dæmoniorum, & excitationes mortuorum, & cæcorum sanationes, & innumerabiles alias ægrotantium medelas, quas ille præstiterat, testificabantur. Postremumque omnium, primis sibi post mortem reditus illius in vitam sit visus. Hæc itaque neque facta, neque audita, inquam, suis temporibus, quomodo uno ore facta fuisse affirmare ausi essent, morte quoque ipsa comprobantes, quod dicerent?

„ Nun-

(a) Hic illud iterum monemus, non solum ex infima plebe homines, sed etiam multos nobilitate generis, atque doctrina præcellenter primis Ecclesiæ seculis Christianæ Religioni nomen dedisse, nos jam observasse in hoc lib. qu. 1. ar. 1. §. 4. Hi ergo potissimum, quæ dicebamus, præstare facile potuerunt, atque debuerunt.

„ Nunquid olim congressi, & conspiratione ad idem sentiendum facta, fœdus „ inter se pepigerunt, quo fingerent, ementirenturque ea, quæ nusquam facta essent „?

Rationem subinde exponit, qua inter se convenire potuerunt, atque postquam demonstravit hanc conventionem non fuisse possibilem, ita concludit: „ Videntur ne tibi credibilia hæc, aut ulli verosimilia? ignobiles vulgaresque homines, postquam talia finxerint, atque inter se composuerint, Romanum imperium invasisse? aut humanam naturam, quæ vitæ amorem, ac studium, quasi quiddam proprium possidet, potuisse unquam ulla mercede voluntarium subire interitum, quemadmodum Salvatoris nostri Discipuli potuere? Quos sic quidem eo stuporis venisse credas, & quum ab illo nihil admiratione dignum gestum inspexerint, ipsi tamen ex composito cuncta ejus generis confinxerint? deinde magis quibusdam de illo corrogatis, pro iis omne genus mortis subire parati, promptique fuerint? tu vero quid ais tandem adversus hæc? nempe illos neque opinatos fuisse, neque sperasse quidquam ob ejusmodi commendationem Jesu perpessuros. Quare tam intrepide ad prædicandum de illo provectos. At illuc quonam pacto concedetur, illos non sperasse pro illo se omnia passuros? qui & apud Romanos, & apud Græcos, & apud Barbaros Deorum eversionem essent invecturi? At enim historia, quæ de illis extat, aperte hoc habet; illos post præceptoris interitum ab insidiatoribus quibusdam captos fuisse, & primum quidem in carcerem conjectos, deinde dimissos, tum iis imperatum, ne ulli hominum in nomine Jesu loquerentur. Postea vero quum illi hos vidissent apud multitudinem palam de illo iterum loquentes, correptos verberarunt, eosque ob doctrinæ genus increparunt „.

Tandem uti Origenes observat *contra Celsum* lib. 6. nu. 11. „ Nunc autem Jesus solus est, qui ut Dei Filius per terrarum orbem in hanc vitam venisse prædicatur. Nam qui hæc, ut Celsus, prodigiosis tribuentes artibus, similia prodigia facere conati sunt, ut eamdem sibi apud homines conciliarent auctoritatem, eos nihili faciendos esse, compertum est: cujusmodi fuerunt Simon Samaritanus Magus, & Dositheus ejusdem, ac ille, religionis „.

Ex quibus omnibus illud manifeste constat, fieri non potuisse, ut Apostoli alios in errorem induxerint, semel ac ad id advertatur, quod ipsi præstiterunt.

Verum hac de re pluribus fortasse quam par erat, quum nihil sit, de quo minus dubitari possit.

ARTICULUS V.

NUM IN DIVINIS LIBRIS NOVI TESTAMENTI ALIQUID OCCURRAT, PROPTER QUOD DE EORUM DIVINA INSPIRATIONE DUBITARI POSSIT.

Talia multa in Sacris libris sese deprehendisse Spinosa *Tract. Theol. Polit.* cap. 11. effutit. Quamvis ex his, quæ usque modo disseruimus, tam impia calumnia refellatur, eam tamen ex instituto repellere operæ pretium esse ducimus.

Pro-

PROPOSITIO: Impie, atque inepte de Divina inspiratione librorum Novi Testamenti Spinosa inde dubitat, quia vel ea dicendi ratio in iisdem non adhibeatur, quam ipse præscribit, vel aliqua occurrant, quæ a se minus probari posse stulte præsumit.

Prob. prop. Et re quidem vera quænam tandem hominum insanientium audacia est, velle, ut ea dicendi ratio, quam pro libidine sibi confinxerint, in iis quoque libris adhibeatur, quos divinitus inspiratos fuisse, tot ac tanta argumenta demonstrant, ut nihil evidentius esse possit (a)? Anne oportebat, ut Deus in manifestatione eorum, quæ revelavit Sanctis viris, talem quoque simul dicendi rationem inspiraret, quam a nonnullis contemptoribus Revelatæ Religionis magis probandam esse videret? Simili ratione quisnam unquam tam fuerit audax, ut definire præsumpserit, hæc a Deo revelari debuisse, non item alia? Profecto Deum infinita sapientia præditum esse etiam Deistæ admittunt: quinam ergo melius nosse potuit, quæ per Divinam Revelationem manifestanda erant; ipsine, an Deus? si se ipsos melius novisse dicant; & impie blasphemant, & quam contra Atheistas Dei existentiam defendere, atque tueri volunt, e medio omnino tollunt: si autem, prout etiam juxta sua principia debent, id Deo tribuunt; se omnium quotquot extiterunt, insipientissimos esse demonstrant, quum licet de Divina Revelatione prorsus convicti esse debeant, aliqua eorum, quæ revelata sunt, ad arbitratum suum revocando reprehendunt, ut inde totam Revelationem destruant.

Verum enimvero unde nam tandem Divinitas Revelationis attendi debet? an fortasse ex ratione dicendi, an vero ex iis, quæ in ea continentur? Profecto politior dicendi ratio, atque etiam talis, qualem sibi quispiam confinxerit, apud prophanos quoque Auctores deprehendi potest, atque revera deprehenditur: hæc ergo esse non potest, argumentum Divinæ Revelationis. Quo ergo ore Deistæ inde negare possunt Sacros libros non esse divinitus inspiratos, quia quam ipsi vellent, dicendi rationem in ea non deprehendunt? Quæ ergo in Divina Revelatione continentur, ea profecto sunt, quibus sine ullo errandi periculo dignoscitur Divinitas illius. Si enim illa nonnisi a Divina mente proficisci potuisse constet, tunc de eorumdem Divinitate amplius dubitari non potest; atqui quæ in libris Novi Testamenti continentur, nonnisi a Divina mente proficisci potuisse, in superiori quæstione jam abunde confecimus: ergo in his libris id potissimum continetur, per quod Divinitas illorum omnino perspecta esse debeat.

Deinde nihil magis non solum impium dici, sed etiam a veritate alienum excogitari potest, quam quod Sacri Scriptores nos decipere voluerint; immo quamvis hoc sibi constituissent, tamen nullo modo præstare potuissent, quemadmodum in duobus articulis præcedentibus jam demonstravimus; atqui Sacri Auctores, quæ scripserunt, divinitus inspiratos se scripsisse testantur: qui ergo de eorum Divina inspiratione propter dicendi modum, quo ipsi usi fuere, nonnullaque alia ad arbitrium sibi conficta dubitat, impie, & præter omnem rationem dubitat. Minor quamvis ex iis constet, quæ hujus quæstionis ar. 2. in pluribus paragraphis distincte disseruimus, tamen hisce evidentibus testimoniis peculiariter demonstrari potest: „ An experimentum [inquit S. Paulus II.

Co-

(a) Hoc de genere argumentorum quum fuse usque modo egerimus, eorumque evidentiam vindicaverimus; ideo nunc utrem certam assumimus constare de omnimoda certititudine Divinæ Revelationis.

„ *Corint.* 13. v. 3.] quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis „ non infirmatur, sed potens est in vobis „? Et I. *Corint.* 2. v. 16. „ Quis e- „ nim, *ait*, cognovit sensum Domini, qui instruxit eum? Nos autem sen- „ sum Christi habemus „. Unde etiam *Thessalon.* 4. v. 8. sine hæsitatione ita affirmat „. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui „ etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis „. Et *Thessalon.* 2. v. 3. hac ratione concludit: „ Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quo- „ niam quum accepissetis illud, non ut verbum hominum, sed [sicut vere „ est] verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis „.

Idem vero, quod Sanctus Paulus, ceteri quoque Sacri Scriptores de se affirmant, & jure optimo affirmare potuerunt. Nam Christus Spiritum Sanctum eodem modo promisit omnibus, dum dixit: [a] „ Paracletus autem Spi- „ ritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, „ & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis „. Et re quidem vera Christus redivivus a mortuis [b] „ Aperuit illis sensum, & ut intelligerent „ Scripturas, [c] & insufflavit & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum „.

Quid quod si de eo etiam Sacri Scriptores nos monuerint, sibi propositum non esse, ut in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis loquerentur, ne fides nostra esset in sapientia hominum, sed in virtute Dei? anne quispiam propter humiliorem dicendi rationem, quam ab iisdem adhiberi ipse putet, de eorum Divina inspiratione sine impietate dubitare poterit? „ Nos autem [inquit Apostolus I. *Corint-* 2. v. 12. & 13.] non spiritum hujus mundi accepimus, „ sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. „ Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina „ spiritus spiritualibus spiritualia comparantes „. Et I. *Corint.* cap. 2. v. 1. & seq. eosdem Corinthios ita monet: „ Et ego quum venissem ad vos, fratres, veni „ non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ annuntians vobis testimonium Chri- „ sti... & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sa- „ pientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: ut fides vestra non sit „ in sapientia hominum, sed in virtute Dei „. Non solum ergo Apostolus significa- „ vit, se non adhibuisse humanæ sapientiæ verba, sed ulterius etiam innuit, cur non adhiberet; hoc est, ut fides nostra non esset *in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Inde ergo etiam Divina Revelatio confirmatur, unde eam destruere Deistæ vellent. Hinc recte Sanctus Justinus in *Cohortat. ad Græcos* nu. 8. „ Neque enim, *inquit*, natura, aut humani ingenii acie res tam magnæ, „ ac Divinæ ab hominibus cognosci possunt; sed eo, quod tunc in Sanctos „ homines descendebat, dono, quibus quidem nec verborum artificio opus fuit, „ nec pugnaciter quidquam, & rixandi studio dicere, sed puros se ipsos Di- „ vini Spiritus operationi præbere, ut Divinum illud delapsum e cœlis plectrum „ velut quodam cytharæ, aut lyræ instrumento, ita justis hominibus utens, „ Divinarum nobis, & cœlestium rerum cognitionem recluderet. Propterea „ ergo velut uno ore, & lingua una tum de Deo, & mundi origine, tum „ de hominis creatione, & animæ humanæ immortalitate, ac futuro post hanc „ vitam judicio, tum de omnibus rebus, quarum nobis necessaria cognitio est, „ summa, & secum ipsis constantia, & inter se consensione nos docuerunt; „ idque quum variis locis, & temporibus Divinam nobis doctrinam tra- „ derent „. Ve-

(a) *Joann.* 14. v. 26. (b) *Lucæ* 24. v. 45. (c) *Joannis* 20. v. 22.

Verum quum nihil ab Ethnicis objectum fuerit, quod Deistæ nostri temporis ad nauseam usque non repetant, quid Gentibus eadem, ac ipsi Deistæ, opponentibus Arnobius reposuerit in lib. 1. *Adversus Gentes*, sane videamus. „ Sed ab indoctis hominibus, *ajebant Ethnici*, & rudibus inscripta sunt, & „ iccirco non sunt facili auditione credenda. Vide, *respondet Arnobius*, ne „ magis hæc fortior caussa sit, cur illa nulla sint coinquinata mendaciis, mente „ simplici prodita, & ignota lenociniis ampliare. Trivialis, & sordidus sermo „ est... Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta, „ quibus fides quæritur assensionis, suspicantes adjuvant, non veritatis linea„ menta demonstrant. Ceterum qui scit, quod sit illud, quod dicitur, nec „ definit, nec colligit, neque alia sectatur artificia verborum, quibus capi con„ sueti sunt audientes, & ad consensum rei circumscriptionis necessitate tra„ duci. Barbarismis, solæcismis obsitæ sunt, inquit, res vestræ, & vitiorum „ deformitate pollutæ. Puerilis sane, & angusti pectoris reprehensio: quam „ si admitteremus, ut vera sit, abjiciamus ex usibus nostris quorumdam fru„ ctuum genera, quæ cum spinis nascuntur, & purgamentis aliis, quæ nec „ alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter „ antecedit, & saluberrimum nobis voluit esse natura „.

Dices I. cum Spinosa. Sacri Scriptores non solum nimis abjecta dicendi ratione utuntur, sed etiam non omnes eumdem ordinem in sua narratione sequuti fuere, quemadmodum facere debuissent, si divinitus inspirati fuissent. Illud quoque accedit, in libris Novi Testamenti nihil aliud contineri, quam relationem cujusdam viri peculiaris, qui plura gessisse traditur.

2. Quæ Evangelistæ de Christi genealogia tradunt, pluribus contradictionibus implicata sunt. Deinde Sanctus Matthæus cap. 2. v. 23. hæc habet: *Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*: nihil autem tale occurrit in Prophetis. Cap. 27. v. 9. laudat Zachariæ testimonium sub nomine Jeremiæ. Quæ sane omnia demonstrant Evangelistas divinitus inspiratos non fuisse.

3. Per salutationes, quæ leguntur appositæ in fine epistolarum, Spiritus Sancti dignitas contempta esse videtur. Deinde quid magis alienum a Divina inspiratione esse potest, quam hoc, quod in sua secunda epistola ad *Timotheum* cap. 4. v. 13. Paulus scripsit? „ Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, „ veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas „. Et hæc alia, quæ habet in prima epistola ad eumdem cap. 4. v. 13. & 15. „ Dum venio, „ attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ... Hæc meditare, in his esto, „ ut profectus tuus manifestus sit omnibus „: nam quanam tandem ratione Timotheus se ipsum instruere poterat?

4. Ne urgeamus, pergit Spinosa, post effusionem Spiritus Sancti Petrum Apostolum cœlesti visione indiguisse, (a) ut videret, num Gentibus Evangelium prædicandum esset; si hic Apostolus Dei Spiritu regebatur, anne dissimulationis Antiochiæ habitæ (b) sese reum constituisset? Immo quid necesse erat Apostolos congregari Jerusalem, (c) ut cognoscerent, num Gentes conversæ ad fidem Legem Mosaycam servare deberent, si unusquisque eorum Spiritu Sancto ducebatur? Hinc vero est, ut Apostolus Paulus aliquando testetur (d) se,

(a) *Actorum* 10.
(b) *Ad Galatas* 2. v. 11 & seq.
(c) *Actorum* 15.
(d) 1. *Corint.* 7. v. 10. & 25.

se, non Dominum præcipere, atque non Dominum, sed se consilium dare.

Tandem personales defectus, de quibus Actores librorum Novi Testamenti se accusant, obscura dicendi ratio, qua sæpe utuntur, superflua cura, quam adhibent, ut levissimis etiam de rebus præcepta constituant, admonitiones, quibus hortantur sæpe Discipulos, ut alias sibi cognitiones comparare studeant, argumento esse possunt, quæ scripserunt, divinitus inspirata non esse.

Ad 1. respondemus, quod de abjecta dicendi ratione Spinosa opponit, nimis puerile esse, nulliusque momenti, quemadmodum supra demonstravimus. Eumdem vero ordinem non omnes Sacri Scriptores sequuti sunt, sed eum, quem, Deo monstrante, sequendum esse cognoverunt. Verum fuisse divinitus inspiratos ex hoc quoque colligi potest: nam licet diversum ordinem servaverint, & eamdem sanctitatem præceptorum ubique singuli sparsam habent, & de magistro suo Christo, omnium Domino, atque Præceptore, quæ inter se mirifice conformia essent, tradidere memoriæ posterorum. Nam Evangelistas in iis, quæ de Christi genealogia referunt, sibi mutuo contradicere, commentum Juliani fuit, quem sicuti in aliis, ita hac quoque in re sequuntur Deistæ nostri temporis. Quia vero de hoc argumenti genere ex instituto disserere velle nimis longum esset; ad quatuor libros, quos Sanctus Augustinus scripsit *De Consensu Evangelistarum*, eos remittendos esse putamus.

Quæ ergo hac de re habet idem S. Doctor lib. 18. *de Civit. Dei* cap. 41. num. 1. nunc solum referamus: „ Denique auctores nostri, in quibus non frustra Sacrarum litterarum figitur, & terminatur canon, absit, ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immerito, quum illa scriberent, eis Deum, vel per eos loquutum, non pauci in scholis atque gymnasiis litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in urbibus cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Ipsi sane pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod religione clarum esse oporteret: nec tamen ita pauci, ut eorum non sit miranda consensio. Neque enim in multitudine philosophorum, qui labore etiam litterario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facile quis invenerit, inter quos cuncta, quæ sensere, conveniant „.

Non negamus autem Jesu Christi gesta Divinamque doctrinam ejus esse id, circa quod Sacri Scriptores librorum Novi Testamenti potissimum occupati fuere. Verum quamnam tandem calumniandi occasionem Deistæ inde accipere possunt? Nonne æquum erat, ut in suis sermonibus ad eum præsertim respicerent, quem esse Dei Filium agnoverant, sanctitatem præceptorum ejus perspexerant, uti Ecclesiæ Caput, & Fundatorem venerati fuerant, ac talem quoque ab iis omnibus habendum esse intellexerant, qui Ecclesiæ Christianæ, quam nunquam defecturam prævideant, nomen daturi erant? Quidnam ergo esse convenientius unquam potuit, quam ut in Jesu Christi gestis sanctissimisque præceptis referendis Sacri Scriptores potissimum occuparentur? Nonne gesta Jesu Christi, atque præcepta ejus pro omnibus ætatibus, & hominibus certissima regula futura erant, ad quam suas actiones, & fidem singuli dirigere deberent? Dum ergo Sacros Scriptores hoc unum peculiariter sibi proposuisse moleste ferunt, pro suo more impie faciunt. Suam vero impietatem magis magisque produnt, quando sua dicendi ratione Christum eodem in pretio, ac quemvis alium peculiarem hominem, se habere demonstrant.

Ad 2 quoad ea, quæ opponunt de contradictione Evangelistarum, neces-

se modo non est, uti diximus, ut alia respondeamus. Ad id autem, quod objiciunt contra Matthæum dicentem: *Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*, variis Interpretum omissis opinionibus, quæ de hac voce *Nazaræus* circumferuntur, cum Sancto Thoma in *Matthæi* ca. 2. ita paucis respondemus: „ Hoc non invenitur scriptum, sed potest dici, quod „ ex multis locis colligitur. Nazaræus igitur interpretatur Sanctus, & quia „ Christus dicitur Sanctus *Danielis* 9. v. 20. *Et ungatur Sanctus Sanctorum*, ideo „ signanter dicitur *per Prophetas*. Vel potest dici, quod per Nazaræum inter„ pretatur. Et hoc habetur *Isaiæ* 11. v. 1. *Et egredietur virga de radice Jes„ se, & flos de radice ejus ascendet*: & ideo venit cum eo, quod dicitur *Can„ ticorum* 2. v. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium* „. Ita S. Thomas: cujus responsionis vim ii sentient, qui in Sacrarum Scripturarum stylo sunt exercitati. Quod autem Deistæ responsionibus hujusmodi non admodum moveri solent, simile est nimirum, ut exemplum facile proponamus, ac si quis Ciceronis locum aliquem obscuriorem non ex Ciceronis ejusdem stylo, sed ex suo ipse stylo, & consuetudine æstimandum, atque explicandum putet, quo nihil potest ineptius esse.

Alterum quoque, quod opponunt; ab eodem Sancto Doctore solutum fuit. Postquam enim aliorum hac de re opinionem expendit, ita habet in *Matthæi* cap. 20. „ Officium est enim boni interpretis non considerare verba, „ sed sensum. Ideo iste posuit sensum quorumdam scriptorum in Jeremia, „ & quorumdam in Zacharia, sicut habetur in Marco, quod ponit auctorita„ tem Isaiæ, [a] cujus una pars est Malachiæ, (b) alia Isaiæ; (c) sic & Mat„ thæus conjunxit duas sententias, quarum una a Zacharia, [d] altera a Je„ remia proponitur. [e] Quod enim est in Zacharia, scilicet, *quod appenderunt*, „ id est, acceperunt triginta argenteos, in Jeremia non adinvenitur, sed *quod* „ *agrum emit*, quod signabat factum toti populo „.

Ad 3. dicimus per Divinam inspirationem Sacros Scriptores non fuisse prohibitos, ne, dum scriberent epistolas, urbanitatis usitato more fungerentur. Quid? per hujusmodi salutationes nonne inter Ecclesias pax fovebatur, societas fraternæ charitatis magis unita consistebat, atque animi plurimorum in Domino recreabantur? An fortasse hæc omnia sunt aliena ab iis, qui divinitus inspirati sunt?

„ Fateor autem [ut Melchioris Cani verbis utar lib. 2. *De Locis* „ *Theologicis* cap. 18.] non singulas Scripturæ particulas, ut a Sacris Scri„ ptoribus scriberentur, propria, & expressa revelatione indiguisse, sed sin„ gulas tamen scriptas peculiari Spiritus Sancti instinctu, afflatuque, vere, & „ jure contendo. *Ille*, Christus ait [f], *vos docebit omnia, & suggeret vo„ bis omnia, quæcumque dixero vobis*. Alias etiam oblita suggeret, alias „ etiam vestris auribus audita suggeret; quæ alias natura sponteque sua in „ mentem venire poterant, ea quoque suggeret, non supernaturalia modo, „ sed & naturalia suggeret, & quæ alias humano more scriberentur „. Quamlibet ergo partem Sacræ Scripturæ editam fuisse per immediatam revelationem Spiritus Sancti, quæ quidem proprie revelatio dicenda sit, non affirmamus; sed

(a) *Marci* 1. v. 1.
(b) *Malachiæ* 3. v. 1.
(c) *Isaiæ* 40. v. 3.
(d) *Zachariæ* 11. v. 12.
(e) *Jeremiæ* 32. v. 9.
(f) *Joannis* 14. v. 26.

sed illud tantummodo volumus, Sacros Auctores scripsisse nihil, in quo Spiritus Sancti peculiarem directionem non habuerint, etiamsi ab ipsis scriberentur, quæ & naturalia erant, & humanis moribus consentanea. Quoad ea ergo, quæ in epistola *ad Timotheum* cap. 4. scripsit, propria, & expressa revelatione Sanctus Apostolus non indiguit, quum talia sint, quæ in mentem illius cadere poterant; tamen ne in istis quoque deficeret, aut deficere posset, peculiari directione Sancti Spiritus factum fuit. Quid vero in contemptum Divinæ inspirationis Deistæ pro se inferre inde possint, sane non video. An fortasse vellent, ut per Divinam inspirationem ex memoria Sacrorum Auctorum deletum esset, quod in consuetudinem humani usus cadere poterat? Nullius ergo momenti esse, quæ contra Divinam inspirationem opponunt, tandem aliquando fateantur.

Quia vero nunquam supervacaneum esse potest, ut cura, studio, atque diligentia quispiam ea comparare contendat, quæ sibi valde utilia, aut etiam pro institutione sui muneris necessaria sunt; ideo recte quoque monet Sanctus Apostolus suum Timotheum, ne attendere omittat lectioni, exhortationi, atque doctrinæ, ut profectus illius omnibus manifestus esse posset. Quid enim tandem erat, quod in personam Timothei, qui alios regendos susceperat, magis convenienter cadere posset?

Ad 4. reponimus, Apostolos, quamvis divinitus inspirati fuerint, alia subinde per Divinam Revelationem noscere potuisse, quæ antea nullo modo noverant; vel quæ jam noverant, aliis quoque evidentioribus ejusdem Divinæ Revelationis argumentis subinde videre, atque perspicere. Neque enim putandum est, vel Deum omnia simul iisdem revelare debuisse, vel non potuisse argumentis magis magisque perspicuis significare, quæ antea demonstraverat. Mirandum ergo non est, si Apostolo Petro, quamvis esset antea divinitus instructus, Gentes quoque in societatem Religionis Christianæ admittendas, peculiaribus signis præmonstratum fuerit.

Sanctum vero Petrum reprehensum a Sancto Paulo fuisse propter simulationem, quam adhibebat, etiam Julianus exprobavit: cui Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 9. contra eumdem ita respondet: „ Ad hæc, *inquit*, audax „ ille, & confidens, Petrum Apostolorum præcipuum cavillatur, & hypocri„ tam esse dicit, atque a Paulo reprehensum, quod modo Græcorum, modo Judæo„ rum ritu vivere vellet, ignorans plane singularem in his consilii rationem. „ Non enim diversa sentiebat ille Discipulus, sed congrua moderatione tem„ pestive utens, omni ratione prodesse studebat iis, qui ad se venirent. Quum „ autem unis ritibus addictus esset Beatus Paulus, aggressus commonefecit. „ Metuebat enim, ne propositum lateret, & ille dispensandi modus nonnullos „ offenderet „. Nunquam ergo de aliquo dogmate fidei inter Petrum, & Paulum contentio fuit, sed ne coram Judæis cum Gentilibus comederet, cavendum sibi esse S. Petrus aliquando existimavit, contra ac S. Paulus fieri debere putabat: „ Plane reprehendit (inquit Tertul. li. 5. *Cont. Marcionem* ca. 3.) (hoc „ est S. Paulus Petrum Apostolum) non ob aliud tamen, quam ob incostantiam victus, „ quam pro personarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circum„ cisione; non ob aliquam Divinitatis perversitatem, de qua & aliis in faciem „ restitisset, qui de minori caussa conversationis ambiguæ, Petro ipsi non pe„ percit „. Et in lib. *De Præscript. Hæret.* cap. 23. „ Ceterum, *inquit*,

„ si reprehensus est Petrus, quod quum convixisset Ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu; atque conversationis fuit vitium, non inspirationis „. Quamvis ergo Sanctum Petrum non recte operatum fuisse demus, quando curavit, ne se cum Gentibus comedentem Judæi viderent; tamen quum hoc vitium fuerit *conversationis*, non *ispirationis*, nihil contra Divinam inspirationem Deistæ ex eo colligere possunt.

Quamvis autem Sancti Apostoli divinitus inspirati essent, atque per se unusquisque eorum cognoscere posset, quænam Ethnicis conversis ad fidem Christianam servanda præcipi deberent; tamen hoc non efficit, ut ad expendenda ea, quæ ad Ecclesiæ bonum pertinebant, simul congregari non debuerint. Quandoquidem si unusquisque eorum per se tantum poterat, multo potori jure simul uniti summam auctoritatem habere debebant. Ut ergo sibi invicem communicarent, quæ divinitus noverant quoad rem illam, de qua agebatur, omnes simul recte convenere.

Quum autem quo sensu Sanctus Apostolus intelligi debeat, quando se præcipere affirmat, non vero Dominum, hujus quæ: art. 2. §. 2. jam exposuerimus, non est, cur rursus actum agamus.

Ad ultimum respondemus, tantum abesse, ut propter personales defectus, quos ipsi Sacri Auctores de se referunt, eorumdem Divina inspiratio in dubium revocari possit, quin potius id evidenti argumento esse debet, humanam gloriam sibi eos non quæsivisse, neque ullam suspicionem falsitatis in eos cadere posse, quemadmodum jam demonstravimus. Quapropter si humanæ gloriæ contemptus, dicendi ratio ab omni falsitate prorsus aliena, summaque ingenuitas cum Divina inspiratione simul stare possunt, immo hæc ipsa indicia sunt, ac testimonia scriptionis plusquam humanæ; nemo jam non videt, Sacros Auctores fuisse divinitus inspiratos ex eo etiam capite confirmari, ex quo hanc Divinam inspirationem Deistæ evertere frustra obnituntur. (a)

Nonnulla vero esse in Sacris Novi Testamenti litteris, quæ non statim ab unoquoque cognosci possunt, non negamus. Hoc autem vitio Sacrorum Scriptorum tribui non potest, quum tanta sit sublimitas mysteriorum, de quibus sæpe agunt, ut ipsi quidem Divino lumine suffulti ea viderint, nos vero per nos ipsos assequi non possimus. „ Deus enim (inquit Tertullianus in *Apologetico* „ cap. 17.) invisibilis est, etsi videatur, incomprehensibilis, etsi per gratiam „ repræsentetur, inæstimabilis etsi humanis sensibus æstimetur, adeo verus, &

„ tan-

(a) Multa hac de re S. Augustinus præclare disseruit, quorum hic aliqua excribenda esse putavimus: „ Porro si peccatum Loth „ (inquit S. Doctor lib. 22. contra Faustum „ cap. 60) cui perhibitum est, antequam „ peccaret, justitiæ testimonium, non modo „ non decolorat Divinitatem Dei, vel Scripturæ illius veritatem, verum etiam „ laudandam diligendamque commendat, „ quam tamquam speculi fidelis nitor admotarum sibi personarum non solum quæ „ pulchra, atque integra, verum etiam quæ „ deformia vitiosaque sint, indicat; quanto „ magis factum Judæ, quod cum sua nuru „ concubuit, nihil omnino affert, unde auctoritas sancta culpetur: quæ in illis libris „ fundata persistens non tantum paucissimorum Manichæorum calumniosas argutias, „ verum etiam Gentilium tot tantorumque „ populorum horrendas inimicitias Divino jure contemnit, quos pene jam totos a nefaria superstitione simulacrorum, ad unius „ Dei veri cultum Christiano imperio subjugavit, edomito orbe terrarum, non violentia bellici certaminis, sed invictæ potentia veritatis „. Cap. 61. „ Nunquid, „ *inquit*, cujusquam membra distorta depravant lucem, quæ cuncta demonstret? Sic „ nec cujuspiam malefacta malam Scripturam faciunt, qua prodente legentibus innotescunt „.

„ tantus est. Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æsti„ mari potest, minus est & oculis, quibus occupatur, & manibus, quibus in„ venitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est: hoc, quod est, „ Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita eum vis magnitudinis & „ notum nobis objecit, & ignotum. Et hæc est summa delicti nolentium re„ cognoscere, quem ignorare non possunt „. Quum ergo res ita se habeat, quidnam æquitati magis consentaneum esse potest, quam ut quoad ista iis credamus, qui ea Divino lumine nosse potuerunt? „ Nam (sicuti inquit Sanctus „ Augustinus lib. 11. *De Civitate Dei* cap. 3.) si ea sciri possunt, testibus no„ bis, quæ remota non sunt a sensibus nostris, sive interioribus, sive etiam „ exterioribus; unde & præsentia nuncupantur, quod ita ea dicimus esse præ „ sensibus, sicut præ oculis, quæ præsto sunt oculis: profecto ea, quæ re„ mota sunt a sensibus nostris, quoniam nostro testimonio scire non possumus, „ de his alios testes requirimus, eisque credimus, a quorum sensibus remota „ esse, vel fuisse non credimus. Sicut ergo de visibilibus, quæ non vidimus, „ eis credimus, qui viderunt, atque ita de ceteris, quæ ad suum quemque „ sensum corporis pertinent; ita & de his, quæ animo, & mente sentiuntur „ [quia & ipse rectissime dicitur sensus, unde & sententia vocabulum acce„ pit] hoc est de invisibilibus, quæ a sensu nostro interiore remota sunt, „ iis nos oportet credere, qui hæc in illo incorporeo lumine disposita didice„ runt, vel manentia contuentur „.

Verum enim vero „ quum tam multis exitibus (ita recte idem S. Do„ ctor *de Genesi ad litteram* lib. 1. nu. 40.) verba Scripturæ, quæ tractavi„ mus, exponantur, cohibeant se tandem, qui litteris secularibus inflati hæc „ ita posita, ut omnia pia corda nutriant, velut imperitum, atque impoli„ tum aliquid exagitant, sine pennis in terra reptantes, & volatu ranarum „ avium nidos irridentes. „ Talis ergo est Sacræ Scripturæ loquutio, quemadmodum concludit laudatus Doctor *de Genesi ad litteram* lib. 5. nu. 6. „ ut „ altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos „ pascat, affabilitate parvulos nutriat. „ Homines ergo, uti habet S. Doctor *Enarrat. in Psalm.* 11. num. 8. „ quibusdam Scripturarum locis obscuris, tam„ quam clausis oculis Dei, exerceantur, ut quærant: & rursus quibusdam lo„ cis manifestis, tamquam apertis oculis Dei, illuminantur, ut gaudeant. Et „ ista in sanctis libris crebra opertio atque adapertio tamquam palpebræ sunt „ Dei, quæ interrogant, id est, quæ probant filios hominum, qui neque fa„ tigantur rerum obscuritate, sed exercentur; neque inflantur cognitione, sed „ confirmantur. „

At vero quam multa quoque sunt in Sacris litteris, quæ intelligi ab unoquoque facile possunt, quia summam cum humana ratione conformitatem habent? Quæ autem Christus dixit, atque operatus fuit, anne majori cum claritate, atque distinctione Sacri Scriptores unanimiter referre poterant? Hisce ergo omnibus quo tandem jure Deistæ fidem præbere detrectant? Hac ergo sua agendi ratione satis ostendunt, ea mente se ad obscuritatem recurrere, ut aliquem suæ perfidiæ prætextum habere videantur. [a]

Quæ-

(a) Hic illud monemus, nemini minus, quam Spinosæ, ad obscuritatem recurrere licuisse. Nam tanta obscuritate involuta sunt, quæ in suis Operibus ipse tradit, potissimum vero in sua Ethica, ut exquisita attentione ad ea intelligenda, illorumque sen-

Quænam vero ſint leviſſima præcepta, in quibus tradendis Sacri Scriptores ſummam curam adhibent, Deiſtas rogamus, ut nobis exponant. An fortaſſe præcepta charitatis, quæ ſummopere ubique inſinuant, leviſſima dici poſſunt? an ſuperflua cura eſt, qua adhortantur omnes, ut ſoli Deo placere contendant? an intempeſtivæ admonitiones, quibus unicuique ſuadent, ne vitiis hujus ſeculi ſe ſeduci patiantur? an tandem, ut omittam reliqua ſanctiſſima præcepta, atque monita, de quibus hujus lib. qu. 1. art. 1. §. 1. & ſeq. jam egimus, ut a falſis Prophetis, ac Doctoribus, ſibi caverent, ſingulos iterum iterumque ſine ulla neceſſitate monuere, & fruſtra rogaverunt, ne omni doctrinæ vento circumferrentur? At quam multi omni ætate extitere, qui propter doctrinæ novitatem in turpiſſimos errores lapſi ſunt? quam multi noſtra quoque ætate adinveniuntur, qui propter novitatem doctrinæ, quam in quibuſdam impiiſſimis libellis conſectantur, periculum eſt, ne omnem prorſus Religionem exuant? Quum ergo per præcepta, atque monita Sacrorum Scriptorum factum eſſe Deiſtæ videant, ne, ſicuti ipſi vellent, proficere poſſint; mirum non eſt, ſi ea, uti nullius momenti, contemnenda traducant: nam, his ſemel contemptis, futurum eſſe, ut quod ſibi propoſuerunt, facilius aſſequi poſſint, & nos quoque damus.

Tandem quando Sacros Scriptores divinitus inſpiratos fuiſſe negant, quia monent ſuos Diſcipulos, ut in cognitione Divinorum magis magiſque proficere contendant, demonſtrant nihil amplius ſe habere, quo ſe vertant. Quid? eos, qui Deo inſervire diligentiſſime debent, qui illius mandata curare, qui debitum ei famulatum omni ſtudio exihere, ſollicitos eſſe non oportet, ut ſemper in dies Dei voluntatem magis manifeſte cognoſcant, ut a Patre luminum, quæ ſibi quovis tempore agenda ſint, diſtinctius innoteſcant? At non eſt, cur in hiſce refellendis oleum operamque diutius perdamus.

Hiſce omnibus, quæ uſque modo confutavimus, hæc quoque alia ſimilia ſunt, quæ Spinoſa [a] contra Divinam inſpirationem ſuperaddit; hoc eſt, a Divina inſpiratione abhorrere, ut cum dubitatione nonnulla proponantur, ſicuti facit Apoſtolus Paulus (b); vel quæ proferuntur, artificioſa argumentatione confirmentur, ſicuti aliquando idem Apoſtolus conſuevit.

Neque enim Sanctus Apoſtolus dubius manet, num juſtificatio fiat per fidem ſine operibus legis, vel num paſſiones hujus ſeculi ſint multo inferiores futura gloria, quæ revelabitur in nobis. Quapropter licet ita habeat: [c] *Arbitramur enim hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis; & exiſtimo, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus ſeculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, dubitanter non loquitur, ſed verba illius eumdem ſenſum habent, ac ſi diceret*: ſtatuo; decerno: certo teneo*. Nam cap. 4. & 5. ejuſdem epiſtolæ ad *Romanos* operibus legis juſtificationem acceptam referri non poſſe ſimpliciter conſtituit; & cap. 2. epiſtolæ *ad Epheſios* v. 9. illud *Iſaiæ* cap. 4. v. 4. in medium producit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*, ut magis magiſque confirmet, non eſſe condignas paſſiones hujus ſeculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. (d)

Si

ſenſum aſſequendum, opus ſit. Summa vero calliditate hac in re uſum fuiſſe in *Theologia Naturali* lib. 2. qu. 1. ar. 2. jam evicimus.

(a) Cap. laud. in initio hujus art.

(b) *Roman.* 3. v. 28., & ca. 8. v. 18.

(c) *Roman.* 3. v. 28.

(d) *Roman.* 8. v. 18.

Si quando autem Sanctus Apostolus argumentatione utitur, neque longius conquisita, neque artificiosa ea est, sed simplex & naturalis, quæque, suppositis iis, quæ præmittit, in mentem cujusvis hominis cadere potest. Ita ad *Galat.* cap. 2. v. ult. hac ratione argumentatur: *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Nam quis non videat Christum gratis mortuum fuisse; si etiam sine morte illius per ipsam legem justitia comparari poterat? Quapropter si a Divina inspiratione non abhorret, ut quæ ex ea proferuntur, aliquando etiam certo peculiari ordine inter se connexa proferantur; neque etiam argumentandi ratio, qua Sanctus Apostolus nonnunquam utitur, ab ea abhorrere ullo modo debet, solique Spinosæ hæc res negotium facessere potest.

ARTICULUS VI.

NUM ALIQUA HISTORIÆ EVANGELICÆ CAPITA ETIAM TESTIMONIIS ETHNICORUM CONFIRMARI POSSINT.

TEstimoniis minime necessariis adversus Deistas modo pugnare instituimus: Quamvis enim, uti etiam Hugo Grotius *De Veritate Religionis Christianæ* lib. 3. §. 14. recte animadvertit, nulla hujusmodi testimonia nobis suppeterent; semper tamen de veritate Historiæ Evangelicæ certissime constaret.

PROPOSITIO. Aliquot Historiæ Evangelicæ capita sunt etiam Ethnicorum confirmata testimoniis.

Prob. prop. Et primo quidem eorumdem testimonio negativo id evincitur, quod modo volumus. Quandoquidem Apologistas Christianæ Religionis in iis scriptis, quæ in defensionem ejus evulgarunt, tum ut impias accusationes depellerent, tum ut sanctitatem vindicarent, de iis, quæ a Jesu Christo gesta erant, mentionem sæpe fecisse, nullus negare potest. Ethnici autem tantum abfuit, ut quæ ab iisdem prædicabantur, falsa, & conficta esse reposuerint, quin potius vel rei veritate convicti suo silentio iisdem se assentiri demonstrarunt, vel quum alia ratione se tueri non possent, ad magicas artes recurrerunt. Hoc autem eo magis mirandum est, quo acriori in Christianam Religionem odio agitabantur, atque non solum imperiti vulgaresque e plebe homines, sed etiam præcipui Philosophi illorum temporum, atque Primates, omnino male affecti in eam erant. Inde enim fit, ut dici non possit, Ethnicos seu propter suam propensionem erga Christianos, seu propter ignorantiam, aut imbecillitatem, assensos fuisse iis, quæ de Christo circumferebantur. Completam autem supra suos adversarios victoriam reportassent, semel ac eos de falsitate convincere potuissent. Quapropter si testimonium negativum maximam vim ad persuadendum tunc habet, quando graves urgentesque caussæ impellebant, ut aliqui de ea re, quam omnino tacuerunt, verba facerent; quum graviores urgentioresque caussæ Ethnicis occurrere non potuerint, ob quas falsa esse demonstrarent, quæ ab Apologistis prædicabantur, evidentissimo argumento est de eorumdem veritate fuisse omnino convictos, adeoque ex eorum negativo testimonio Evangelicæ historiæ veritas apertissime confirmatur.

Verum ad eorumdem Ethnicorum positiva testimonia veniamus, videamusque, num Ethnici de aliquibus peculiaribus Evangelicæ historiæ capitibus men-

mentionem fecerint. In suo *Commentario ad Timothæum* Chalcidius Platonicus hæc habet: „ Est quoque sanctior, & venerabilior historia, quæ perhibet or- „ tu stellæ cujusdam non morbos, mortesque denunciatas, sed descensum Dei „ venerabilis ad humanæ conservationis rerumque mortalium gratiam: quam „ stellam quum nocturno itinere inspexissent Chaldæorum profecto sapientes vi- „ ri, & consideratione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur re- „ centem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili, veneratos esse, & vo- „ ta Deo tantum convenientia nuncupasse „. Quæ ergo de stella præeunte Magos, eorumque adventu ad Christum exquisitiori cultu prosequendum, in Evangelica historia leguntur, Chalcidius, qui quarti seculi initio floruit, suo suffragio comprobavit [a].

Est etiam Macrobii testimonio confirmatum quod de cæde infantium, jubente Herode, in Evangelica historia facta legitur: „ Quum audisset (Augu- „ stus) (inquit Macrobius lib. 2. *Saturnaliorum* cap. 4.) inter pueros, quos in „ Syria Rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus oc- „ cisum, ait: melius est Herodis porcum esse, quam filium „. Ut aliqua eorum, quæ leguntur in historia Evangelica, etiam ab Ethnicis memoriæ posterorum tradita fuisse Clarkius demonstret, *De Religione Naturali* cap. 17. nu. 11. laudato Macrobii testimonio utitur, atque ab Hugone Grotio allatum non fuisse miratur: in iis tamen, quæ ad prædictum numerum 17. capitis adnotationes adjunctæ sunt, Macrobium deceptum esse inde conjectatur, quia quum tunc temporis Herodes annum circiter septuagesimum ageret, atque infirma valetudine uteretur, probabile non est, inquit, tam teneræ ætatis filium habuisse. Hinc quia primo duos filios Alexandrum, & Aristobulum, deinde vero Antipatrum Herodes occidi fecit, inde, ait, Augustum dicendi occasionem accepisse fertur: *melius est Herodis porcum esse, quam filium*. Verum nihil minus est, quod sibi quispiam fingere possit. Quandoquidem simul cum aliis pueris, qui erant intra bimatum, & quos Herodes in Syria occidi fecit, filium quoque ejus occisum fuisse, Macrobius narrat: ergo occisio, propter quam Augustum miratum fuisse Macrobius narrat, ad alium filium Herodis præter Alexandrum, & Aristobolum, referri debet, qui secundum ætatis suæ annum nondum complesset; sed Antipater intra bimatum esse non poterat, quando Herodes eum occidi fecit: ergo Macrobii verba de Antipatro accipi non possunt, sed ad alium minorem filium ipsius Herodis referri debent, qui annum secundum nondum complesset. Prob. mi. „ Antipatro autem [inquit, Josephus „ *Antiq. Judaicar.* lib. 17. cap. 1. nu. 1.] postquam fratres sustulisset, & pa- „ trem extrema nequitia, & furiis illorum injurias ulciscentibus circumdedis- „ set, nihil ad spem, quam de reliqua vita conceperat, firmandam affulge- „ bat. Nam omni de imperio metu liberatus, quod nihil cum fratribus com- „ mune habiturus esset, tamen ut regnum adipisceretur opus arduum fore, „ & impeditum sentiebat: odium in ipsum tam inveteratum genti penitus in- „ sederat. Quum autem & hoc grave ei esset, & molestum, majorem ad- „ huc sollicitudinem ei injiciunt milites, animos ab ipso alienos habentes, „ quorum ex fide pendet omnis regnantium securitas, si quando gens ipsa „ novarum rerum studio teneatur: tantum periculi sibi conflavit ex fratrum in-

„ teri-

(a) Adnotationes ad §. 2. sect. 2. inscripti Operis *De la Religion Chretienne*, cujus Addisonius Auctor est, consulantur, in quibus ad astruendam hujus testimonii veritatem contra Vaninum multa disputantur.

„ teritu. Neque tamen non cum patre regnabat, nihil plane a rege discrepans, & „ majorem apud eum auctoritatem habebat, benevolentia sibi ex iis, ob quæ peri- „ isse debuerat, firmiori conciliata, quasi in Herodis securitatem fratrum delator „ extitisset, non autem ex odio, quo illos prosequebatur, & in primis patrem: ta- „ les ipsum agitabant diræ„. Quomodo deinde Antipater necem patri machinatus fuerit, Josephus refert, traditque infenso eum animo fuisse etiam in filios suorum fratrum Aristobuli, & Alexandri. Ejusdem lib. cap. 3. nu. 2. Antipatrum a patre suo Herode ad Cæsarem missum esse tradit, apud quem dum degeret, ejus occulta consilia contra se inita Herodes detexit, teste eodem Josepho cap. 4. nu. 1. Quare a Roma reducem capitis eum damnavit, atque in vinculis adservandum constituit, quoadusque Cæsar hac de re certior factus esset, sicuti cap. 5. Josephus tradit. Tandem, Cæsare sibi permittente, ut qua ratione vellet, Antipatrum puniret, quamvis *in extremis esset*, ut tradit Josephus cap. 7., missis satellitibus, Antipatrum in carcere interfici præcepit. Hæc vero omnia, quæ de Antipatro Josephus refert, quisnam unquam puero convenire posse putaverit, qui secundum ætatis suæ annum nondum explevisset? Ad alium ergo filium Herodis, qui cum aliis pueris, eodem Herode jubente, occisus fuerit, recte Macrobium respexisse, nimis manifestum est. Herodem autem tunc temporis ingravescenti jam ætate fuisse, etiam ego fateor; tamen num septuagesimum circiter annum ageret, non constat, & quamvis constaret, inde inferri certo non deberet, non potuisse habere filium, qui duorum annorum esset. Postremo quum ipse Cæsar Herodi permiserit, ut qua ratione vellet, Antipatrum puniret, non erat cur miraretur, atque diceret: ***melius esse Herodis porcum esse, quam filium***, quando Antipatrum jussu patris interfectum audivit. Qua enim de caussa in carcerem conjectus fuisset, ab Herode certior factus fuerat: eam vero Cæsarem probasse inde constat, quia Herodi permiserat, ut, sicuti vellet, Antipatrum puniret. Unde, ipso consentiente, non crudeliter, & inhumaniter, sicuti hæc verba præseferunt: ***melius est Herodis porcum esse, quam filium***, sed juste Herodes se gessit, dum Antipatrum filium morte punivit.

Ex his autem ea quoque soluta manent, quæ Collinsius (a) contra Macrobii testimonium opponit: nam quod superaddit, hoc est Macrobium testem eorum esse non posse, quæ quatuor seculis ante ipsum contigerant, & fortasse Christianum fuisse, nullius momenti est: quandoquidem Macrobius non narrat, quæ viderat, sed quæ legerat apud Auctores. Ethnicum autem fuisse constat, quum affirmet, se adorare Janum, & colere lunam.

De defectione solis, quæ contigit, moriente Christo, hæc Phlegon tradit *Chronicorum*, seu *Olympiadum* lib. 13. „ Quarto autem anno CCII. Olympiadis maxima, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio „ solis facta: dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœ- „ lo visæ sint, terræque motus in Bythinia Nicææ urbis multas ædes subver- „ tit.„ Hæc autem in Chronico tum Eusebii, tum Hieronymi leguntur. Etiam Dion in *Claudio*. Svetonius in *Tiberio* cap. 48. terræ concussionis, quæ ad mortem Christi consequuta fuit, mentionem faciunt.

Me non latet a Bælio in suo *Dictionario* art. *Phlegon* Adnotatione C multa

(a) Consulantur Adnotationes ad §. 2. sect. 2. Operis inscripti: *De la Religion Chretienne*, cujus est auctor Addisonius.

ta opponi contra teſtimonium Phlegontis; verum quum iis alii abunde ſatisfecerint (a), aliunde vero narrationem Phlegontis veram eſſe conſtet, non eſt, cur in iiſdem diluendis diutius immoremur. Hujus enim rei ut certam fidem Tertullianus faciat, ad Romana archivia provocat: „ Eodem momento dies „ (inquit *Apologetici* cap. 1. nu. 6.) medium orbem ſignante ſole, ſubducta „ eſt... Eum mundi caſum relatum in archiviis veſtris habetis „. Origenes lib. 2. *contra Celſum* nu. 33. „ De ſolis autem defectione, *inquit*, quæ acci- „ dit ſub Tiberio Cæſare, quo imperante, Chriſtum crucifixum eſſe conſtat, „ deque motibus, queis tunc terra ſuccuſſa eſt, Phlegontem opinor in 13. „ vel 14. *Chronicorum* libro injeciſſe mentionem „. Unde & Lucianus presbyter, atque martyr, uti Ruffinus tradit *Hiſt. Eccl.* lib. 9. cap. 6., ad ſuos judices dixit confidenter: „ Conſulite annales veſtros: invenietis Pilati tem- „ poribus, dum pateretur Chriſtus, media die fugatum ſolem, & interruptam „ diem „. Quapropter mirandum non eſt, ſi rem tam certam Ethnicis objecere Apologiſtæ Chriſtianæ Religionis, uti Sanctus Juſtinus Martyr in *Exhortatione ad Gentes*, Minucius Fœlix in *Octavio*, Lactantius, & alii.

Mortis Chriſti, & quod paſſus fuerit ſub Pontio Pilato, etiam Lucianus in ſuo *Peregrino* mentionem facit. Celſi vero teſtimonium hac tota de re ampliſſimum eſt: nam quoad ortum Jeſu Chriſti, ejus fugam in Ægyptum, itinera per diverſa loca, miracula, atque modum, quo traditus fuit, mortem demum, & paſſionem illius, cum narratione Evangeliſtarum omnino conſentit, uti legenti libros Origenis *contra Celſum* manifeſte conſtabit.

Quid? None Chriſtus futurum eſſe prædixit, ut multa mala paterentur, qui doctrinam ejus ſequuturi erant? Hæc quoque quando jam contigerant, Svetonius in *Claudio* cap. 25., Tacitus *Annalium* lib. 15., & Plinius Junior epiſtolar. lib. 10. epiſt. 94., aliqua ex parte deſcripſerunt.

Quod attinet vero ad Chriſti miracula, ſuffragio Ethnicorum ea confirmata fuiſſe, non eſt, cur demonſtrare aggrediamur, quum hac de re Juliani, Porphyrii, Hieroclis, atque Celſi teſtimonia nimis perſpicua eſſe in Scholio 5. a. art. 2. quæ. præcedentis jam evicerimus.

At vero non ſolum aliquæ partes Evangelicæ hiſtoriæ teſtimonio Ethnicorum confirmatæ ſunt, ſed etiam ipſa Evangelica hiſtoria tota quanta eſt, illorum quoque auctoritate comprobatur; quam etiam Deiſtæ, ſi tamen æqua ratione agere velint, pluris facere debent, quam ſi Ethnici forent. Tales vero eos Philoſophos eſſe contendo, qui etiam dum Ethnici erant, Philoſophiæ ſtudio diligentiſſime incubuere, poſtea autem rei veritate convicti Chriſtianæ Religioni nomen dederunt, eamque adverſus Ethnicos acriter propugnarunt. Illorum nonnullos tantum commemorabimus, quum res perſpicua per ſe ſit, eos omnes Philoſophos, qui Religionem Chriſtianam amplexi fuere, non ſolum de Evangelicæ Hiſtoriæ veritate nihil dubitaſſe, ſed etiam adlaboraſſe plurimum ad defenſionem ejus „. Servatoris autem noſtri opera (ita Quadratus apud „ Euſebium *Eccl. Hiſt.* lib. 4. cap. 3.) ſemper conſpicua erant, quippe quæ „ vera eſſent: ii ſcilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam „ revocati fuerant. Qui quidem non ſolum dum ſanabantur, conſpecti ſunt „ ab omnibus, ſed ſequuto deinceps tempore. Nec ſolum quandiu in ter- „ ris moratus eſt Servator noſter, verum etiam poſt ejus diſceſſum diu ſuperſtites

(a) Conſulantur modo laudatæ Adnotationes.

„ stites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint „. Hæc Quadratus in ea oratione, quam in defensionem Christianæ Religionis Ælio Hadriano obtulit „. Aristides quoque, (sicuti idem Eusebius cap. laud. tradit) vir fidelis in Religionis nostræ sectatoribus, Apologeticum pro fide nostra, perinde ac Quadratus, Hadriano Cæsari nuncupatum reliquit „. S. Theophilus Christianum dogma de Resurrectione corporum ideo se credidisse profitetur, quia Sacras Scripturas diligenter perscrutatus fuerat: ita enim Autolycum hortatur lib. 1. ad eumdem nu. 14. „ Ne sis igitur incredulus, sed potius crede: nam & ego non credebam id futurum [scilicet resurrectura corpora], sed nunc credo, postquam hæc attentius considеravi; simul quod in Scripturas incidi Sanctorum Prophetarum, qui per Spiritum Sanctum & præterita eodem, quo gesta sunt, modo, & præsentia eodem, quo geruntur, prædixerunt, & futura eodem ordine, quo perficientur „. His vero adjici multi alii possunt, qui & Philosophi præstantissimi, & omni genere eruditionis imbuti erant, antequam Christianam Religionem amplecterentur. Horum vero testimonium, licet Christiani fuerint, etiam a Deistis pluris faciendum esse contendimus, quam si Ethnici permansissent. Quandoquidem primo Ethnici erant, deinde Christianam Religionem ita professi fuere, ut in defensionem ejus Apologias scripserint, contrarios errores confutaverint, atque Ethnicis, quos etiam ipsi quondam sequuti erant, valide restiterint, quæ ab Evangelistis per Christum gesta esse referuntur, firmiter propugnaverint, totamque Evangelicam historiam uti Divinam, & certissimam suscеperint: ergo res, quæ Religione Christiana proponebantur, prius serio eos expendisse, deinde autem de veritate omnino convictos eisdem assensisse dicendum est: ergo Deistæ testimonium eorum inde rejicere non possunt, quia Christiani fuere; quin potius ideo potissimum quia Religionem Christianam amplexi sunt, ex testimonio eorum de Evangelicæ historiæ veritate evidentius constare debet.

Dices. Augustum jussisse, ut orbis universus describeretur Sanctus Lucas tradit hisce verbis: (a) „ Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in civitatem suam „. Profecto si hæc descriptio universalis totius orbis, quemadmodum Lucas tradit, facta fuisset, Ethnici Scriptores de ea mentionem procul dubio fecissent; sed nullam mentionem fecerunt: ergo. Prob. mi. Tacitus *Annalium* lib. 1. cap. 2. de hac descriptione non loquitur, sicut nonnulli voluerunt, sed de quodam libello exarato manu Augusti, in quo continebatur, quid imperium posset, & quæ vectigalia haberet: „ Quem proferri, *inquit*, libellum, recitarique jussit. Opes publicæ continebantur. Quantum civium sociorumque in armis: quot classes, regna, provinciæ, tributa, vectigalia, & necessitates, & largitiones, quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus „. Svetonius in *Vita Augusti* cap. 27. quamvis de hac descriptione mentionem facere videatur, falso tamen id quispiam putaverit: hæc enim habet: *Censum populi ter egit: primum, ac tertium cum Collega, medium solus*. Per hoc autem quod censum populi ab Augusto factum esse dicat, populum Romanum tantum in eo comprehendisse videtur. Idem dici debet

(a) Cap. 2. v. 1. & seq.

bet de Dione Cassio: nam *Hist. Rom.* lib. 56. in censu, quem Augustus tertio fecit, militum numerum, vectigalia, impensas, atque pecunias, quæ in Regio thesauro continebantur, descripta fuisse dicit. Quæ autem Svidas in *Augusto* tradit, huic descriptioni nullo modo convenire possunt, quemadmodum Usserius in suis *Annalibus* anno mundi 3996. una cum aliis viris eruditis demonstravit.

R. 1. existimasse nonnullos S. Lucam cap. 2. loqui non de descriptione universali, quæ totum orbem, sed de peculiari, quæ Judæam tantum complecteretur. Huic autem opinioni illud non obstare contendunt, quod S. Lucas hanc universalem loquendi rationem adhibuerit: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*: nam, inquiunt, hac dicendi ratione sola Judæa in Sacris litteris sæpe designatur: ita Abrahamum ad Lot hac ratione loquutum fuisse *Genesis* cap. 13. v. 9. legitur: „ Ecce universa terra coram „ te est: recede a me obsecro: si ad sinistram ieris; ego dexteram tenebo: „ si tu dexteram elegeris; ego ad sinistram pergam „. Nomine *Universæ terræ* regiones peculiares designantur etiam in I. *Regum* cap. 30. v. 16. & *Isaiæ* 13. v. 5. [a] Revera autem hisce verbis. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, solam Judæam a S. Luca designatam fuisse ex iis quoque autumari posse volunt, quæ statim sequuntur. Ait enim S. Evangelista: „ Hæc descriptio pri- „ ma facta est a Præside Syriæ Cyrino: & ibant omnes, ut profiterentur „ singuli in suam civitatem. Ascendit autem & Joseph a Galilæa de civi- „ tate Nazareth in Judæam civitatem David, quæ vocatur Betheleem, eo „ quod esset de domo, & familia David „. Totum ergo orbem per Cyrinum Syriæ Præsidem descriptum fuisse, S. Lucas commemorat: quum ergo a Cyrino solam Judæam descriptam esse constet, inde est, inferunt, ut nomine totius orbis solam Judæam S. Lucam complecti voluisse, existimandum sit.

Vocem autem, inquiunt, *Universus* S. Lucas recte adhibuit, quamvis solam Judæam designatam voluerit: nam tunc temporis non unus tantum, sed plures in ea dominabantur. Unde ut significaret S. Lucas omnes Judææ partes suo decreto Augustum comprehendisse, hac universali loquendi ratione usus fuit. Hac vero semel posita sententia, mirandum profecto non est, si apud Ethnicos Scriptores aliqua mentio modo non occurreret ejus descriptionis, quam S. Lucas Evangelista factam fuisse commemorat.

At vero demus, quemadmodum magis consentanee ad veritatem plerique tenent, eam descriptionem, de qua S. Lucas mentionem habet, fuisse universalem, atque totius orbis, qui aliquo modo imperio Romano subjiciebatur, anne quidquam Deistæ inde proficere possunt? „ Non ita intelligo „ (ita Grotius in 1. v. cap. 2. S. *Lucæ*) quasi uno eodemque tempore fa- „ ctus esset census per totum orbem, quà Romanus erat: sed quum Augustus „ omnem vim Imperii Romani pernosse vellet, per omnia regna, & pro- „ vincias constituit censum agi, modo hic scilicet, modo illic, ut commodum erat „. Hoc autem pluribus monumentis ex antiquitate depromptis deinde confirmat. Ipso ergo sentiente, S. Lucas, prius habita mentione descriptionis uni-

ver

(a) Alia quoque testimonia hujus generis, quibus nomine universæ terræ designantur regiones peculiares, apud Calmetium legi possunt in cap. 2. *Lucæ*.

versalis, quam Augustus praeceperat, quaeque non simul omnis, sed modo in uno loco, modo in altero facta fuit, ad peculiarem descendit per Cyrinum in Judaea peractam omnium primam. Hoc autem si ponatur, sicuti revera aequo jure poni potest, nullus rursus est admirationi locus, si Ethnici de hac descriptione mentionem non habuerint, quum ea sensim, & modo in uno, modo in alio loco peracta fuerit. Inde quoque contingere potuit, ut hujus universalis descriptionis apud auctores Ethnicos nulla mentio occurrat, quia, uti Tillemontius observavit in *Historia Domini Nostri Jesu Christi* art. 2. adnot. 2. solus Dion accuratam historiam Augusti scripsit: hujus autem historiae primi decem anni perierunt, intra quorum spatium jussu Augusti hic census peractus fuit.

Neque est, cur alicui negotium facessat, a S. Evangelista tradi hanc descriptionem a Praeside Syriae Cyrino factam. Nam „ quoniam historia [ita „ Lamyus in *Apparatu Chronologico* par. 1. cap. 10.] non omnes enumerat „ Praesides extraordinarios, & Procuratores, quibus utebatur Augustus ad describendum orbem, non mirum est sileri nomen Cyrini in scriptis Josephi. „ Ita silentium ejus non adversatur Evangelio: constat enim descriptum orbem jussu Augusti, qui potuit mittere in Judaeam alium, quam Praesidem „ Syriae, quoad vixit Herodes. Etenim statuerat ille Imperator, ut Dio refert, (a) subditos quidem ex Romanorum legum praescripto componere, foederatis vero uti Majorum suorum institutis permittebat. Ideo Praesidibus non „ attribuebantur provinciae subactae, quae suis legibus non utebantur, nec propriis dominis parebant, ut idem Dio asserit; (b) quod & a Josepho discimus: scribit enim Judaeam non attributam Syriae, nisi quum Archelaus „ spoliatus est suo principatu. Itaque Cyrinus venire potuit in Judaeam cum „ imperio extraordinario, & caussa breviarii quod totius Imperii conficiendum „ susceperat Augustus. Quapropter nulla res obstat, quominus credamus inter „ alios, quos huc & illuc miserat Augustus, missum Cyrinum in Judaeam cum „ titulo Praesidis Syriae, sive Procuratoris, quoniam non poterat sumere nomen Praesidis, vel Procuratoris Judaeae; quod praeferret subactam Judaeam „.

Etiam Bollandistae [c] tum descriptionem factam, tum censum exactum esse volunt a Cyrino: descriptionem quidem factam a Syriae Praeside Cyrino *extraordinaria, & quasi subalterna potestate*, censum vero exactum *auctoritate ordinaria supremi, qualis tunc fuit ab Augusto constitutus, Praesidis Syriae*. Quapropter, inquiunt, „ respectu census hujus secundi ab eo Praeside Syriae acti denominatur illo decennio anterius actus *primus*: & nihilominus idem „ dicitur actus a Praeside Syriae: non quod is quum primum censum egit, esset Praeses Syriae, sed quia talis fuit, quando secundum fecit: & quia hinc „ traxit absolutam appellationem Syriae Praesidis, etiam primus ab eo Praeside Syriae actus vere dicitur more loquendi probo, & vulgato „. Et revera quidem vera quamvis tunc Cyrinus non esset Praeses Syriae, fuit tamen post annos aliquot. Id vero solemne est Sacris Scriptoribus, ut dum indicare aliquem volunt, eam illi tribuant appellationem, quam diu post meruit: ut ex. gr. quum Evangelista Joannes de Juda disserit, proditorem eum appellat, quamvis non esset adhuc proditor.

Ve-

(a) Lib. 54.
(b) Lib. 55.
(c) Tom. 19. in *Propilaeo* ad *Acta SS. Maji* pag. 21. nu. 7. Edit. Antuerp.

Verum enim vero quæcumque tandem harum opinionum, aliarumque similium (a) ratio habeatur, certissime constare de ea descriptione, quam S. Lucas per Judæam factam fuisse tradit, hoc vero est, quod contra Deistas modo contendo, demonstrandumque suscipio. (b)

„ Interea Quirinus, [inquit Josephus *Antiquit. Judaic.* lib. 18. ca 1. nu. 1.] „ unus ex Senatoribus Romanis, vir omnibus magistratibus jam perfunctus, „ & qui per omnes honorum gradus ad consulatum usque provectus fuerat, „ aliis etiam dignitatum insignibus conspicuus, cum paucis militibus in Syriam „ pervenit, missus a Cæsare tum ut jus redderet populo, tum ut census facultatum ageret.... Judæi vero quamvis in principio vel nomen descri„ ptionis ægre audire voluerant, paulatim tamen eo venerunt, ut huic rei „ non adversarentur „. Idem constat ex *Dialogo* Sancti Justini *cum Tryphone* num. 78. „ Sed quum census [inquit Sanctus Justinus] in Judæa tunc primum „ haberetur sub Cyrenio; ex oppido Nazareth, in quo degebat Betheleem, „ unde erat oriundus, profectus est, (Josephus) ut censeretur. Nam ex tri„ bu Juda hanc terram incolente genus ducebat „. Quum ergo Sancto Justino res esset cum Tryphone Judæo, a quo refelli facile poterat, si rem incertam, vel dubiam, uti positam extra omnem aleam dubitationis, atque ab omnibus receptam, assumpsisset; evidentissimo argumento esse debet, quod de censu facto in Judæa per Cyrenium ipse tradidit, nemini Judæorum dubium fuisse. *De censu Augusti*, inquit Tertullianus lib. 4. *Adversus Marcionem* cap. 7., *quem testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana archivia custodiunt*. Neque solum Tertulliani, sed etiam Sancti Joannis Chrysost. tempore ex archiviis Romanis hac de re constabat. Nam Sanctus Pater *Homilia in Diem Natalem Domini Nostri Jesu Christi* num. 2. explicans illa verba *Lucæ* 2. *Factum est enim in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis &c.* ita habet: „ Ex his liquet primæ descriptionis tem„ pore natum esse [hoc est Jesum]. Et cui veteres historiarum codices, qui „ Romæ publice asservantur, lectitare libeat, perfacile etiam tempus hujus „ descriptionis accurate discere poterit „. Iis ergo monumentis, quæ apud Ethnicos asservabantur, quum de hujus rei veritate constaret, neque etiam ipsi Ethnici de ea dubitare poterant, & si dubitassent; quod sane nullibi significarunt, inepte imperiteque dubitassent. Verum enim vero quod de hoc censu in historia Evangelica traditur, etiam Julianus aperta confessione confirmat apud S. Cyrillum lib. 6. „ Jesus, quem vos prædicatis [inquit Julianus] „ unus erat ex Cæsaris subditis. Id, si minus creditis, paulo post demon„ strabo. Dicitis quippe ipsum cum Patre, & Matre sub Cyrenio censum „ fuisse „. Quapropter, ut quod volumus, modo concludamus, quacumque tandem ratione ea descriptio accipiatur, quam S. Lucas factam fuisse narrat; tamen illud negari non potest, tum apud Judæos, tum apud Ethnicos certum fuisse, quod legitur apud Sanctum Lucam de descriptione facta per Judæam.

QUÆ-

(a) Prideaus *Histoire des Juifes* II. par. lib. 9. Anno 5. ante Christum descriptionem vult factam a Sentio Saturnino, censum vero a Cyrino exactum. De descriptione ca 2. *Lucæ*, v. 1. de exactione vero v. 2. mentionem fieri arbitratur, atque ita S. Lucam cum Josepho se conciliare putat.

(b) S. Lucæ juxta institutionem suæ historiæ id potissimum fuisse propositum, ut eam descriptionem narraret, quæ Cæsare jubente, in Judæa facta fuerat, dubitari non potest. De hac ergo si præcipue constiterit etiam confessione eorum, qui Christianæ Religioni adversabantur, habemus, quod modo volumus.

QUÆSTIO III.

DE INTEGRITATE, ET NUNQUAM FACTA VARIATIONE DIVINARUM SCRIPTURARUM NOVI TESTAMENTI.

QUod ultimo Deistæ opponunt contra Sacras litteras Novi Testamenti, ut illarum auctoritatem evertant, hoc vero est, quod confutandum modo aggredimur. Ajunt ergo, Sacris litteris Divinam auctoritatem tribui non debere, quamvis auctores earum divinitus inspiratos esse constaret, quia dubios nos semper esse oportet, num Sacræ litteræ integræ, incorruptæ, atque sine ulla depravatione ad nos pervenerint. Verum irrito fine conatu contra Divinam Revelationem ultimo talia opponunt: quod quidem ut manifestius constare possit, atque plenius de suo errore convincantur, Deum permisisse, ut perirent, vel ut corrupta, & interpolata ad nos pervenirent, quæ Sancti viri divinitus inspirati scripserunt, nullo modo existimari posse primo demonstrabimus: secundo ne per levissimam quidem conjecturam ex Scriptis Novi Testamenti colligi posse, quod ea supposita, aut interpolata fuerint: tertio revera per neminem illa supponi, aut depravari potuisse: quarto tandem nullo unquam tempore supposita, aut depravata fuisse (a). Quoniam vero Deistæ eo tendunt, ut omnem Divinam Revelationem e medio tollant, de uno, aut altero testimonio Divinarum Scripturarum Novi Testamenti, quod nonnulli, num genuinum, & authenticum esset, licet præter omnem rationem, dubitarunt, sicuti etiam de aliquibus erroribus levissimis, qui occurrere potuerunt aut ignorantia amanuensium, aut incuria librariorum, nihil tamen de rei substantia, aut veritate detrahentibus, contra eosdem non pugnabimus. Nam eam doctrinæ summam, quæ spectat ad fidem, atque morum institutionem, & ad ea, quæ Christus, ejusque Apostoli gessisse, aut dixisse referuntur, in illis Sacris litteris, quas modo habemus, neque suppositam, neque interpolatam esse, ad confutationem Deistarum satis est, ut demonstremus.

ARTICULUS I.

NUM QUISPIAM SUSPICARI IOSIT, DEUM PERMISISSE, UT PERIRENT, VEL AD NOS INTERPOLATA PERVENIRENT, QUÆ SACRI AUCTORES NOVI TESTAMENTI DIVINITUS INSPIRATI SCRIPSERUNT.

„ ANalogia (inquit Sanctus Augustinus lib. *De Utilitate credendi* nu. 7.)
„ qua utriusque Testamenti congruentia perspicitur, quid ego dicam,
„ illos fuisse omnes, quorum auctoritati illi cedunt, quum secum ipsi consi-
„ derare possint, quam multa soleant dicere commissa esse Scripturis Divinis
„ a nescio quibus corruptoribus veritatis? Quæ vox mihi semper quidem,
„ etiam quum eos audirem, invalidissima visa est: nec mihi soli, sed etiam
„ tibi, (nam bene meministi) & nobis omnibus, qui paulo majorem diligen-
„ tiam

(a) Hisce enim doctrinæ capitibus ea omnia facile refelluntur, quæ Tolandus in suo *Nazareno* cap. 3. Auctor libelli inscripti: *Pensées Philosophiques*, & alterius libelli: *Le Christianisme aussi ancien que le monde*, atque alii Deistæ contra integritatem Divinarum Scripturarum opponunt.

„ tiam in judicando habere conabamur, quam turba credentium. Nunc vero „ postquam mihi sunt exposita, & enodata multa, quæ me maxime movebant, ea scilicet, in quibus illorum plerumque se jactat, & quo securius „ sine adversario, & effusius se exultat oratio; nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel, ut mitius loquar, incuriosius, & imbecillus, quam „ Scripturas Divinas esse corruptas, quum id nullis in tam recenti memoria „ extantibus exemplaribus possint convincere „. Hac vero ratione, qua usus est Sanctus Augustinus contra eos, qui suo tempore Sacras litteras corruptas esse effutiebant, & nos quoque contra Deistas nostri temporis uti possemus, atque ab eis petere, ut exemplaria proferrent, ex quibus Sacras litteras immutatas, & corruptas esse, æquo jure colligi posset. Æquo, inquam, jure colligi posset: nam quæ Sacræ Scripturæ omnium consensione recipiuntur, quæque antiquis exemplaribus sunt conformes, quoad rem istam attendi debent, non vero quæ aliquorum malitiæ introductæ sunt, auctæ, vel detruncatæ in iis, quæ suis erroribus adversabantur. Verum neque ex istis Deistæ aliquid proficere possunt. Qua enim de caussa nonnulli temerario ausu id fecerunt? Profecto non alia, nisi quia in Sacris litteris, Divinam auctoritatem inesse firmissime putarunt. Nam ut saltem apud imperitos aliquam fidem suis erroribus conciliarent, Divinarum Scripturarum testimoniis a se quidem impie confictis, vel corruptis eosdem confirmare aggressi fuere.

Propositio. Quæ tum Evangelistæ, tum Apostoli divinitus inspirati scripserunt, ea Deum permisisse, ut perirent, vel ad nos interpolata transmitterentur, ne levissime quidem suspicandi locus est.

Prob. prop. Nemini unquam vel apparenter probabile videri potest, Deum permisisse, ut falso, fictoque fundamento niteretur Christiana Religio, quam tum propter doctrinæ sanctitatem, tum propter conformitatem, quam habet cum natura hominis, tum propter excellentiam finis, tum propter ea quæ ad promulgationem ejus consequuta fuere, tum etiam demum propter singularia, atque præclarissima miracula, & multiplices supernaturalesque prædictiones, quibus confirmata fuit, omnino Divinam esse dubitari non potest, sicuti hujus libri tota quæ. 1. jam demonstravimus; sed Christiana Religio falso confictoque fundamento inniteretur, si Deus permisisset, ut perirent, vel ad nos interpolata transmitterentur, quæ tum Evangelistæ, tum Apostoli divinitus inspirati scripserunt: ergo. Prob. mi. Fides Christianorum non soli traditioni modo innititur, sed etiam iis libris, quos uti divinitus inspiratos, sicuti revera sunt, suscipiunt, & venerantur: ergo si ii libri, quos modo habemus, interpolati, atque conficti essent, Deus permisisset, ut Christiana Religio, de cujus Divinitate nullo modo dubitari potest, falso confictoque fundamento inniteretur: ergo si illa re nihil magis Divinæ sapientiæ, & providentiæ contrarium est, nemo vel levissime suspicari potest Deum permisisse, ut perirent, vel ad nos interpolata trasmitterentur, quæ tum Evangelistæ, tum Apostoli divinitus inspirati scripserunt.

Deinde ut homines perpetuo fallerentur in iis, in quibus non indulgere sibi, non quærere, quæ sua sunt, non ea consectari studerent, quæ expetuntur sensibus, atque voluptatem afferunt; sed quæ recta ratio suadet, quæ Dei sunt, atque Divini cultus, quæ ad Dei majorem honorem, & venerationem tendunt, ipsumque hominem Deo omnino subjiciunt, si Divinæ bonitati non con-

contrariatur, nihil sane est, quod contrariari possit; sed semel ac Deum permisisse admittatur, ut iis, quæ Evangelistæ, & Apostoli divinitus inspirati scripserunt, alia substituta fuerint, quæ malitia hominum conficta essent, Divinam bonitatem hæc omnia passam fuisse dici deberet: ergo Sacros libros Novi Testamenti aut periisse, aut ad nos interpolatos pervenisse, non patitur Divina bonitas, ut suspicemur. Minor manifesta est. Nam per eas Sacras litteras, quas modo habemus, quum recte instituamur tum quoad Deum, tum quoad nosmetipsos, tum quoad alios, sicuti hujus lib. quæ. 1. art. 1. §. 1. jam evicimus, per easdem insinuatur, ut nobis non indulgeamus, neque quæramus, quæ nostra sunt, aut quæ a sensibus expetuntur, sed quæ ad Dei cultum, ejusque majorem gloriam, atque honorem spectant; ideoque si Divina bonitas passa fuisset corrumpi Sacras litteras, aliasque fictitias substitui in locum earum; simul quoque permisisset, ut deciperemur in iis, in quibus nobis non indulgere, non quærere, quæ nostra sunt, quæque expetuntur sensibus, atque voluptatem afferunt, sed quæ recta ratio suadet, Dei sunt, atque Divini cultus; hoc ergo si a Divina bonitate omnino abhorret, prorsus inepte quispiam suspicatus fuerit, Deum permisisse, ut perirent, vel ad nos interpolata transmitterentur, quæ tum Evangelistæ, tum Apostoli divinitus inspirati scripserunt.

Postremo, uti recte observat S. Augustinus lib. 19. *De Civitate Dei* ca. 18., „ Credit etiam (Civitas Dei) Scripturis Sanctis & veteribus, & novis, „ quas Canonicas appellamus, unde fides ipsa concepta est, ex qua justus „ vivit; per quam sine dubitatione ambulamus, quandiu peregrinamur a Do„ mino „. Libro autem 14. *Contra Faustum* cap. 18. „ Nos autem, *inquit*, „ & ad commemorationem fidei nostræ, & ad consolationem spei nostræ, & „ ad exhortationem charitatis nostræ libros Propheticos, & Apostolicos legi„ mus alterutris vocibus sibimet concinentes.... & a torpore mortalis vitæ „ nos excitantes, & ad palmam supernæ vocationis nos extendentes „. Profecto si ex Sacris Scripturis fides ipsa concepta est, si ad commemorationem fidei nostræ, ad consolationem spei nostræ, & ad exhortationem charitatis nostræ libros Apostolicos legimus, quemadmodum S. Augustinus recte monet; jam nemo non videt, semel ac admittatur permisisse Deum, ut perirent, vel ad nos interpolata transmitterentur, quæ Evangelistæ, & Apostoli divinitus inspirati scripserunt, consequens inde esse, fidem Christianorum, quam fundavit ipse Christus, confirmavitque omni genere prodigiorum, eo fundamento destitui, ex quo concepta erat, frustraque nos legere libros Apostolicos ad commemorationem fidei nostræ, ad consolationem spei nostræ, atque ad exhortationem charitatis nostræ. Hoc autem si ab ea prorsus admirabili, atque omnino Divina ratione, qua Christus Religionem Christianam semel instituit, non omnino abhorret, nihil sane adinveniri posse arbitror, quod ab ea abhorreat.

Atque hæc quidem ad revincendos Deistas: nam Catholicis ea certissima demonstratio est non vitiatarum Scripturarum, quod infallibili Ecclesiæ auctoritate proponuntur, hoc est ab eodem Spiritu Sancto, quo afflante perscriptæ sunt.

ARTICULUS II.

NUM SCRIPTA NOVI TESTAMENTI SUPPOSITA, AUT INTERPOLATA ESSE, EX IISDEM ALIQUO MODO QUISPIAM SUSPICARI POSSIT.

De eo argumenti genere nunc acturi sumus, quod intrinsecum appellatur, & ab ipsa re, de qua agitur, peti consuevit. Quare Divina scripta Novi Testamenti neque supposita, neque interpolata fuisse, facile evinci posse contendimus, si eorum, quæ in iisdem continentur, ratio habeatur.

Propositio Si eorum, quæ in Scriptis Novi Testamenti continentur, ratio habeatur, nihil minus, quam ea supposita, aut interpolata fuisse, quispiam suspicari potest.

Prob. prop. Multa eorum, quæ in Novi Testamenti libris prædicta fuisse legimus, non solum primis temporibus Christianæ Religionis adimpleta sunt, sed & nunc quoque adimplentur, cujusmodi sunt ea, quæ pertinent ad dispersionem Judæorum, ad Ecclesiæ propagationem, atque durationem illius (a): ergo ut loco Divinorum librorum alii suppositi fuerint, fieri non potest. Prob. con. Solus Deus futura libera prævidere, atque certo prænoscere potest, uti jam demonstravimus [b]: si ergo in iis libris, quos modo habemus, hæc, quæ de dispersione Judæorum, deque Ecclesiæ propagatione, & duratione futura erant, prænunciata legimus, qui eos conscripserunt, divinitus inspiratos fuisse oportet: ergo ut suppositius sint fieri non potest: quoad ea ergo, quæ in iisdem prophetice prædicta fuisse leguntur, illos neque suppositos, neque interpolatos fuisse constat.

Deinde in libris Novi Testamenti, quos nunc habemus, summa doctrinæ sanctitas continetur, ob quam de Divinitate illorum evidentissime constat (c): ergo hi libri neque suppositi, neque interpolati esse possunt. Prob. con. Confictio, atque mendacium cum summa veritate, & Divinitate doctrinæ repugnat ut conjungatur: ergo si in libris Novi Testamenti, quos modo habemus, summa doctrinæ sanctitas continetur, ob quam de illorum Divinitate evidentissime constat, ii neque suppositi, neque interpolati esse possunt: ergo etiam ex sanctitate doctrinæ, quam libri Novi Testamenti ubique spirant, eos neque suppositos, neque interpolatos fuisse constat.

Tandem quæ in Sacris Novi Testamenti libris gesta narratur, plurimorum sunt confirmata testimonio, atque etiam eorum, quorum maxime interesse omni tempore debuit, num illa vera essent: cum aliis quoque multis connexa sunt, quæ etiam aliunde perspecta habemus: neque vero apud unam gentem contigerunt, quæ in iisdem referuntur, sed apud populos, atque nationes non solum ubique dissipatas, sed etiam quæ antea diversis religionibus addictæ essent, & postmodum in Christianam unanimiter consenserunt: ergo nihil magis absurdum, atque repugnans supponi potest, quam conficta fuisse, quæ in libris Novi Testamenti gesta referuntur.

Quum

(a) De hoc genere prædictionum, quas factas a Christo fuisse in Novi Testamenti libris legitur, jam disputavimus *Theologiæ Revelatæ* lib. 3. quæst. 1. art. 3. Eas autem nunc quoque adimpleri, unicuique compertum esse debet.

(b) *Theologiæ Revelatæ* lib. 1. qu. 2. ar. 3.

(c) Hoc vero est, quod pluribus jam evicimus in hoc lib. *Theologiæ Revelatæ* qu. 1. ar. 1. §. 1. & seq.

Quum vero ea, quæ in libris Novi Testamenti nobis tradita legimus tum quoad prophetias, tum quoad doctrinæ sanctitatem, & divinitatem, tum etiam quoad ea, quæ a Christo, & Apostolis gesta fuere, ita inter se unita, & connexa sint, ut nihil alteri similius esse possit, quemadmodum singula percurrenti manifeste constare poterit [a]; consequens inde est, nihil magis a veritate alienum esse, quam in hos libros aliquid supposititium irrepsisse.

Et sane aliqua scripta interpolata fuisse inde potissimum conjicitur, quando in eis nonnulla occurrunt, quæ inter se contraria esse, vel saltem sibi non omnino consentire videantur. At vero in libris Novi Testamenti nihil tale deprehendere quispiam poterit. Quandoquidem eadem doctrinæ capita in omnibus insinuantur, eademque præcepta ubique servanda proponuntur. Si ad fidem, quam habere debemus, attendatur; apud omnes Divinos Scriptores est una, atque uniformis: si de cultu Dei agatur; ut exquisitiorem, quem possumus, erga illum semper adhibeamus, eadem ratione nobis sine ulla variatione præcipitur: si de charitate, misericordia, justitia, ceterisque omnibus virtutibus sermo sit, quibus hominum animus recte informatur; nihil deprehendi potest, in quo Apostoli, & Evangelistæ inter se non consentiant. Quid plura? In omnibus Novi Testamenti libris quidpiam non adinvenitur, quod unus Divinorum Scriptorum servandum præcipiat, alter vero neget, aut quod unus prohibeat, alter autem permittat: ergo quoad doctrinæ capita inter Sacros Scriptores est tanta consensio, ut major adinveniri non possit. Negari ergo non potest in iis Sacris libris, quos modo habemus, tum quoad capita doctrinæ, tum etiam quoad ea, quæ gesta referuntur, quæque ad Christum, aut Apostolos, & Discipulos, vel quoscumque alios, de quibus in Sacris litteris mentio fit, aliquo modo pertinent, summam consensionem esse, & Divinam inspirationem se ubique prodere: ergo de interpolatione eorum præter omnem rationem, imperite, atque inepte quispiam suspicatus fuerit.

Quoniam vero contra hæc, quæ usque modo disseruimus, Deistæ nihil habent, quod opponere possint, reliqua prosequamur.

ARTICULUS III.

NUM LIBRI NOVI TESTAMENTI PER ALIQUEM, AUT ALIQUOS, SUPPOSITI, VEL INTERPOLATI FUERINT.

NUm libri Novi Testamenti per aliquem, aut aliquos, suppositi, vel interpolati fuerint, res est, quæ num contigerit, vel non contigerit, ea potissimum ratione definiendum est, qua alicujus facti quæstio terminari consuevit. Si ergo libri Novi Testamenti aut interpolati, aut in locum eorumdem alii substituti fuere, ab aliquibus id factum fuisse oportet: hoc vero est, quod nunquam contigisse defendimus.

Propositio. Sacri libri Novi Testamenti ad nos sine mutatione, aut interpolatione pervenerunt, quia nemo illos interpolavit, nec loco eorum falsos substituit.

(a) De hac mutua consensione jam sæpe multa disseruimus, eaque potissimum consulantur, quæ ex Eusebio supra retulimus, ut nullam in Sanctis viris mentiendi licentiam fuisse evinceremus.

Quoniam vero Deistæ contra sentiunt, illud ab eis quærere posse jure optimo videmur, quinam ii fuerint, per quos Sacri libri Novi Testamenti aut interpolati, aut corrupti fuerint. Nam Sanctos libros, quos modo habemus, nihil mutationis aliquando subiisse, semper omnes pro certo habuerunt, atque totius Ecclesiæ quaquaversum diffusæ consensione constat, in qua non solum omni tempore fuere multi, qui sanctitate, sed etiam plures, qui doctrinæ singularitate supra ceteros eminerent. Quapropter quum tantorum virorum semper continuatam auctoritatem contra se habeant, illud superest, ne omnino irrationabiliter agere videantur, ut saltem aliquibus conjecturis indicent eos, qui Novi Testamenti libros interpolarunt, aut corruperunt. Hoc autem quum nunquam præstiterint, nec aliquando præstare possint, quam impia, & inepta simul eorum agendi ratio sit, nemo non videt „. Ego ne „[hisce enim verbis, quibus Sanctus Augustinus *De Moribus Ecclesiæ* lib. 1. nu. 61. Manichæos urgebat, Deistas nostri temporis nos quoque urgere jure optimo possumus] „ de „ illa [hoc est Sacra Scriptura] quam constanter latissime divulgatam video, „ & Ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione munitam, dubi- „ tabo miser, & quod est miserius, te auctore dubitabo ? Quum si exem- „ plaria proferres altera, tenere non deberem nisi ea, quæ plurium consen- „ sione commendarentur; nunc, nihil te proferente, quod conferas præter ina- „ nissimam vocem temeritatisque plenissimam, putabis genus humanum usque „ adeo esse perversum, & Divinæ providentiæ ope desertum, ut illis Scri- „ pturis, non a te prolatas alias, quibus redaguantur, sed tua tantum verba præ- „ ponat „. Hoc observato.

Prob. prop. Si libri Novi Testamenti per aliquem interpolati, aut depravati essent, vel Ethnicorum, vel Judæorum, vel Christianorum opera id contigisset; sed neque Ethnici, neque Judæi, neque Christiani hoc fecerunt: ergo Sacri libri Novi Testamenti sine ulla mutatione, aut interpolatione ad nos pervenerunt, quia nemo fuit, qui eos interpolaret, aut loco illorum falsos substitueret. Minor propositio quoad singula explicatur. Nulla alia profecto de caussa Sacros codices Ethnici depravassent, nisi ut Christiana fides amplius non propagaretur, atque sensim in contemptum omnium deveniret: ergo ea delere debuissent, quæ ad doctrinæ sanctitatem pertinent, & interpolare, quæ Divinitatem illius demonstrant: ergo & sanctiora Evangelii præcepta tollere, & quæ Christi Divinitatem, atque ejus Apostolorum Divinam virtutem aperte manifestant, omnino delere debuissent; sed nihil horum fecerunt, quum in iis libris, quos modo habemus, simul cum doctrinæ sanctitate Christi Divina virtus expressa sit, & Apostolorum supernaturalis agendi ratio manifestetur [a]: ergo Ethnici neque depravarunt, neque interpolarunt Sacros libros.

Et re quidem vera quamvis hoe tentare voluissent, tamen quod volebant, nullo modo eis succedere poterat (b). Quandoquidem pro illa fide, quæ in

(a) Rem utramque pluribus jam demonstravimus in hoc libro *Theologiæ Revelatæ* qu. 1. ar. 1. & seq.

(b) Hic, & in sequentibus de morali impossibilitate loquimur, quum de ea potissimum ratio haberi debeat, quando quæstio facti est, & disputatur, num aliquid contigerit, vel non contigerit. Quemadmodum enim si de veritate alicujus facti evidentia morali constet, de ea amplius dubitari non debet, quia hac tantum ratione constare potest, & semel ac constet, certissime constat, uti initio libri secundi pluribus lemmatibus jam demonstravimus; ita etiam si ob moralem impossibilitatem aliquid non contigisse evincatur, qua ratione poterat, eaque jam certissima, illud evictum esse dici debet.

in Sacris libris expressa continetur, quam multa sunt, quæ Christiani omni tempore pertulerunt? qua ergo fieri ratione potuit, ut Sacri libri, qui depositum fidei in se habebant, ab Ethnicis interpolari, aut depravari paterentur? Deinde quomodo possibile fuisset, ut quotquot Sacrorum codicum exemplaria existebant, Ethnici in suam potestatem redigerent, ea depraverent, & corrumperent? Profecto ab initio Ecclesiæ Sacros codices multiplicatos fuisse, atque illatos in omnia loca, in quibus Religio Cristiana colebatur, dubitari non potest „. Quum enim Deus Apostolos in universum mundum „ misit (uti Brianus Waltonus *Prolegom.* 5. ad Biblia recte observat) „ cum mandatis, *Ut omnes gentes docerent, & omni creaturæ Evangelium prædicarent*, ipsisque in hunc finem variarum linguarum Χαρίσματα cœlitus „ contulit; hoc ipso ostendit, se nolle doctrinam suam in aliquo orbis angulo „ delitescere, sed ut omnes propriis linguis τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ audirent, ut „ impleretur illud prophetæ *Isaiæ* 35. *Omne genu mihi flectetur & omnis lingua confitebitur Deo*. In hoc enim sapientiæ Divinæ abyssus manifestata erat, ut qui primo per varias linguas insana Babelis structorum consilia dissipavit, ipsosque in varias terras dispersit; idem per variarum linguarum „ χαρίσματα Ecclesiam suam ex omnibus terris colligeret, domumque Dei, cujus fastigium cœlos superat, eisdem machinis ex lapidibus vivis ædificaret. „ Quum vero post jacta Ecclesiæ fundamenta Charismata hæc cessaverint, necessarium erat oracula Divina in linguas vernaculas propagari „. Unde S. Augustinus lib. 2. *De Doctrina Christiana* ca. 5. „ Ex quo factum est, *inquit*, ut „ etiam Scriptura Divina, qua tantis morbis voluntatum humanarum subvenitur, ab una lingua profecta, quam opportune potuit per orbem terrarum „ disseminari per varias interpretum linguas longe lateque diffusa innotesceret „ gentibus ad salutem „. S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 2. in cap. 1. *Joannis* nu. 2., alias *Homilia* 1. *De Evangelio Joannis* tradit, quod „ Syri, Ægyptii, Indi, Persæ, Æthiopes, innumeræque aliæ gentes, dogmata ab illo „ inducta in suam linguam transferentes, barbari licet essent, philosophari didicerunt „. Tandem Theodoretus in opere inscripto: *Græcarum Affectionum curatio, de Natura hominis* Sermone 5., de translatione Sacrarum Scripturarum in varias linguas hæc habet: „ Universa enim, quæ sub sole est terra, his sermonibus referta est. At hebraica lingua non in Græcorum modo „ linguam versa est, sed etiam in Romanorum, & Ægyptiorum, Persarum, „ & Indorum, & Armeniorum, & Scytharum, ac Sarmatarum, atque, ut semel dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes utuntur „. Post multum vero temporis a prædicatione Evangelii factum fuisse, ut Sacræ litteræ in varias linguas transferrentur, nemo dixerit (a).

Non solum autem Sacræ litteræ in varias linguas statim versæ fuerunt, sed etiam cum maxima probabilitate conjicere possumus, Sanctos Apostolos reliquisse Evangelium iis, quibus Christi fidem annunciaverant. Nam Sanctum Pantænum, qui secundo Ecclesiæ seculo in schola Alexandrina magistri locum tenuit, Religionis caussa quum apud Indos iter haberet, eo loci adinvenisse Evangelium, quod Sanctus Bartholomæus iisdem reliquerat, *Ecclesiast. Hist.* lib. 5. cap. 10. Eusebius tradit „. Tantum porro, *inquit*, animi ardorem erga verbum „ Dei

(a) Hoc vero est, quod Brianus VValtonus *Prolegom.* 12. & seq. ad Biblia, Le Long. *Biblioth. Sacra* tom. 1. par. 1. ca. 2. atque Vestenius in *Prolegom.* ad Biblia luculenter sunt prosequuti.

„ Dei idem vir ostendisse perhibetur, ut Orientis nationibus Evangelii Christi prædicator extiterit, ad ipsam usque Indiam progressus. Quippe etiam „ tunc erant plures Evangelistæ sermonis Dei, qui Divina quadam æmulatione succensi, Apostolorum exemplo studium suum conferre ad ædificationem fidei, & ad incrementum Verbi Divini properabant. Ex quorum numero Pantænus ad Indos usque penetrasse dicitur, ibique Evangelium Matthæi, quod adventum ipsius jam prævenerat, apud quosdam Christi notitia „ imbutos reperisse: quibus scilicet Bartholomæus unus ex duodecim Apostolis olim, ut fama est, prædicaverat, & Evangelium Matthæi hebraicis conscriptum litteris reliquerat: quod quidem usque ad prædicta tempora servatum fuisse memoratur „. Et sane quidnam veritati conformius esse potest, quam Apostolos, postquam Evangelium scriptum fuerat, illud apud eas gentes reliquisse, quas fidei præceptis imbuerant? An fortasse inde futurum non erat, ut & constantiores in fide persisterent, & alienis doctrinis non seducerentur; id quod Apostoli diligentissime curabant?

Neque ob neglectum Christianorum, quasi eas non curarent, possibile fuit, ut ab Ethnicis Sacræ litteræ interpolarentur, aut corrumperentur. Nam consuevisse Christianos in suis conventibus Commentaria Apostolorum sæpe legere ex S. Justino testatum habemus: „ Ac solis, ut dicitur die (inquit ipse *Apologia* 1. nu. 67.) omnium sive urbes, sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, & Commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum „ leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector desiit, is qui præest, „ admonitionem verbis, & adhortationem ad res tam præclaras imitandas suscipit „. Tatianus autem in *Oratione contra Græcos* nu. 33. etiam fœminas Sacra oracula sæpe in ore habuisse tradit: „ At omnes, *inquit*, pudicæ apud „ nos sunt, & circum cola virgines multo præclarius, quam vestra illa puella, Divina oracula pronunciant „. Quum ergo Sacræ litteræ a primis usque temporibus tam late ubique diffusæ, quum apud tam multas diversasque gentes pervulgatæ, quum in varias linguas translatæ essent, quumque demum in Sacris Christianorum conventibus frequentissime legerentur, & apud plerosque Divina oracula familiaria evasissent, ab Ethnicis effici non potuisse, ut corrumperentur, vel depravarentur, nemo non videt.

At quid? nonne & illud quoque novimus Tertulliani ætate authentica scripta Apostolorum apud quasdam Ecclesias servata fuisse? „ Age jam (inquit Tertullianus *de Præscript.* cap. 36.) qui voles melius curiositatem exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ „ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem „ uniuscujusque. Proxime est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe „ es a Macedonia; habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere; habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces; habes Romam, „ unde nobis quoque auctoritas præsto est „. Quam autem in custodiendis authenticis litteris Apostolorum Ecclesiæ Apostolicæ diligentiam adhibuere, etiam ceteras Ecclesias adhibuisse in conservandis Sacris libris, quos ab Apostolis divinitus inspiratos scriptos fuisse credebant, dubitari non potest. Hæc autem sunt, quæ ad laudatum Tertulliani caput quoad ea, quæ de Authenticis litteris Apostolorum ipse tradit, Pamelius recte adnotavit: „ Non dubito primarias

„ illas

„ illas Apostolorum epistolas ab Ecclesiis incredibili cura, & religione fuisse „ conservatas, tantumque non adoratas, ut etiam facile duraverint annis Tertulliani. Siquidem medii non sunt anni septies viginti inter Neronis imperium, & regnum Severi, quo Tertullianus florebat. Quintilianus ait epistolas Augusti se vidisse, quas Augustus sua manu scripserat, aut emendarat in „ cap. 13. lib. 1. Labebatur (ut minimum) centesimus a descriptis annus: „ nam fuit ille sub Domitiano. Plinius sub Vespasiano manum Tiberii Caii, que Græcorum vidit annos fere post ducentos, ut ait in lib. 13. cap. 11. *Hist. Naturalis*. Tertullianus igitur vidisse potuit Apostolorum manus, & Autographa; saltem suo tempore extabant adhuc integerrima. Neque magnum quid est, quod Plinius de ducentis annis refert. In archeis, & grammatophylaciis Collegiorum, atque civitatum publice visuntur instrumenta trecentorum, & quadringentorum annorum. Sodalitatem nostram scio servare quædam supra quingentorum „.

Sicuti autem per Ethnicos libri Novi Testamenti corrupti, aut interpolati non fuerunt, ita neque etiam per Judæos. Quandoquidem hos Sacros codices corrumpere, atque depravare nulla alia de caussa Judæi in animum inducere sibi poterant, nisi ut Christianam Religionem deprimerent, Judaicam vero commendarent, atque supra omnes alias extollerent: ergo id omne tollere debuissent, per quod Christiana Religio deprimi, Judaica vero extolli poterat; sed hoc non fecerunt, quum in Sacris codicibus & ea habeamus, per quæ commendatur Divinitas Christianæ Religionis, & ea quoque occurrant, quibus Judaica perfidia convincitur: ergo. Prob. mi. Miraculi plena sunt, quæ Christi ortum præcessisse, atque subsequuta fuisse in Evangelio legimus: ex eo quoque compertum habemus plura, atque insignia miracula Christum fecisse, quibus suam Divitatem, Divinamque missionem apertissime confirmavit: quanta vero, & qualia sunt, quæ Apostolos divinitus operatos fuisse legimus? quomodo Christianam Religionem mirabiliter propagarint, qua ratione potestatibus, atque principibus invicto animo restiterint, quanta facilitate ab omni infirmitate male habentes curaverint, & mortuos resuscitaverint, demum quæ doctrinæ morumque sanctitate ad instar Christi magistri sui præcellentes fuerint, nonne in iis Novi Testamenti libris, quos modo habemus, apertum ac manifestum est? ea ergo in Novi Testamenti libris superesse, quibus Christiana Religio mirifice comendatur, nullus dubitandi locus reliquus est.

Quamvis autem hisce omnibus, quæ usque modo disseruimus, etiam perfidia, atque obstinatio Judæorum simul perspecta fiat; tamen alia quoque multa legimus in Sacris libris, quæ rem eamdem demonstrant. Quid? nonne in iisdem Sacerdotum hypocrisia proditur, Pharisæorum superbia manifestatur, Synagogæ vanæ traditiones deteguntur, ineptæ totius populi superstitiones palam fiunt? Iis autem, quæ Judæos contra Christum, & Apostolos tentasse, atque exequutos fuisse legimus, quidnam inhumanius, & crudelius fingi, vel excogitari potest? anne magis ridicula ea ratio esse potuit, qua in occultanda resurrectione Christi Judæi usi fuere? Hisce vero omnibus si illud quoque superaddatur, testimonia veterum Prophetarum ad Christum, & Ecclesiam illius in Novo Testamento referri, quod sane Judæi nullo modo pati debuissent, ne auctoritate illorum de sua semper impietate redarguerentur, ab iis Sacros Novi Testamenti libros neque corruptos, neque interpolatos fuisse tam manifestum erit, quam quod maxime.

Quam

Quam autem Ethnici, quemadmodum jam observavimus in depravandis, atque corrumpendis Sacris libris, si id tentare ausi essent, eamdem etiam Judæi insuperabilem difficultatem experti fuissent.

Reliquum ergo est, ut si aliquam Sacri libri corruptionem passi sint, per Christianos passi fuerint. Verum nihil minus contingere potuit, quam ut per Christianos Sacri libri corrumperentur. Quandoquidem vel communi malitia omnium, vel aliquorum tantum Sacri libri corrupti fuissent; sed neutrum factum fuit: ergo. Non prius: quia esse non potest, ut gentes inter se longe dissitæ, & dispersæ ubique terrarum, genio differentes, atque moribus, ad eos libros corrumpendos conspiraverint, quibus nihil sanctius, & venerabilius habebant, quique suæ fidei, doctrinæ, legis, atque religionis fundamentum erant. Profecto in hujusmodi re omnes homines inter se consentientes nemo unquam vidit, aut videre aliquando poterit. Nam quum hominum ea conditio sit, ut vel in rebus levissimi momenti invicem sibi contradicant, præcipue si sub cœlo diverso nati, atque non eadem ratione educati fuerint, potiori jure nullo modo fieri potuit, ut in depravatione illorum librorum, quos uti Sacros, atque Divinos, a suis Majoribus cum summa veneratione receperant, unanimiter consenserint. Neque etiam alterum: nemo enim tam insanus esse poterat, quin suam fraudem statim detegendam esse videret, quum de iis libris ageretur, qui in omnium manibus versabantur, quique in cœtibus Christianorum publice legi consueverant. Quamvis enim populus, & infimi de plebe homines fortasse tacuissent, anne etiam Sancti Ecclesiæ Præsules, qui gregi sibi commissio tanta cura advigilabant, id impune tulissent, & non potius aperta fronte contra clamassent? Profecto ut non solum quantum ad substantiam, sed etiam quoad dicendi modum in Sacris litteris aliquid non immutaretur, Sancti Ecclesiæ Præsules semper solliciti fuere. Hinc quum quidam Triphillus coram multis Episcopis verba faciens pro vulgari voce, quæ in Evangelio erat, alteram, quæ elegantior esse videbatur, substituisset, Spiridion rei novitatem ferre non potuit, sed, quamvis immutatio levis momenti esset, eum tamen publice a se redarguendum esse duxit (a). In quadam autem Ecclesia magnam contentionem extitisse, quia Episcopus illius ex Propheta Jona aliquid legerat, contra quam erat *Omnium sensibus memoriæque inveteratum, ac tot ætatum successionibus decantatum*, tradit S. Augustinus epist. 71. nu. 5., alias epist. 10. Unde etiam idem Sanctus Doctor, ne aliqua novitas, etiam accidentalis, quoad Sacras litteras in sua Ecclesia introduceretur, diligentissime cavit: „ Ideo autem desidero (ita ad Hieronymum scribebat ep. „ 82. nu. 35., alias ep. 65.) interpretationem tuam de Septuaginta, ut & „ tanta latinorum Interpretum, qui qualescumque hoc ausi sunt, quantum „ possumus, imperitia careamus, & hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant, propterea nolle „ me tuam ex Hebræo Interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra Septuaginta auctoritatem, tamquam novum aliquid proferentes, magno scandalo „ perturbemus plebes Christi, quarum aures, & corda illam interpretationem „ audire consueverunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est. „

At vero nonne illud quoque constat, Judæos, æque ac Ethnicos primis Ecclesiæ temporibus nihil eorum omisisse, per quæ si non Christiana Religio dele-

(a) Sozomenus *Hist. Eccl.* lib. 1. cap. 11.

deleri, saltem splendor illius obscurari posset? Ita sane: nemo enim ignorat, quo odio in Christianos Judæi semper exarserint, quibus calumniis eosdem infamare Ethnici conati fuerint. Profecto nihil utrisque commodius contingere poterat, ut assequerentur, quod volebant, quam si Sacros codices, quibus fides Christianorum innitebatur, corruptos, atque mutatos fuisse, Christianis objecissent. Id enim unum satis erat, ut fidem Christianorum omnino deprimerent, eosdem veluti impostores, fatuos, atque insipientes traducerent, denique uti fabulosa habenda concluderent, quæ per miraculum gesta esse ex Sacris litteris Christiani depromebant. Quamvis autem omnes oppugnandi viæ ab Ethnicis tentatæ sæpe fuerint, uti legenti Apologistas Christianæ Religionis manifeste constare poterit; tamen (quum quidem, si quæ immutatio in Sacris litteris vel malitia, vel conventione Christianorum facta fuisset, ipsi non videre non possent, tum quia Sacrarum litterarum facta mutatione, fidem quoque Christianorum omnino mutari necesse erat, tum quia & ii etiam, atque potissimum Judæi, perspectum habere debuerant, quid in Sacris litteris ante sui mutationem contineretur) tamen, inquam, nihil unquam tale vel ab Ethnicis, vel a Judæis Christianis exprobratum fuisse legimus: ergo evidenti argumento id esse debet, nullam unquam Sacras litteras mutationem passas fuisse.

Et sane in iis Sacris litteris, quas modo habemus, multa de improbitate, malitia, obstinatione, perversitate, atque sævitia Judæorum tradita esse memoriæ hominum, nullus negare potest: quis vero Judæos adeo stupidos, bardos, suæque existimationis omnino immemores fuisse putaverit, ut tam turpiter notari apud omnes gentes, populos, atque nationes impune passi fuerint, & contra imposturam non aperte clamaverint? neque enim de re, quæ apud eos incognita esse posset, agebatur: ergo etiam testimonio Judæorum evincitur Sacras litteras nunquam fuisse mutatas.

Dices. Eos libros modo non habemus, quos Sacri Scriptores exararunt, sed eorumdem exemplaria tantum apud nos extant: hæc autem integra, & incorrupta non esse, pluribus suaderi potest 1. Quia versionum est tanta multiplicitas, ut quænam alteri præferri debeat, omnino incertum sit. 2. Sacrorum librorum variæ, atque diversæ lectiones in pluribus codicibus sæpe occurrunt: quo fit, ut semper incerti hærere debeamus, quænam vera, atque genuina sit. 3. Quum ab ætate Apostolorum tam longe remoti simus, quomodo post tam longam vicissitudinem temporum, post tam multiplices, atque varios fortunæ casus hujusmodi libros non mutatos ad nos usque pervenisse dubitandum non erit? Tandem de integritate Sacrorum librorum cujusnam tandem auctoritate constare potest? fortasse Ecclesiæ? At in Ecclesiæ infallibilitatem consentire non possum, nisi de auctoritate Divinorum Scriptorum antea mihi constiterit: necessario ergo in Scepticismum delabimur: ergo nimis multa sunt, quæ Sacros libros immutatos, & incorruptos non esse suadent. (a)

Ad 1. antequam respondeam, illud a Deistis ergo quæro, qua de caussa Sacrorum librorum tam multiplex versio facta fuerit? profecto non alia, nisi

(a) Hæc sunt quæ Tolandus opponit in suo *Nazaræno* cap. 3., uti apud Dittonium in libro inscripto: *La Religion Chrétienne démontree par la Resurrection De Notre Seigneur Jesus Christ* par. 3. ch. 5. sect. 9., & apud Stackhouseum in lib. *Le Sens Litteral de l'Ecriture* ch. 3., quæque etiam Auctor libelli: *Pensées Philosophiques* §. 60., & alterius libelli: *Le Christianisme aussi ancien que le monde*, uti in 3. ep. pastorali Episcopi Londinensis legere est, cum magna confidentia obtrudunt.

quia apud omnes nationes Sacri libri tanto semper in pretio fuerunt, ut in iis suam fidem divinitus traditam contineri putaverint: ergo versionum multiplicitas hos Sacros libros uti divinitus inspiratos semper habitos fuisse, nimis evidenti argumento esse debet: ergo & eosdem esse, quos Sancti viri divinitus inspirati scripserunt, inde concluditur, alioquin suam fidem divinitus in iisdem traditam esse nationes omnes non putassent: ergo tantum abest, ut propter multiplicitatem versionum Sacros libros mutatos fuisse colligi possit, quin potius contrarium evincitur.

Verum nimis multæ sunt utilitates, quæ ex versionum varietate profluunt:,, ,, Utilissimæ sunt (uti ad rem nostram Morinus recte observat *Exercit. Biblic.* ,, lib. 1. *Exercit.* 5. cap. 1. num. 8.) versiones istæ præsertim a Catholicis ,, viris elaboratæ multis de caussis, quas passim Doctores explicant. Exempli caussa ut potestas, & energia dictionis cujusdam exprimatur, quæ latine non satis expressa est, aut non potuit exprimi. Ut variæ vocis, aut phrasis significationes cognoscantur, quæ peregrina lingua unico verbo, aut unica phrasi omnes repræsentari non possunt. Hoc enim singulare habet lingua hebraica, quam imitantur ejus Dialecti, Syriaca, Chaldaica, Samaritana, & Arabica, ut singula quæque verba, & nonnunquam propositiones ex æquo varias interpretationes sæpe patiantur... Ut emphasim, & genium linguæ, sine quorum cognitione sensus auctoris interdum obscurus est, & fere ἀνερμήνευτος, καὶ ἀδιήγητος variarum versionum comparatione Sacræ lectionis studiosus percipiat, & imbibat. Ut Judæi propriis armis, καὶ αὐτοχειρίᾳ confodiantur. Ut dissentientibus ex utraque parte variis latinorum codicibus, fons tunc velut arbiter consulatur. Ut manifestus error, cui varii codices consulti non medentur, fontis auctoritate corrigatur. Ut archetypi corruptio ex tam insignis ectypi sinceritate cognoscatur, & plerumque sanetur,,.

Hac eadem de re etiam Brianus Waltonus ad Biblia *Prolegom.* 5. nu. 3. ita recte habet:,, Mirus etiam versionum consensus in omnibus, quæ ad fidem, & salutem necessaria sunt (nam in aliis minutioribus omnis fere varietas consistit) inter omnes populos tantis terræ marisque intervallis dissitos, soloque ejusdem fidei vinculo connexos, clare testatur, doctrinam horum codicum non in sapientia humana fundatam esse, sed auctoritate Divina stabilitam: quorum conservatio contra Satanæ ejusque satellitum furores, qui eos non tantum corrumpere, sed penitus abolere totis viribus conati sunt, aperte eorum originem Divinam probant. Erroribus etiam, qui ex librariorum inscitia, incuria, & audacia, vel Hæreticorum fraude irrepere possunt, obviatur. Nam quod in una lingua forte contingere potest, in tot per orbem versionibus fieri non potest. Præterea versionum antiquarum.... collatio ad verum Scripturæ sensum in dubiis, & obscuris eliciendum, multum lucis afferre nemo negaverit, qui animo perpendit verbum Dei in vero verborum sensu proprie consistere: quem nemo melius explicare potest, quam Ecclesia vera, (a) cui sacrum hoc depositum Christus commisit: quæ ab Apostolis, & ab Ecclesiarum rectoribus acceptum fideliter posteris transmittit... Si enim commentaria virorum doctorum multum conferant ad Scripturæ intelligentiam, quæ iccirco in locis dubiis, & obscuris omnes solent consulere; quanto magis conferunt versiones antiquæ ubi-,, pri-

(a) Hoc est Catholica.

„ que receptæ, & ab Ecclesia approbatæ, quæ non unius, vel plurium pri- „ vatorum hominum, sed totius Ecclesiæ sensum, & judicium nobis exhibent„? Et re quidem vera collationem codicum ad veritatem dignoscendam plurimum prodesse posse sensit etiam S. Augustinus lib. 2. *De Doctrina Christiana* ca. 14.„ „ Plurimum, *inquit*, hic quoque juvat interpretum numerositas collatis co- „ dicibus inspecta, atque discussa, tantum absit falsitas: nam codicibus emen- „ dandis primitus debet invigilare solertia eorum, qui Scripturas Divinas nos- „ se desiderant, ut emendatis non emendati cedant, ex uno dumtaxat inter- „ pretationis genere venientes„.

Lib. autem 2. *De Doctrina Christiana* num. 6. utile fuisse demonstrat, „ quod Sacræ litteræ in varias linguas verterentur:„ Ex quo factum est, *in- „ quit*, ut etiam Scriptura Divina, qua tantis morbis humanarum voluntatum „ subvenitur, ab una lingua profecta, quam opportune potuit per orbem ter- „ rarum disseminari, per varias interpretum linguas longe lateque diffusa in- „ notesceret gentibus ad salutem: quam legentes nihil aliud appetunt, quam „ cogitationes voluntatemque illorum, a quibus conscripta est, invenire, & „ per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines loquuturos credi- „ mus„. Et Lib. 2. *De Doctrina Christiana* num. 12. quinam Sacrarum lit- terarum codices ceteris præferendi sint, ita determinat:„ In Canonicis au- „ tem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequa- „ tur, inter quas sane illæ sint, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas „ habere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut „ eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, præponat eis, quas „ quædam non accipiunt: in eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præ- „ ponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores mino- „ risque auctoritatis Ecclesiæ tenent.„ S. Irenæus lib. 4. *Contra Hæreses* ca. 26. num. 2.„ Quapropter, *inquit*, eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudi- „ re oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: „ qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placi- „ tum Patris acceperunt: reliquos vero, qui absistunt a principali successione, „ & quocumque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ „ sententiæ; vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes; aut rursus „ ut hypocritas, quæstus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes.„

Ex hisce vero omnibus duo simul constant; hoc est, & multiplicium versionum maximam utilitatem esse, & facile intelligi, quænam aliis præferenda sit. Ex hoc ergo capite contra integritatem Sacrorum librorum nihil Deistæ concludunt.

R. ad 2. illud cum Ludovico Cappello *Criti*: lib. 6. cap. 5. esse adnotandum, duo genera rerum in Sacris litteris distingui debere:„ Alia enim „ sunt (inquit) ad salutem necessaria; sive quæ ad fidem, & mores spectant; „ sive historiæ sint, quæ ad fidem, & spem roborandam multum faciunt: ut „ historia de creatione, de providentia Divina, de nativitate, vita, morte, „ resurrectione Christi &c. quæ vero ejusmodi sunt, in omnibus codicibus „ clare, & evidenter traduntur, ita ut doctrina salutaris a Prophetis, & A- „ postolis tradita in iis omnibus inveniatur. Res enim tales non hic, aut il- „ linc sparsim per Scripturam traduntur, sed ut sanguis per venas, & arte- „ rias, per totum corpus ubique traducitur; sic illæ per totum Scripturæ

,, corpus diſtribuuntur : ita ut licet in uno loco , vel altero aliqua varietas
,, oriri poterit , veritas tamen ſalutaris periclitari non poſſit , niſi univerſæ
,, Scripturæ compages luxata , & corrupta eſſet . Alia vero ſunt , in quibus
,, error , & ignorantia ſine ſalutis diſpendio oriri poſſit , ut multa in Chro-
,, nologicis , in nominibus hominum , urbium , regionum &c. circa quæ va-
,, rietas codicum eſſe poteſt , manente Scripturæ auctoritate ; & ſine ſalutis
,, diſpendio , vel periculo errare poſſumus , tum quod res ipſæ momentoſæ
,, non ſint , tum quia ex ipſa Scriptura judicari poterit , quænam lectio ſit
,, verior ,, .

Quapropter multiplicitatem codicum plurimum utilitatis in ſe continere , negari non poteſt : ,, Multum enim facit (quemadmodum Brianus Waltonus
,, in *Prolegom.* 5. ad Biblia num. 5. recte obſervavit) ad veram lectionem ,
,, tum conſervandam , tum reſtituendam , ejuſque rectam intelligentiam , Co-
,, dicum innumerorum conſenſus mirus in omnibus , quæ Religionis ſubſtantiam
,, ſpectant , veritatem Divinam multum confirmat , Deique curam ſpecialem cir-
,, ca hos libros demonſtrat .

,, *Num.* 6. Præterea notandum eſt , dari media certa , quibus vera le-
,, ctio , quum codices diſcrepant , ſtabiliri poteſt : ſcilicet analogia fidei , an-
,, tiquorum ſcripta , & commentaria , antiquæ verſiones , codicum antiquorum
,, collatio , maxime vero ipſa Scriptura , in qua antecedentium , & conſequen-
,, tium conſideratio , & locorum paralellorum , & ſimilium obſervatio , mul-
,, tum ad veram lectionem conferunt . Nam illa lectio , quæ cum antecedenti-
,, bus , & conſequentibus , & cum locis parallelis conſentit , & analogiæ fi-
,, dei conſona eſt , vel cum aliis bonæ notæ codicibus concordat , & ex an-
,, tiquis Patrum Eccleſiæ ſcriptis corroboratur , procul dubio pro vera , & ge-
,, nuina habenda eſt ,, .

Verum etiam Bochartum hac de re diſſerentem in *Geographia Sacra* , par. 1. li. 2. cap. 13. audire præſtat : ,, Porro , *inquit* , licet eamdem ſcri-
,, bis non tribuam ἀναμαρτησίαν , quam Scriptoribus Sacris , non tamen ,
,, inde ſequitur , quod nonnulli ſubinde oggerunt , actum eſſe de fide , &
,, doctrina ſalutis , & in ea nihil eſſe certi . Quis enim in aliis ferat ſic ar-
,, gutantem ? In Livii , & Svetonii ſcripta quidam errores irrepſerunt : ergo
,, in hiſtoria Romana nihil eſt certi , & in iis , quæ de Hannibale , aut Julio ,
,, aut Auguſto leguntur , nutat fides . Ariſtotelis græci codices ſunt alicubi men-
,, doſi : ergo quid ille ſenſerit de rebus Philoſophicis certo ſcire haudqua-
,, quam poſſumus . Quamvis exemplum ſit valde diſpar : nam multo aliter in-
,, vigilat Dei providentia , ut Sacros Scripturæ codices ab errore præſtet im-
,, munes , ſaltem in iis , quæ ad fidem , & ſalutem ſunt abſolute neceſſaria .
,, Unde eſt , quod utut Hebræi & Græci codices varient in minutulis , & Sa-
,, cri Textus Interpretes ſæpe in diverſa abeant ; tamen in fidei capitibus , &
,, τοῦ νόμου τοῖς βαρυτέροις eadem ubique doctrina occurrit , non jam dico in
,, αὐτογράφοις , ſed & in verſionibus corruptiſſimis ,, . Hinc recte Bellarmi-
nus *de Verbo Dei* lib. 2. cap. 2. ait : ,, Ceterum non tanti momenti ſunt ejuſmo-
,, di errores , ut in iis , quæ ad fidem , & bonos mores pertinent , Scriptu-
,, ræ Sacræ integritas deſideretur . Plerumque enim tota diſcrepantia varia-
,, rum lectionum in dictionibus quibuſdam poſita eſt , quæ ſenſum aut parum ,
,, aut nihil mutant ,, .

Et

Et re quidem vera variantes esse lectiones in aliquibus, quæ non fidem respiciunt, neque mores, mirandum non est: quum enim ista citra fidei morumque variationem mutari potuerint, facile fuit, ut errata aliquorum inemendata permanserint, atque ita contigerit, ut variæ deinde lectiones obtinuerint, quæ tamen facile corrigi possunt, ut constat ex iis, quæ ex Cappello, atque Waltono modo observavimus. Ceterum in aliis, quæ sunt morum, atque fidei, lectio variari non potuit, quin ipsa fides, atque morum præcepta mutarentur: hoc autem quum contra fidem, & morum institutionem quam omnes semel receperant, cujusdam, aut aliquorum suasione fieri non posset; ideo quoad ea, quæ spectant fidem, atque mores, nulla in lectionibus variatio introducta est.

Ex hisce vero omnibus duo contra Deistas colligi possunt, prius est: sua quoque in variantibus lectionibus utilitas quum insit, uti ex Waltono modo observavimus, irrito sane conatu varietatem lectionum nobis Deistas opponere, ut Sacrarum litterarum authenticam auctoritatem de medio tollant. Alterum autem: ad evertendam eamdem auctoritatem mala fide uti hac argumentatione, quam petunt a variantibus lectionibus. Quandoquidem dogmata fidei præceptaque morum ea sunt, quæ in Sacris litteris potissimum continentur, easque componunt; atqui neque quoad dogmata fidei, neque quoad præcepta morum, neque quoad historias, quæ ad utraque referri possunt, aliqua varietas lectionum occurrit, sed tantummodo quoad aliqua levis momenti, quæ facili negotio emendari possunt, uti jam animadvertimus: ergo propter varietatem lectionum authenticam auctoritatem Sacrarum Scripturarum per summum dolum, atque fallaciam destruere conantur. Hanc ergo contra eos argumentationem ultimo instituimus: propter variationes, quæ in rebus levissimi momenti irrepserunt, vel rejiciendi non sunt libri Evangelistarum, & Apostolorum, vel rejiciendi sunt: si primum; habemus, quod volumus: si alterum; ergo & omnes quoque prophani Scriptores rejici debent, quum in eorumdem libris non solum variæ lectiones, sed etiam multa errata, quæ ab amanuensibus, vel librariis provenere, sæpe occurrant: cur ergo Deistæ eorum testimonia tanta confidentia laudant, atque etiam celebrant? cur eisdem ad impugnanda ea, quæ fidei sunt, tam sæpe abutuntur? Quodnam ergo Deistarum ingenium sit, ipsi per se nimis manifeste produnt.

Unum tantum superest, ut moneamus; hoc est nemimem mirari debere, si in Sacris libris lectiones variantes non infrequenter occurrant: nam antequam Sacri codices typis excuderentur, eorumdem exemplaria præ omni alio genere librorum nimis multiplicata erant: quo autem magis alicujus libri exemplaria multiplicata fuerint, eo etiam plures variationes in eisdem facile occurrere posse consequitur. Deinde tanta diligentia in examinandis Sacris libris adhibita fuit, quanta nunquam in nullo alio genere librorum: nam & multiplicium exemplarium collatio facta, & litteræ accuratius observatæ, & syllabæ diligentius expensæ, interpunctaque etiam ad examen revocata. Ex hoc autem multiplices variationes oriri facile potuisse constat. Hæ tamen variationes quum in rebus levissimi momenti, nunquam vero in iis, quæ vel fidei sunt, vel ad mores spectant, vel attinent ad historias, quæ ad utrumque referuntur, occurrant, quemadmodum jam observavimus, propter multiplicitatem lectionum authentica Divinarum Scripturarum auctoritas confirmatur.

Ad 3. nihil necesse est, ut respondeamus, quum tam multa in pluribus lemmatibus initio libri secundi hac de re jam disseruerimus, palamque fecerimus

quo

quo tandem tendant Deistarum cavillationes. Illud hic tantum superaddimus, quod, vel si Divinæ peculiaris providentiæ, qua integritati Sacrorum librorum prospectum esse debuit, nulla ratio habeatur; tamen semper eosdem Sacros libros remanere debuisse nimis manifestum est. Quandoquidem, uti jam sæpe monuimus, suæ fidei depositum in iisdem contineri semper Christiani existimarunt: qualia vero, & quanta sunt, quæ pro defensione suæ fidei omni tempore passi fuere? quantam diligentiam Præsides Ecclesiarum, Doctores, atque Magistri semper adhibuerunt, ut fides immutata consisteret? ergo, sicuti revera factum fuit, Præsides Ecclesiarum, Doctores, Magistros, atque Christianos omnes maxima, qua fieri diligentia potuit, curasse dicendum est, ne Sacri libri mutarentur, atque corrumperentur: ergo vel Divinæ peculiaris providentiæ nulla ratio habeatur; tamen Sacros libros integros servari debuisse, ipsa ratio suadet: ergo si ii quoque libri ad nos integri pervenere, qui ut servarentur, nullius tanti interesse poterat, quantum Christianorum omnium undequaque diffusorum intererat, ut Sacra Scriptura integra, atque incorrupta, servaretur, propter diuturnitatem temporis dubitare nullus sanæ mentis potest, quin ea ad nostram usque ætatem incorrupta perstiterit. Unde huic argumentationi, qua sæpe usi fuimus, superest, ut Deistæ satisfaciant: quum ab ætate Scriptorum Ethnicorum longe remoti simus, quomodo post tam longam vicissitudinem temporum, post tam multiplices, atque varios fortunæ casus libros Ethnicorum incorruptos ad nos usque pervenisse dubitandum non erit? sed, licet quoad conservationem horum librorum ea peculiaris ratio desideretur, quæ quidem quoad conservationem librorum Sacrorum evidens, atque manifesta occurrit, tamen ipsi illorum testimonia uti vera, integra, atque incorrupta laudant, nobisque sæpe opponunt: ergo studio partium per summam iniquitatem se abreptos demonstrant. Hoc autem non contingere non poterat, postquam evidentiæ veritatis obstinate repugnare instituerunt.

R. ad 4., necesse non esse, ut quoad rem illam in Scepticismum delabamur, sicuti *Cogitationum Philosophicarum* Auctor inepte contendit: ipse quidem est turpi Scepticismo involutus, vel saltem quoad ea quoque, quæ evidentia sunt, involutum se esse præsefert: ceterum quoad Christianos nihil tale confingi potest. Doctrinæ ergo sanctitatem, evidentiam miraculorum, prædictionesque futurorum, quæ suum effectum jam consequuta sunt, nimis evidentia argumenta esse illius Divinitatis, quæ in Novi Testamenti libris continetur, quæstione 1. hujus libri jam demonstravimus, atque Sacros Scriptores fuisse divinitus inspiratos aliunde quoque art. 5. quæstionis præcedentis abunde confecimus: ergo de Sacrarum Scripturarum Divina auctoritate, atque inspiratione eo argumentorum genere constat, quæ ab Ecclesiæ auctoritate non petimus, sed ipsæ Sacræ litteræ in se habent, immo iisdem componuntur, atque constituuntur: non ergo Ecclesiæ auctoritate efficitur, ut Sacræ litteræ inspiratæ sint divinitus, sed insuper se id omnibus manifeste præseferunt.

Vera autem Ecclesia habet quoque suas notas, per quas & ab omni alia distinguitur, nullusque de veritate illius superest dubitandi locus. De his vero notis non est, cur nos modo disseramus. Quod si Deistæ earumdem diligentem accuratamque explicationem desiderant, nostros Theologos Polemicos adire poterunt, apud quos uberiorem etiam, accuratioremque invenient, quam ipsi putant. Id unum ergo est, quod nos modo volumus, hoc est non minus no-

bis

bis non deesse, unde Sacrarum litterarum Divinam auctoritatem omnibus compertam facere possimus, quam unde evincamus veræ Ecclesiæ dignitatem, & auctoritatem. Quamvis autem Divina auctoritas Sacrarum litterarum non faciat, ut ea Ecclesia vera sit, apud quam Sacræ litteræ servantur, & custodiuntur, alioquin omnes Ecclesiæ Christianæ veræ essent; neque etiam veræ Ecclesiæ auctoritate efficiatur, ut Sacræ litteræ sint inspiratæ divinitus; tamen & Ecclesiæ auctoritas auctoritatem Divinarum Scripturarum, & auctoritas Divinarum Scripturarum Ecclesiæ auctoritatem confirmat. Ecclesiæ quidem auctoritas confirmat auctoritatem Divinarum Scripturarum, non quasi efficiat, sicuti jam diximus, ut divinitus inspiratæ sint, sed quia definit illas, & non alias esse divinitus inspiratas, hoc, & non alio sensu, intelligi debere, quarum quidem rerum judicium nonnisi ad veram Ecclesiam pertinere potest. Simili ratione auctoritas Divinarum Scripturarum quam maxime confirmat auctoritatem veræ Ecclesiæ, quia præter alia, quæ in Sacris litteris Ecclesiæ tribuuntur, infallibilitas quoque tribuitur. Nam si alicui Ecclesiæ infallibilitatem a Christo promissam esse in Sacris litteris expressum habeamus, nonnisi veræ Ecclesiæ hanc promissionem factam fuisse dicendum erit; at revera in Sacris litteris hanc promissionem a Christo Ecclesiæ factam legimus: (a) itaque veram Ecclesiam infallibilem esse dici debet. Quapropter auctoritas Ecclesiæ cum auctoritate Sacrarum litterarum, & auctoritas Sacrarum litterarum cum auctoritate Ecclesiæ connexa est, & *per legem connexorum*, ut inquit Canus, utramque in alterius probationem sumimus, atque ita facientes in Scepticismum nullo modo delabimur.

„ Quamvis enim (uti Melchior Canus *De Locis Theolog.* lib. 2. cap. 8. „ recte habet), respectu unius, aut alterius hominis Sacras videlicet litteras „ rejicientis, prior sit Ecclesiæ auctoritas, quoniam jure probamus illi hanc „ esse epistolam Pauli, illam Jacobi, per Ecclesiæ auctoritatem; non tamen „ inde colligitur, quod absolute Ecclesiæ auctoritas sit ratio credendi formalis: quomodo si neganti principia philosophiæ naturalis ex effectis notissimis „ nitamur ea suadere; non quærimus caussam, a qua principia philosophiæ „ pendeant, sed argumentum aliquod, vel indicium certum ejus rei, quæ in „ controversiam venit. Ac fere in omnibus disciplinis contingit, ut adversus „ ignorantem caussam utamur effectu, & adversus negantem effectum utamur „ caussa propter utriusque mutuam connexionem ..... Quod igitur in ceteris „ artibus, idem quoque in Theologia contingit, ut rerum ordo interdum humani ingenii caussa permutetur: ita fit, ut contra negantes Novum Testamentum aptissime argumentemur ex Veteri, atque e diverso contra negantes Vetus ex Novo. Etenim ab his, quæ notiora sunt nobis, ad ea, quæ „ minus nota sunt, quodam quasi naturæ ductu homines ferri non solum Philosophus auctor est, sed nullo etiam philosopho auctore experimur. Quamobrem Judæo, cui Vetus Testamentum certius est, Novum ex Veteri suademus... Contra vero oportet, ut adversus eum, qui Novum Testamentum recipit, ex Novo Veteris auctoritatem colligamus. Ad eumdem quoque modum auctoritas Ecclesiæ cum Sacrarum litterarum auctoritate connexa „ est, & per legem connexorum utramque in alterius probationem sumimus.

„ At

(a) Consulantur quæ in hanc rem testimonia Divinarum Scripturarum protulit Melchior Canus lib. 4. *Locis Theologicis* cap. 4.

„ At si generaliter quæratur, unde fideli constet, ea, quæ fide tenet, esse „ a Deo revelata, non poterit Ecclesiæ auctoritatem inducere, quia unum de „ revelatis est Ecclesiam errare non posse, ut I. *ad Timoth.* 3. cap. habetur. „ Nec verus catholicus, quod nonnulli fingunt, assentitur huic; Ecclesia est „ verax, solum per conjecturas humanas, quibus acquisita fides innititur: ad „ quem modum & Saraceni suis præceptoribus, & Judæi suis Rabbinis, & „ Gentes suis Philosophis, & omnes denique suis majoribus inhærent. Non „ sic [inquam] Christiani; sed per interius lumen infusum a Spiritu Sancto, „ quo firmissime, atque certissime moventur ad credendum, Ecclesiam Chri- „ stianam errare non posse, Saracenorum, Judæorum, Paganorum posse. Dein- „ de responderi posset, quod etiamsi in universum opus esset, ut Ecclesia „ ea, quæ sunt credenda, proponeret, non tamen proinde colligeretur, ul- „ timam fidei resolutionem in Ecclesiæ auctoritatem fieri. Non est enim Ec- „ clesiæ auctoritas ratio per se movens ad credendum, sed caussa, sine qua „ non crederemus. Quippe ut nos credamus juxta præscriptam a Paulo legem, „ oportet, ut illa, quæ credere debemus, nobis per hominem proponantur. „ Providit autem Deus, ut Ecclesia esset, quæ certo, ac firmo judicio ea, „ quæ vere nobis sunt credenda, proponeret. Proponit enim Ecclesia (ut rem „ exempli caussa illustremus) Evangelium Matthæi esse a Deo revelatum, „ nec mihi proponere nisi verum potest. Ego igitur non credo Evangelistam „ dicere verum, quia Ecclesia eum dicat verum dicere, sed quia Deus re- „ velavit. Et tamen Ecclesia proponens est caussa, sine qua ego non admit- „ terem illud Evangelium esse Matthæi. Spiritu itaque Sancto Ecclesiam af- „ flatam certo credo, non ut veritatem, auctoritatemve libris Canonicis tri- „ buat, sed ut doceat, illos, non alios esse Canonicos. Nec si nobis aditum „ præbet ad hujusmodi Sacros libros cognoscendos, protinus ibi acquiescendum „ est; sed ultra oportet progredi, & solida Dei veritate niti „. Ex quibus omnibus manifeste constat, quam inepte hac quoque in re, sicuti in cunctis aliis, Auctor *Cogitationum Philosophicarum* processerit, dum ad Scepticismum provocavit. Hoc quidem specioso *Philosophicarum Cogitationum* nomine, quod suo impiissimo libello apposuit, illudere imperitis ipse studuit, dum principia Christianæ Religionis evertere, atque etiam prima præcepta rationis naturalis tollere conatus fuit; verum irrito sane conatu, quum in ejus libello nihil occurrat, quod, non dicam, Philosopho, sed ne sano quidem homini persuaderi possit, ut sæpe jam observavimus.

ARTICULUS IV.

NUM LIBRI NOVI TESTAMENTI ALIQUO TEMPORE SUPPOSITI, VEL INTERPOLATI FUERINT.

Semel ac Novi Testamenti libros interpolatos fuisse supponatur, aliquo tempore hoc factum esse oportet: nam in sua integritate, atque sinceritate semper perstitisse dicendum est, quod nullo unquam tempore corruptum, aut mutatum fuit. Inde vero est, ut si nullum tempus fuit, in quo Novi Testamenti libri corrupti, aut interpolati fuerint, eos non in sua integritate, atque sinceritate ad nos usque pervenisse frustra quispiam effutierit. Hoc vero est, quod ulti-

ultimo loco contra Deistas probandum aggredimur, ut magis magisque semper unicuique pateat, quam præter omnem rationem Sacros libros corruptos fuisse vociferentur. (a)

Propositio. Nullum omnino tempus fuit, in quo Sacri libri Novi Testamenti corrupti, aut mutati fuisse dici queant.

Hic quoque antequam veritatem nostræ propositionis argumentis confirmemus, a Deistis quærimus, ut, quoniam Sacras litteras contra consensionem omnium Christianorum corruptas esse volunt, quum definire non possint, quinam fuerint, qui hoc tentare ausi sint, saltem constituant tempus, in quo Sacræ litteræ corruptæ, aut mutatæ fuerint; hoc est, num viventibus Apostolis, num statim a morte eorum, vel multo post tempore impiæ manus in Sacras litteras illatæ fuerint. Quia vero tempus corruptionis Sacrarum litterarum nunquam definierunt, neque aliquando definire poterunt, quid consequens inde sit, nemo non videt. Itaque.

Prob. nostra propositio. Nullum unquam tempus fuit, in quo Sacræ litteræ mutari, aut interpolari potuerint: ergo nullo unquam tempore mutatæ, aut interpolatæ fuere. Prob. ant. Sacræ litteræ semper eodem modo fuerunt præcipuum fundamentum, cui Christiana Religio innitebatur: ergo nullum unquam tempus fuit, in quo Sacræ litteræ mutari, aut interpolari potuerint. Prob. con. Quanta pro sua Religione tuenda, atque servanda Christiani omni tempore passi fuerint, nemo est, qui ignoret: ergo quum Sacræ litteræ Religionis fundamentum sint, nullo modo ferre potuisse debuerunt, ut mutarentur, aut interpolarentur: ergo nullum unquam tempus fuit, in quo Sacræ litteræ mutari, aut interpolari potuerint.

Deinde semel ac Sacras litteras aliquo tempore corruptas, aut mutatas fuisse ponamus, fidem Christianorum aliam tunc, & subsequentibus temporibus fuisse oporteret, ac erat, antequam ex corrumperentur, atque mutarentur; sed hoc fieri non potuit: ergo nullo unquam tempore mutatæ, aut corruptæ fuerunt. Major constat: uti enim alias sæpe diximus, & negari a nemine potest, quum Sacræ litteræ sint præcipuum, atque potissimum fidei Christianæ fundamentum, consequens inde est, ut si quæ in illis mutatio facta fuit, etiam in fide Christiana fieri debuerit. Prob. mi. Eorum dogmatum, quæ nunc in vera Christi Ecclesia tenemus, quæque præcedentibus temporibus Majores nostri professi sunt, Patrum omnium seculorum, atque ætatum testes amplissimos habemus, qui eamdem, ac nos, fidem semper habuisse nullum dubitandi locum relinquunt: (b) ergo fieri non potuit, ut aliquo tempore Sacræ litteræ mutatæ, vel

(a) Rem jam actam nos modo agere nemo dixerit. Quamvis enim ex eo quod nullus sacras litteras interpolarit, illud quoque consequatur eas omni tempore immutatas perstitisse, tamen quum fieri etiam possit, ut aliqua scripta interpolata quadam ætate fuerint, & definiri non possit, per quos hujusmodi interpolationem passa sint, ideo ad pleniorem confutationem Deistarum optimum factu duximus, si contra eos demonstrandum quoque susciperemus nullo unquam tempore contigisse, ut Sacræ litteræ interpolarentur, aut mutarentur.

(b) Quoad aliqua non eamdem esse fidem Patrum antiquiorum, & subsequentium ætatum, inter Christianos nonnulli quidam Novatores affirmare ausi sunt. Verum Deistæ inde sibi plaudere non possunt, tum quia a Theologis Polemicis isti de suo errore plenissime convicti fuere, tum quia hanc fidei veritatem, quam Novatores se deprehendisse somniarunt in scriptis Patrum priorum seculorum, & sequentium ætatum, non retulere ad aliquam interpolationem, quæ in Divinis Scripturis aliquo tempore facta fuerit, sed ad va-

rias

corruptæ fuerint. Et re quidem vera, ut id modo non urgeamus, de quo art. præcedenti disseruimus; hoc est, Sanctos Ecclesiæ Præsules, Doctores, Magistros, atque Christianos omnes non fuisse passuros, ut Sacræ litteræ mutarentur, & sibi auferretur, quod divinitus inspiratum esse firmissime tenebant; quomodo fieri potuisset, ut inter tam multiplices contradictiones Ecclesia perduraret, & ubique, nulla adhibita vi, propagaretur, si uti Sacros eos libros reciperet, qui tales non forent? si iis Scripturis inniteretur, quæ uti apocryphæ haberi deberent, atque ab impostoribus dimanassent? si doctrina illius aliud non esset, quam inventa hominum, qui alios decipere studuissent? quomodo ut nemo adversus sanctitatem doctrinæ illius prævalere posset? ut virtus apud eam summo in pretio haberetur, vitia autem in contemptu essent? ut tot insignes sanctitate viri in illa florerent, prædicarentur, atque celebrarentur, quales nunquam per institutiones hominum, licet omnium sapientissimi fuerint, extitisse legimus? Nimis ergo stupidum eum esse oportet, qui Sacras litteras aliquo tempore aut interpolatas, aut mutatas fuisse putaverit.

Tandem Sacræ litteræ mutatæ, aut interpolatæ fuerunt, vel dum adhuc Apostoli, atque Evangelistæ viverent, vel statim a morte eorum, vel subsequentibus temporibus; sed hoc non contigit, neque dum Apostoli, atque Evangelistæ viverent, neque statim a morte illorum, neque subsequentibus temporibus: ergo. Minor propositio quoad singula explicatur. Apostoli, atque Evangelistæ nihil magis curæ habuisse debuerunt, quam ne periret ea doctrina, quæ sibi divinitus revelata erat, neve alienis, & falsis intermisceretur, neve interpolaretur, aut quavis alia ratione mutaretur: nemo enim unquam fuit, qui ejusdem Divinam Revelationem magis perspectam habuerit. Hinc vero est, ut in confirmationem Evangelicæ veritatis, quam promulgarunt, omnia mala sustinuerint, ipsamque mortem, vel duriorem, oppetierint. Illud quoque accedit, quod quæ sibi divinitus revelata proponebant, miraculorum evidentia confirmarunt: nemo autem erat, qui talibus signis comprobare ea posset, quæ adversus Christianam doctrinam disseminasset. Ex hoc autem consequitur, ut non minus Apostoli, & Evangelistæ obstitisse debuerint, ne doctrina sibi divinitus inspirata interpolaretur, aut corrumperetur, quam alii omnes repugnare, ut doctrinam Evangelicæ adversantem reciperent. Unde si, absentibus Apostolis, sub nomine eorum aliqua scripta promulgata fuissent, eisdem se nemo non opposuisset, quum Evangelica doctrina recenter imbuti essent, atque inducti veritate miraculorum eam recepissent. Et re quidem vera ut doctrina eorum, qui alicujus Religionis fundamenta ponunt, vel propter auctoritatem contradicentium, vel propter doctrinæ falsitatem, aut ob aliquam aliam caussam, parumper ex memoria hominum deleatur, fieri quidem potest; at vero ut, ipsius doctrinæ auctoribus viventibus, videntibus, atque contradicentibus, aliqua scripta eisdem affingantur, eaque omnes sine ulla auctoritate, & examine, uti potissima fundamenta suæ Religionis suscipiant, & venerentur, quamvis paulo ante tum doctrinæ sanctitate, tum vi miraculorum omnino aliter convicti essent, nemini unquam non solum non persuaderi, sed ne apparenter quidem probabile videri poterit. Tandem illud quoque quæro, qua ratione fieri po-

rias interpretationes Divinarum Scripturarum: &, quod totius rei caput est, etiam qui veteres Patres cum Catholicis hujus temporis committunt, fatentur tamen in omni ætate Christianorum fidem continuisse veritates illas, quas Deistæ oppugnant.

potuerit, ut, viventibus Apostolis, quam ab iisdem acceperant (nam ut alias sæpe diximus, mutatis Sacris litteris, Religionem quoque mutari oportet, quia hæc iisdem innititur) Religionem omnes exuerint, aliamque susceperint per dolum, ac fallaciam invectam, quæ non quidem mitior, & indulgentior esset, sed multa gravia præcepta contineret, pravis cupiditatibus resisteret, voluptati adversaretur, & pro sui defensione nihil non sustineri statueret? Profecto ab ingenio hominum omnino alienum esse, ut alterius imposturam tueantur, id relinquere, quod miraculorum veritate convicti semel susceperunt, & amplecti, quod durum, atque asperum est, vitæ commodis renunciare, suorumque nullam amplius rationem habere, aliena hæc, inquam, omnia, ab hominum ingenio & natura esse ecquis non videt?

Neque etiam paulo post a morte Apostolorum contingere potuit, ut Sacræ litteræ interpolarentur, aut corrumperentur. Originalia Apostolorum quoad usque perstiterint, nihil refert. Tertullianus suo adhuc tempore ea superfuisse tradit, uti articulo præcedenti observavimus. Illud vero certum est, & a nemine in dubium revocari potest, in locum Apostolorum eos successisse, qui iisdem Apostolis in fidei dogmatibus educati, atque instructi, nihil magis curæ habuerunt, quam ut Christiana Religio ubique propagaretur, & ab erroribus pura, atque integra servaretur: unde pro defensione ejus nihil non grave, & molestum pertulere, ac tandem ipsam quoque vitam profuderunt. Quis vero hæc ab eis fieri potuisse existimaverit, ut illius doctrinæ veritatem assererent, quæ contra Apostolicam disseminata fuisset, quamvis Apostolicam vel ab Apostolis, vel a discipulis Apostolorum ipsi suscepissent? ergo Sacræ litteræ nullam statim a morte Apostolorum mutationem subierunt. (a)

Et re quidem vera nihil magis curæ fuisse viris Apostolicis, eorumque successoribus immediatis, quam ut Sacræ litteræ incorruptæ servarentur, atque omnibus manifestæ fierent, nimis comperta res est: „ Post eum tertio loco „ (hoc est post Anacletum, inquit S. Irenæus lib 3. *Adversus Hæreses* ca. 3. „ num. 3.) ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos „ Apostolos, & contulit cum eis, & quum adhuc insonantem prædicationem „ Apostolorum, & Traditionem ante oculos haberet, non solus; adhuc enim „ tunc multi supererant ab Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente dissen„ sione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres, facta, scripsit, „ quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos con„ gregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab A„ postolis acceperat, Traditionem „. Hinc vero est, ut Sanctus Pontifex in sua epistola *Ad Corinthios* & de adventu Christi in hunc mundum, ac præceptis ejus, & de gestis, atque doctrina Apostolorum, deque iis, quæ ab Apostolis acceperat, ac in Sacris libris expressa erant, veluti de rebus apud Corinthios jam pervulgatis, atque certissimis loquitur, & ex hisce omnibus simul

(a) Primis Ecclesiæ seculis diligenter fuisse servatum, ne pro Sacris ii libri haberentur, qui revera tales non erant, ex eo quoque constat, quod Tertullianus refert in lib. *De Baptismo* cap 17. hoc est quemdam Presbyterum e suo gradu dignitatis fuisse dejectum, quia nomine Pauli publicaverat relationem itinerum ejusdem S. Apostoli, atque S. Teclæ „. Quod si quæ Paulo, *inquit*, „ adscripta legunt, exemplum Teclæ ad licentiam mulierum docendi tingendique defendunt, sciant in Asia Presbyterum, qui „ eam Scripturam construxit, quasi titulo „ Pauli de suo cumulans, convictum, atque „ confessum id se amore Pauli fecisse, loco „ decessisse „.

unitis ad concordiam revocandi Corinthios occasionem ducat. Tam multa vero sunt, quæ Sanctus Ignatius in suis septem epistolis de hoc eodem argumentorum genere habet, quæque de vera Ecclesia Christi disputat, ut ea vel aliqua ex parte tantum annumerare velle nimis longum esset. Neque horum quoque omnium S. Polycarpi testimonium in epistola ad Philippenses minus perspicuum est, uti eam legenti manifeste constabit: „ Et Polycarpus autem (inquit S. Ire-„ næus lib. 3. *Adversus Hæreses* cap. 3. num. 4.) non solum ab Apostolis „ edoctus, & conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum vide-„ runt; sed etiam ab Apostolis in Asia in ea, quæ est Smyrnis, Ecclesia con-„ stitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate (multum „ enim perseveravit, & valde senex gloriosissime, & nobilissime martyrium „ faciens exivit de hac vita) hæc docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, „ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera. Testimonium his perhibent, quæ „ sunt in Asia, Ecclesiæ omnes, & qui usque adhuc successerunt Polycarpo: „ qui vir multo majoris auctoritatis, & fidelior veritatis est testis, quam Va-„ lentinus, & Marcion, & reliqui, qui sunt perversæ sententiæ ... Est au-„ tem & epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima, ex qua & „ characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt, & curam „ habent suæ salutis, possunt discere „.

Quæ autem Apostolicorum, eadem quoque & eorum, qui eisdem immediate successerunt, diligentia fuit, ut Sacræ litteræ integræ servarentur, & magis magisque omnibus manifestæ fierent: „ Præter hos [inquit Eusebius *Ec-„ clesiast. Histor.* lib. 3. cap. 37. [antea vero de S. Ignatio, atque Quadra-„ to mentionem fecerat] alii quoque complures eodem tempore viguerunt, in-„ ter Apostolorum successores principem obtinentes locum, qui utpote disci-„ puli tantorum virorum admirabiles plane, ac divini Ecclesiarum fundamen-„ ta, quæ variis in locis Apostoli prius jecerant, additis ædificiis, extruxe-„ runt: prædicationem Evangelii magis ac magis promoventes, & salutaria „ regni cœlestis semina per universum terrarum orbem late spargentes. Si-„ quidem plerique illius temporis discipuli, quorum animos ardentioris Philo-„ sophiæ desiderio verbum Divinum incenderat, Salvatoris nostri præceptum „ jam ante expleverant, divisis inter egentes facultatibus suis. Deinde, re-„ licta patria, peregre proficiscentes, munus obibant Evangelistarum iis, qui „ fidei sermonem nondum audivissent, Christum prædicare, & Sacrorum E-„ vangeliorum libros tradere ambitiose satagentes „.

Quo autem hi viri Sanctissimi recurrerent, ut Sacras Scripturas Divinasque traditiones adversus impugnantes vindicarent, ex S. Irenæo potissimum novimus: „ Traditionem itaque Apostolorum [inquit *Contra Hæreses* lib. 3. ca. 3. „ num. 1.] in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere „ omnibus, qui vera velint videre: & habemus annumerare eos, qui ab A-„ postolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad „ nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. „ *Num.* 2. Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ec-„ clesiarum enumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omni-„ bus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis, Petro, & Paulo Romæ fun-„ datæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet, ab Apostolis Traditionem, „ & annunciatam hominibus fidem per successionem Episcoporum pervenientem

usque

„ usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoque modo vel „ per sibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam „ sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam per „ potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est „ eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique „ conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. *Num.* 3. Fundantes „ igitur, & instituentes Beati Apostoli Ecclesiam Lino Episcopatum admini- „ strandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his, quæ sunt ad Timo- „ theum, epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio „ loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos Aposto- „ los, & contulit cum eis... Huic autem Clementi succedit Evaristus, & „ Evaristo Alexander, & deinde sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, „ & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrum fecit: ac dein- „ ceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset „ Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleu- „ therius. Hac ordinatione, & successione ea, quæ est ab Apostolis, in „ Ecclesia Traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est „ plenissima hæc ostensio, unam, & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ „ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate „. Non solum ergo viri, qui Apostolicis successere, omnem sollicitudinem habuerunt, ut eadem fides servaretur, sed etiam veram rationem adinvenere, qua semper eamdem fidem servatam esse demonstrarent.

Deinde nonne amplissimas Ecclesias Apostoli ubique terrarum, antequam e vita excederent, jam constituerant, quibus omnia Christianæ fidei præcepta tradiderant, quæ tum propter efficaciam miraculorum, tum propter internam inspirationem Divinæ gratiæ tanta alacritate susceperant, ut nihil iisdem antiquius, sanctius, atque divinius habuerint? Quomodo ergo factum, ut tantum depositum, quod in Sacris libris continebatur, adulterari, atque immutari passæ fuerint, pristinam doctrinam abjecerint, aliamque susceperint, quæ non solum nullis miraculis, nulloque genere signorum confirmabatur, ad eamque, Divina inspirante virtute, non excitabantur, sed vel per occultos, vel per manifestos impostores invecta fuisset? Adeone Christianos omnium Ecclesiarum stupidos, suique etiam immemores extitisse? monstruosum est dicere. Quid si illud quoque accedit, ut etiam propter multiplicitatem Ecclesiarum multitudinemque fidelium impossibile fuerit, ut Sacræ litteræ mutarentur? Nam unius, aut aliquorum fraude occulta fieri, ut quod ubique cum summa veneratione a pluribus omnis generis, atque conditionis veluti præcipuum fundamentum suæ salutis, & ejus quidem æternæ, susceptum est, mutetur, interpoletur, in mentem sani hominis ne cadere quidem potest.

Ultimum nunc demonstrandum superest; hoc est, non solum primis, sed neque etiam subsequentibus Ecclesiæ temporibus Sacras litteras fuisse mutatas. Non solum autem ea omnia, de quibus usque modo disseruimus, hoc demonstrant, verum etiam nonnullæ rationes peculiares occurrunt, ob quas fieri non potuisse, ut hisce temporibus Sacræ litteræ mutarentur, evidenter evincitur. Quandoquidem subsequentibus temporibus & numerum Ecclesiarum, & multitudinem Fidelium, atque Doctorum & exemplaria versionesque Sacrarum litterarum aucta, & multiplicata fuisse, nimis notum est; sed hæc omnia,

nia, uti jam demonstravimus, primis Ecclesiæ temporibus impedimento erant, ne Sacræ litteræ mutari possent: ergo multo magis subsequentibus temporibus fuisse confitendum est. Verum non est, cur in rationes inquiramus, quibus id evincatur, quod contra Deistas modo contendimus, quum ex ipsius evidentia facti per se constet. Nam tum in Apostolicis Patribus, tum in iis, qui successores illorum immediati fuerunt, tum in aliis, qui subsequentibus temporibus sua doctrina Ecclesiam illustrarunt, eadem testimonia Scripturarum sæpius repetita, eosdem Sacros libros sæpius laudatos, eamdemque Divinam auctoritatem iisdem tributam adinveniemus [a]. Hoc autem si evidens argumentum non est, Sacras litteras semper immutatas, atque easdem perstitisse, nullum sane esse potest. Verum in re tam evidenti non est, cur diutius immoremur, quin etiam longius fortasse, quam par erat, immorati fuimus.

Dices. Cajani quoddam Evangelium Judæ proditori tribuerunt, ut constat ex S. Irenæo lib. 1.*Contra Hæreses* cap 31. nu. 1. Ebionitæ autem solum Matthæi Evangelium admittebant, rejiciebantque Apostolum Paulum uti apostatam legis sicuti ex eodem Irenæo constat *Contra Hæreses* lib. 1. cap. 26. nu. 2. Valentiniani *plura habere gloriantur, quam sint ipsa Evangelia*, inquit S. Irenæus lib. 3.*Contra Hæreses* cap. 11. nu. 9. Marcion Lucæ Evangelium mutilabat,,. Et omnia, quæ sunt de generatione Domini conscripta auferens, & de ,, doctrina sermonis Domini multa auferens, in quibus manifestissime condi- ,, torem hujus universitatis suum Patrem confitens Dominus conscriptus est... ,, Similiter autem & Apostoli Pauli epistolas abscidit, auferens quæcumque ,, manifeste dicta sunt ab Apostolo de eo Deo, qui mundum fecit,, uti tradit S. Irenæus lib. 1.*Contra Hæreses* cap. 27. nu. 2. Ex hisce vero omnibus illud constat, a primis usque Ecclesiæ temporibus plura in Sacris litteris ab aliquibus mutata fuisse, indeque etiam facile contingere potuisse, ut ad nos mutatæ transmitterentur.

R. nos non negare diversis temporibus nonnullos fuisse tam impios, atque audaces, ut iis Sacris libris, quos Evangelistæ, & Apostoli scripserunt, nonnulla addere, aut ab iisdem subtrahere non dubitaverint. Verum irrito omnino conatu rem tantam ausos fuisse, hoc vero est, quod modo volumus, atque contendimus. Nam antiquis Ecclesiæ Patribus, Doctoribus, atque Præsulibus eos refellere facile fuit, quum appellare possent, sicuti revera fecerunt, ad eas Sacras litteras, quas ab Apostolis receperant. Hinc est, ut S.Irenæus *Contra Hæreses* lib.1. cap.31. nu.1. Valentinianos inde confutet, quia Evangelium, quod ipsi confinxerant, ab Evangelio Apostolorum omnino differebat,,. Siquidem, ,, *inquit*, in tantum processerunt audaciæ, ut quod ab his non olim conscriptum est, ,, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliis,,. Quæ vero de Juda Cajani impie effutiebant, deque illius Evangelio prædicabant, uti omnino absurda multis refellere sollicitus non est, sed ad confutationem eorum satis esse dicit, ut quæ proponebant, in medium proferantur:

(a) Non solum eadem Sacra Scripta, sed etiam eadem testimonia, quæ Apostolici Patres, & primorum Ecclesiæ seculorum, laudarunt, etiam a Patribus sequentium seculorum laudata fuisse, perspiciet quisquis tum illorum, tum istorum opera consuluerit. Hac vero de caussa, prolatis testimoniis eorum, id demonstrandum modo non aggredimur. Ex iis tamen, quæ maximo numero omnium ætatum, atque seculorum supra protulimus qu. 2. ar. 2. §. 1. & seq., in quibus adstruximus Divinam auctoritatem sacrorum librorum ex testimoniis Sanctorum Patrum, hujus quoque rei veritas manifeste perspecta esse potest.

tur: „ Quemadmodum (inquit nu. 4. ejusdem cap.) bestiæ alicujus in sylva „ absconditæ, & inde impetum facientis, & multos vastantis, qui segregat „ & denudat sylvam, & ad visionem adduxit ipsam feram, jam non elaboravit ad capiendum, videntes quoniam ea fera est: ipsis enim adest videre, & cavere impetus ejus, & jaculari undique, & vulnerare, & interficere vastatricem illam bestiam. Sic & nobis, quum in manifestum redegerimus eorum abscondita, & apud se tacita mysteria, jam non erit necessarium multis destruere eorum sententiam. Adest enim & tibi, & omnibus, qui tecum sunt, ad hæc, quæ prædicta sunt, exerceri, & evertere nequam ipsorum doctrinas, & inconditas, & apta veritati ostendere dogmata „.

Plura vero postquam S. Irenæus contra eos disseruit, qui vel plura, vel pauciora, quam Apostoli, atque Evangelistæ tradiderant, recipiebant, ita recte concludit lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 11. nu. 9. „ His igitur sic se habentibus, vani omnes, & indocti, & insuper audaces, qui frustrantur speciem Evangelii, & vel plures, quam dictæ sunt, vel rursus pauciores inferunt personas Evangelii: quidam ut plus videantur, quam est veritatis, adinvenisse: quidam vero ut reprobent dispositiones Dei. Etenim Marcion totum rejiciens Evangelium, immo vero se ipsum abscindens ab Evangelio, pariter gloriatur se habere Evangelium: alii vero ut donum Spiritus frustrentur, quod novissimis temporibus secundum placitum Patris effusum est in humanum genus, illam speciem non admittunt, quæ est secundum Joannis Evangelium, in qua Paracletum se missurum Dominus promisit, sed simul & Evangelium, & Propheticum repellunt Spiritum. Infelices vero, qui Pseudo-prophetæ quidem esse volunt. Propheticam vero gratiam repellunt ab Ecclesia: similia patientes his, qui propter eos, qui in hypocrisi veniunt, etiam a fratrum communicatione se abstinent. Datur autem intelligi, quod hujusmodi neque Apostolum Paulum recipiant. In ea enim epistola, quæ est ad Corinthios, de Propheticis charismatibus diligenter loquutus est, & scit viros, & mulieres in Ecclesia prophetantes. Per hæc igitur omnia peccantes in Spiritum Dei, in irremissibile incidunt peccatum. Hi vero, qui sunt a Valentino, iterum existentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur, quam sint ipsa Evangelia. Siquidem in tantum processerunt audaciæ, ut quod ad his non olim conscriptum est, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia. Si enim quod ab eis profertur, veritatis est Evangelium, dissimile est autem hoc illis, quæ ab Apostolis nobis tradita sunt; qui volunt, possunt discere, quemadmodum ex ipsis Scripturis ostenditur, jam non esse id, quod ab Apostolis traditum est, veritatis Evangelium. Quoniam autem sola illa vera, & firma, & non capit neque plura, præterquam prædicta sunt, neque pauciora esse Evangelia, per tot, & tanta ostendimus „.

Sed & quomodo Marcionem Tertullianus confutet, modo videamus: „ Videamus [inquit *Adversus Marcionem* lib. 4. cap. 5.] quod lac a Paulo Corintii hauserint, ad quam regulam Galatæ sint recorrecti, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium & Petrus, & Paulus sanguine suo signatum reliquerunt. Habemus & Joannis alumnas Ecclesias. Nam si Apocalypsin ejus

„ Mar-

„ Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Joan-„ nis stabit auctorem. Sic & ceterarum generositas recognoscitur. Dico ita-„ que apud illas, nec solum Apostolicas, sed apud universas, quæ illis de „ societate sacramenti confœderantur, id Evangelium Lucæ ab initio suæ edi-„ tionis stare, quod quum maxime tuemur. Marcionis vero plerisque nec no-„ tum, nullis autem notum, ut non eo damnatum „. Tantum ergo abest, ut Sacræ litteræ interpolatæ, aut mutatæ sint, quia aliqui temerario ausu vel nonnullas earum rejicere, vel alias ab illis, quæ communi consensione recipiebantur, intrudere conati sunt, quin potius ex hoc quoque capite constat, quæ ab Apostolis, & Evangelistis traditæ fuerant, immutatas, & incorruptas semper fuisse servatas, atque omnes Ecclesias præcipuam curam habuisse, ut incorruptæ, atque immutatæ servarentur.

Cont. Etiam eas, quæ apud Christianos rectæ fidei Sacræ litteræ servabantur, antiquitus fuisse corruptas negari non potest: ergo. Prob. ant. Hoc enim est, quod veris Christianis Manichæi sæpe objecerunt, quemadmodum ex Sancto Augustino novimus. Deinde Celsus apud Origenem lib. 2. adversus eumdem nu. 27. quosdam ex Fidelibus fuisse affirmat: „ Qui similes illis, quos „ eo impellit ebrietas, ut sibi manus inferant, primum Evangelii contextum „ ter, quater, pluries mutant, pervertuntque, ut habeant, quo res sibi ob-„ jectas inficientur „. Postremo negari non potest, antiqua potissimum ætate non defuisse multos, qui libros aliquos, uti Sacros venditarent, qui revera tales non erant: id in caussa fuit, cur non solum aliqui imperiti de plebe homines, sed etiam plures Ecclesiastici viri decepti fuerint, eaque uti divinitus inspirata laudaverint, quæ postmodum Divina non esse declaratum fuit: ergo fieri potest, ut cum Sacris libris simul permixta multa quoque hujus generis ad posteros non interrupta traditione pervenerint, nullumque huic malo remedium afferri amplius possit.

R. ad 1. S. Augustinum in refellendis Manichæis, qui Sacras litteras corruptas esse effutiebant, eamdem rationem adhibuisse, ac Irenæus, Tertullianus, aliique Patres, adhibuerant, dum Ebionitas, Marcionitas, ac Valentinianos confutarent. Nam sicut illi ad doctrinam Ecclesiarum ab Apostolis traditam, atque ad ea usque tempora ubique sine ulla mutatione perseverantem recurrerunt, ita etiam S. Augustinus *Contra Faustum* lib. 32. cap. 16. „ Quisquis e-„ nim, *inquit*, hoc primum ausus esset [hoc est falsare Sacros codices] „ multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur: maxime quia non „ una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur „. Cap. 21. *Contra Manichæos* hæc tradit: „ Ita certum est, Manichæum, vel Manichæos esse „ ridendos, aut etiam dolendos, qui tam fundatæ auctoritati, a temporibus „ Apostolorum usque ad hæc tempora certis successionibus custoditæ, atque „ perductæ, audent tale aliquid dicere „. Et lib. 11. *Contra Faustum* cap. 3. *Vides*, inquit, *& in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur*, Et cap. 3. „ Quæ [hoc est Divina auctoritas veteris, & Novi Testamenti] A-„ postolorum confirmata temporibus per successiones Episcoporum, & propa-„ gationes Ecclesiarum, tamquam in sede quadam sublimiter constituta est, „ cui serviet omnis fidelis, & pius intellectus „. Quod ergo sæpius observavimus,

vimus, hic monendum rursus esse censemus; hoc est, fere nihil ab Ethnicis, aut etiam ab Hæreticis, quod contra Christianam Religionem facere quovis modo videretur, fuisse productum, cui Increduli nostri temporis non adhæserint, & veluti novum, atque antea non auditum, nobis opposuerint. Verum suam ignorantiam manifeste inde produnt, quamvis omnium peritissimi, atque a præjudicio opinionum immunes haberi velint, quum talia omnia prosus futilia, nulliusque momenti esse ex iis, quæ Apologistæ Christianæ Religionis contra reposuerunt, ipsi quoque cognoscere potuerint.

Celso autem objicienti Sacras litteras per Christianos fuisse corruptas Origenes laudato num. ita respondet: „ Equidem non alios novi, qui Evangelii „ contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini, fortasse & Lucani „ sectatores. Id vero criminis nostræ doctrinæ imputandum non est: in culpa „ sunt, qui Evangelia depravare audent. Nam quemadmodum in Philosophiam „ male coferres, quæ a Sophistis, Epicureis, Peripateticis, aliisque falsæ ex- „ cogitatæ sunt opiniones; sic quia nonnulli Evangelia corruperunt, novasque „ sectas a Jesu doctrina alienas induxerunt, non continuo in crimen vocari opor- „ tet verum Christianismum „. Quin immo tantum abest, ut verus Christianismus in crimen vocari inde possit, ut potius ejus cura, diligentia, atque constantia in servanda, & tuenda puritate Sacrarum litterarum magis magisque perspicua semper fiat. Quid enim? anne iis, qui in hoc Sacrum depositum impias manus inferre ausi sunt, veri Christiani aperta fronte non restiterunt, eorumque audaciam omnino non represserunt? Quandoquidem Ecclesiæ, atque Fideles Sacras litteras non ita quemadmodum Ebionitæ, Marcionitæ, atque Valentiniani impie detruncaverant, non ita, inquam, fideles receperunt, sed sicuti ab Apostolis primitus traditæ, & deinde ab Ecclesiis Apostolicis, atque aliis, quas subsequentibus temporibus viri Evangelici erexerant, conservatæ fuerant, uti ex operibus Patrum manifestum est.

Inde etiam veris Christianis multum laborandum non fuit, ut eorum, qui Sacras litteras corrumpere ausi essent, impios conatus repellerent, quia tanta hac quoque in re inconstantia laborabant, ut simul cum sua imperitia, atque impietate evidentibus contradictionibus implicarentur. Hæc enim ex perantiquo quodam Auctore de Theodotianis Eusebius refert *Ecclesiast. Historiæ* lib. 5. cap. 28. „ His adjiciemus alia quoque ejusdem Scriptoris de iisdem „ hæreticis verba, quæ sic habent. Sacras quidem, inquit, Scripturas auda- „ cter adulteraverunt: primitivæ autem fidei regulam rejecerunt: Christum ip- „ sum denique ignoraverunt: non inquirentes, quid Sacræ doceant Scripturæ, „ sed cujusmodi syllogismorum figura ad confirmandam impietatem suam re- „ periatur, assidue meditantes. Quod si quis aliquem Divinæ Scripturæ lo- „ cum eis objiciat, examinant, utrum connexum, an disjunctum syllogismi „ genus ex eo confici possit. Relictisque, atque abjectis Sacris Dei scriptu- „ ris, Geometriæ student; quippe qui terrestres sint, & loquantur terrena, „ & illum, qui de cœlo advenit, ignorent.... Hinc est, quod Divinis Scri- „ pturis audacter manus intulerunt, eas a se emendatas esse dicentes. Atque „ id a me non falso eis objici, quisquis voluerit, facile cognoscet. Nam „ si quis exemplaria illorum undique conquisita simul inter se contulerit, inve- „ niet profecto illa inter se plurimum dissentire. Certe Asclepiodori exem- „ plaria non conveniunt cum illis, quæ sunt Theodoti. Multa porro hujus-

,, modi exemplaria nancisci licet, propterea quod discipuli illorum studiose per- ,, scripserunt ea, quæ a magistris suis, ut ipsi dicunt, emendata, hoc est, ,, corrupta fuerant. Jam Hermophili exemplaria cum illis, quæ dixi, mini- ,, me consentiunt. Ea vero, quæ dicuntur Apollonidis, ne secum quidem ip- ,, sa concordant. Nam illa, quæ prius ediderat, cum illis, quæ postea inver- ,, tit, atque luxavit, conferre quilibet potest, atque inter se dissonantia de- ,, prehendere. Quantæ porro audaciæ sit hujusmodi facinus, ne ipsos quidem ,, ignorare, credibilie est ,, . Horum vero auctoritate uti possibile est, ut Deistas tandem aliquando non pudeat ?

Ad ultimum respondeo, Ecclesiasticos aliquos viros, atque Doctores deceptos quidem in eo fuisse, ut tamquam divinitus inspirata ea laudaverint, quæ talia non esse Ecclesiæ unanimi consensione constitutum subinde fuit. Verum nihil ex hoc proficere Deistæ possunt; ut enim omittamus, quod quæstionis præced. art. 2. §. 4. prop. 4. scholio 2. jam prædiximus; hoc est, inde inferri debere, semper ab Ecclesia diligentissime cautum fuisse, ne, qui non debebant, in Sacrum canonem libri reciperentur, ita ut non unius, aut alterius, etiam suorum Doctorum, fuerit contenta testimonio, sed rem ipsam diligentius expenderit; illud quoque observandum modo esse putamus, Apostolicorum quidem Patrum neminem, eorum autem non valde multos, qui deinde in Ecclesia Græca, fere autem nullos, qui in Latina floruerunt, veluti Canonica, atque divinitus inspirata illa laudasse, quæ talia non esse Ecclesia professa fuit, & nunc quoque profitetur. Ex hoc autem fieri non potuisse colligitur, ut quæ Divina non erant, cum Divinis intermiscerentur, atque ita simul confusa ad nos pervenirent. Nam consensio Ecclesiarum ad id requirebatur, quæ nullo unquam tempore in libris pro Canonicis recipiendis fuit, qui non essent. Et re quidem vera dubitari non potest, primos Ecclesiæ Patres omnem in eo diligentiam adhibuisse, ut scripta genuina a falsis, atque etiam ab incertis, & dubiis distinguerentur. Hinc distinctio librorum, qui *genuini*, *adulterini*, *& incerti* essent, apud eos frequenter occurrit. *Genuinos* vocarunt, qui doctrinam prædicationi Apostolorum consentientem continebant, communi omnium Ecclesiarum testimonio recipiebantur, moremque Apostolicum quoad dicendi rationem referebant. Ad *adulterinos* autem amandabant, qui hisce notis destituti erant. Qui vero nihil continebant, quod traditioni Apostolicæ adversaretur, nec tamen unanimi consensu recipiebantur, inter *incertos* reponebant. (a) Unde quæ ab aliquibus olim, quamvis revera non essent, uti Divina, & Canonica laudata fuere, verorum Evangeliorum, aliorumque Canonicorum librorum auctoritatem non elevant, sed augent, atque confirmant: quum enim ex numero Divinorum subtracta fuerint, argumento est, Christianos, atque Ecclesias in expendenda auctoritate librorum Canonicorum fuisse diligentiores, nec ob eam tantum caussam aliqua uti Divina recepisse, quia ad Christi, Apostolorumque ejus honorem plurimum conferre posse viderentur.

Et

(a) ,, Expositis igitur hactenus (inquit ,, Eusebius *Ecclesiast. Historiæ* lib. 3. ca. 31.) ,, quæcumque ad notitiam nostram pervene- ,, runt, tum de Apostolis ipsis & de tem- ,, pore obitus singulorum, tum de Sacris vo- ,, luminibus, quæ nobis reliquerunt: ad hæc ,, de iis libris, qui in dubium quidem re- ,, vocantur, in plurimis tamen Ecclesiis pa- ,, lam leguntur: postremo de illis, qui plane ,, spurii sunt, & a recta fide doctrinaque ,, Apostolorum alieni, nunc ad sequentium ,, rerum narrationem prosequamur ,, .

Et re quidam vera Sancti Ecclesiæ Patres in suis contra hæreticos disputationibus nonne non solum suam omnem operam in eo posuerunt, ut ab illis vel corruptas, vel in pravum sensum detortas genuinas Sacras litteras, sed etiam falsas temerario ausu confictas fuisse demonstrarent, si quando tantum facinus ii admiserant, contra quos pugnabant? Ut alios omittam Sanctos Ecclesiæ Patres hanc rationem a S. Irenæo fuisse diligentissime servatam, nimis comperta res est. Nam lib. 1. *Contra Hæreses* cap. 27. nu. 4. de Marcione loquens ita habet: „ Sed huic quidem, quoniam & solus manifeste ausus est „ circumcidere Scripturas, & impudorate super omnes obtrectare Deum, seorsum contradicemus, ex ejus scriptis arguentes eum; & ex iis sermonibus, „ qui apud eum observati sunt, Domini, & Apostoli, quibus ipse utitur, eversionem ejus faciemus, præstante Deo „. Et lib. 3. cap. 12. nu. 12. „ Unde „ & Marcion, *inquit*, & qui ab eo sunt, ad intercidendas conversi sunt „ Scripturas, quasdam quidem in totum non cognoscentes, secundum Lucam „ autem Evangelium, & epistolas Pauli decurtantes, hæc sola legittima esse „ dicunt, quæ ipsi minoraverunt „. Ita lib. 1. cap. 26. nu. 2. audaciam Ebionæorum commemorat, qui solo Evangelio, quod est secundum Matthæum, utebantur, & Apostolum Paulum recusabant, Apostatam eum Legis dicentes. Ita etiam lib. 1. *Contra Hæreses* cap. 3. nu. 6., cap. 8. nu. 1., cap. 9. nu. 1. & seq. Valentinianorum temeritatem refellit in corrumpendis, atque in pravum sensum detorquendis Sacris Scripturis, & lib. 3. cap. 11. nu. 9. eorumdem insanam audaciam in confingendo novo Evangelio detestatur: sicuti constat ex iis, quæ ex eodem S. Patre retulimus in probationibus nostræ propositionis.

Contra. „ Messala Consule (ita legitur in *Chronico* Victoris Episcopi Af„ ricani apud Eusebium *in Thesauro Temporum*) jubente Anastasio Imperatore, Sancta Evangelia, tamquam ab idiotis Evangelistis composita, reprehenduntur, & emendantur „. Similia quoque sunt, quæ in suo *Chronico Quinta Ætate seculi* habet S. Isidorus Hispalensis: „ Anastasius, *inquit*, ... „ Acephalorum errorem vindicans, Episcopos Chalcedonensis Synodi defensores exilio damnavit. Evangelia quoque tamquam ab idiotis Evangelistis „ composita reprehendit, atque emendat „: ergo seculo sexto Sancta Evangelia universaliter fuisse corrupta negari non potest. [a]

R., Anastasium Imperatorem, ut Eutichianis faveret, Macedonium Episcopum ejiciendi a sua sede omnem occasionem quæsivisse, adeoque illum accusasse, quod Pauli quoddam testimonium corrupisset: „ Hoc tempore [hoc „ est anno Christi 511.] Macedonius Constantinopolitanus Episcopus [inquit „ Liberatus Diaconus in suo *Breviario* cap. 19.] ab Imperatore Anastasio dicitur expulsus tamquam Evangelia falsasset, & maxime illud Apostoli dictum: *Quia apparuit in carne, justificatum est in spiritu*. Hunc enim immutasse, ubi habet ὅς, id est, qui, monosyllabum græcum, littera mutata, ο in θ vertisse, & fecisse θς, id est, ut esset Deus, apparuit per carnem. Tamquam Nestorianus ergo culpatus expellitur per Severum Monachum „. Quapropter, quod ad ejiciendum Macedonium fraude alterius mutatum erat, probabile est Anastasium emendari fecisse, ut de confictione criminis nulla suspicio subesse posset, atque inde factum, ut Anastasium Evangelia mutasse, nonnulli tradiderint memoriæ posterorum.

Rr 2 Nec

(a) **Hoc argumenti genere plurimum se profecisse putat Auct. libri inscripti: *De la liberté de penser.***

Nec refert, quod ab Anastasio Sacra Evangelia emendata fuisse dicatur: nam sicuti nomine legis omnes libros Veteris Testamenti, ita etiam Evangelii nomine omnia Scripta Novi Testamenti Veteres sæpe complectuntur, adeoque etiam Victorem, atque Isidorum hac dicendi ratione usos fuisse, dici potest.

At vero hæc nostra conjectura nullius momenti esse statuatur, atque illud simul demus, Anastasium Evangelia emendasse, quia ab idiotis Evangelistis conscripta fuerant, quamvis de re tam gravi, de qua nemo non valde sollicitus esse debebat, unus, aut alter tantum mentionem fecerit. Quid inde Deistæ pro se colligere possunt? An fortasse quæ Sacris litteris per Anastasium illata corruptio fuit, ubique esse propagatam, omnesque Ecclesias pervasisse? Verum ut multa omittamus, quæ hoc fieri non potuisse demonstrant, (a) revera factum non esse, nonne inde evidentissime evincitur, quia eadem semper fuit Ecclesiæ fides, eademque Divinarum Scripturarum testimonia laudata legimus a Sanctis Patribus, qui scripserunt, antequam Anastasius imperaret, ac ab aliis omnibus, qui deinde sequuti sunt? Nonne Concilia priorum sequentiumque seculorum, in quibus sane fides cunctarum Ecclesiarum omnino perspecta est, hoc idem confirmant? Nam quæ ex Sacris litteris in eis referuntur, sive prioribus, sive posterioribus Ecclesiæ seculis celebrata sint, sibi mutuo respondent, nullamque inter se variationem habent (b). Nullam ergo per Anastasium mutationem in Sacris litteris inductam esse, evidentissime constat.

QUÆSTIO IV.

DE SYSTEMATIBUS DIVINÆ REVELATIONI OPPOSITIS.

TUnc systema quodpiam directe, & ex sui natura alteri opponi dicitur, quando in se spectatum tale est, ut alterum destruat, atque omnino tollat. Nam fieri quidem potest, & sæpe etiam fit, ut in uno systemate aliqua contineantur, quæ alteri systemati opponuntur; & tamen ipsum systema non sit ei ex sui natura adversum. De eo itaque genere systematum in hac quæstione disputare instituimus, quæ Religioni Revelatæ ex sui natura adversantur, atque omnino opponuntur. Talia vero sunt systemata Naturalistarum, seu Indifferentistarum proprie dictorum, & Latitudinariorum, seu Indifferentistarum minus proprie dictorum, atque etiam eorum omnium, qui Sacræ Scripturæ legitimum interpretem, & judicem unumquemque faciunt, nullamque infallibilem aucto-

(a) Consulatur Baronius ad annum Christi 501., & seq., atque Natalis ab Alexand *Hist. Eccles.* seculo 5. cap. 3. art. 16., & cap. 7. art. 8.

(a) Nimis longum, atque operosum esset, tum Patrum, tum Conciliorum cujusvis seculi, atque ætatis afferre testimonia, ut eorum facta comparatione, pateat, quod modo volumus. Eos, qui in Operibus Sanctorum Patrum, & Conciliorum locupletissimi locorum Sacræ Scripturæ indices annexi sunt, quisquis consuluerit, de veritate hujus rei plenissime convictus remanere poterit. Hinc vero est, quod Novatores recentiores, qui pristinam Ecclesiæ fidem mutatam esse effutierunt, & Patres primorum seculorum aliam fidem habuisse, ac nunc Catholica Ecclesia profitetur; nunquam opposuerunt, non esse eadem testimonia Divinarum Scripturarum, quæ laudentur a Patribus priorum, atque sequentium Ecclesiæ seculorum, quo sane uno, si obiici posset, rem totam confecissent; sed hoc solummodo, quamvis prorsus falso, & præter omnem rationem, opposuerunt, non eodem sensu accepta fuisse eadem testimonia Divinarum Scripturarum a Patribus priorum, & sequentium seculorum.

auctoritatem quoad interpretationem Divinarum Scripturarum admittunt. Nam auctoritati Divinæ Revelationis sese opponere, quicumque rejicit aliquam veritatem, quæ in ea contineatur, per se manifestum est. Verum ex hoc non fit, ut Revelata Religio omnino destruatur, & nullus amplius locus ei superesse possit. Tunc ergo Revelatam Religionem omnino destrui, nullumque ei locum superesse in hac quæstione propugnandum aggredimur, si salutem æternam repositam esse quispiam tueatur sive iis, qui nullam Divinam Revelationem admittunt, sive aliis, qui eorum, quæ in Divina Revelatione continentur, id crediderint, atque tenuerint, quod sibi maxime visum fuerit, sive demum ceteris, qui putaverint, unumquemque Sacræ Scripturæ judicem idoneum esse posse, & quoad eam omnem judicii infallibilitatem e medio sustulerint. Salutem æternam repositam esse iis, qui omnem Divinam Revelationem rejiciunt, Naturalistæ, seu Indifferentistæ proprie dicti tuentur. Idem Latitudinarii, seu Indifferentistæ minus proprie dicti quoad eos faciunt, qui eorum, quæ in Divina Revelatione continentur, id crediderint, atque tenuerint, quod ipsis maxime visum fuerit. Protestantium tandem perniciosissimus error est, unumquemque Sacræ Scripturæ citra jacturam æternæ salutis judicem esse posse, nullamque quoad eam dari judicii infallibilitatem. Hæc ergo tria systemata sunt, quæ conabimur in tribus distinctis articulis evincere talia esse, ut per ea omnis Revelata Religio e medio tollatur, ac prorsus destruatur.

ARTICULUS I.

NUM QUI DEUM QUAVIS RATIONE COLUNT, NULLAM VERO DIVINAM REVELATIONEM AGNOSCUNT, NEC ADMITTUNT, ÆTERNAM A DEO SALUTEM ASSEQUANTUR.

Triplex Naturalismi species distingui potest: prima Naturalismi species ea est, qua quis putat, etiam supernaturalia opera virtutis sine Dei gratia se posse facere: altera, qua mundo, vel materiæ tribuitur Divinitas, seu mundum, aut materiam Deum esse putatur: tertia vero, qua cognitionem, & fidem Divinæ Revelationis, atque eorum, quæ in ipsa Divina Revelatione continentur, ad æternam salutem consequendam necessariam non esse existimatur. De prima specie Naturalismi ut agamus, nostri instituti ratio non exigit, immo neque etiam patitur: de altera autem in secundo libro Theologiæ Naturalis contra Spinosam jam copiose disseruimus: superest ergo ut de tertia modo agamus contra Deistas, qui eo usque insaniæ processerunt, ut æternam salutem repositam esse dixerint tum iis, qui secundum recta naturæ principia verum Deum coluerint, nullamque Divinam Revelationem agnoverint, aut admiserint, tum aliis, qui quamvis quoad fidem Deitatis turpiter erraverint, ea tamen accurate præstiterunt, quæ a se peragenda esse cognovere (a). Naturali-

(a) Bælius tom. 2. Oper. *Comment. Philosoph.* par 2 utrosque salutem æternam contendit esse consequuturos; hoc est tum eos, qui verum Deum coluerint, prout ipsi a se colendum esse putaverint, Divinamque Revelationem rejecerint, tum alios, qui in Paganismi erroribus versati fuerint. Rousseaus in suo *Æmilio* pag. 169. omnes Religiones, quibus in unaquaque regione præscribitur modus uniformis colendi Deum publico cultu, uti æque bonas, atque salutares esse habendas affirmat. Idem sentit Auctor libelli inscri-

ralistæ isti vocantur, atque etiam Indifferentistæ proprie dicti appellari possunt, quatenus nullius omnino Religionis habito discrimine, indifferenter ab omnibus salutem obtineri posse non minus impie, quam irrationabiliter obganniunt.

Propositio. Salutem æternam consequi non possunt nec ii, qui, licet secundum principia rectæ rationis unum, atque verum Deum coluerint, tamen Divinam Revelationem non noverint, nec admiserint; neque alii quivis, qui in fide Divinitatis errarint.

Probatur primo propositio quoad utramque simul partem ,,. Euntes in ,, mundum universum [ita Christum Apostolis præcepisse legimus *Lucæ* ca. 16. ,, v. 15. & seq.] prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & ba- ,, ptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur ,, *Joannis* cap. 3. v. 18. hæc leguntur. ,, Qui credit in eum, non judicatur: qui ,, autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Uni- ,, geniti Filii Dei ,,. Et cap. 5. v. 10. ,, Si præcepta mea servaveritis, mane- ,, bitis in dilectione mea; sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & ma- ,, neo in dilectione ejus ,,. Hinc S. Jacobus in sua Catholica epistola cap. 1. v. 22. & seq. ,, Estote autem, *inquit*, factores verbi, & non auditores tan- ,, tum fallentes vosmetipsos: quia si quis auditor est verbi, & non factor; ,, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Con- ,, sideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Qui autem ,, perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea non auditor ,, obliviosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit ,,. Duo ergo sunt, quæ Christus nobis præcipit, eaque in Divina Revelatione expressa habemus; hoc est & fidem eorum omnium, quæ continentur in Divina Revelatione, quam habemus, & cunctorum observantiam, quæ in illa præcipiuntur. At vero qui Divinam Revelationem non admittunt, neque fidem illorum habere possunt, quæ in Divina Revelatione continentur, neque servare omnia, quæ in ea præcipiuntur, multoque magis ad utrumque incapaces ii sunt, qui errant in fide Deitatis: ergo si Christus sub comminatione æternæ damnationis fidem, & observantiam revelatorum omnibus præcipit, tam contemptores Divinæ Revelationis, & qui eam ignorant, quam ceteri omnes, qui errant in fide Deitatis, salutem æternam consequi non possunt. De Divinitate Revelationis Novi Testamenti certissime constare in superioribus hujus libri quæstionibus contra Deistas jam abunde confecimus: inde vero est, ut hoc quoque genere argumenti eos premere primo potuerimus. Modo vero de utraque parte propositionis peculiariter agamus.

Et quidem quoad priorem partem spectat, ut alia nunc capita omittamus, ob quæ Divina Revelatio nobis necessaria est [a], futurum esse, ut decipiamur in iis, quæ Deo, nobis, atque aliis debemus, si præter rationem nostram nihil aliud habeamus, quod uti regulam quamdam certam, atque securam sequamur, & ipsa ratio suadet, & omnium seculorum experientia confirmat. Rem actam modo ageremus, si id demonstrandum aggrederemur, quum ob illud quoque caput Divinam Revelationem nobis necessariam esse contra Deistas plu-

scripti. *Les Mœurs* 1. par. art 2. In altero quoque libello inscripto: *Tolerance des Religions* idem propugnatur, uti legere est apud Bælium tom 1. Oper. *Nouvell. de la Republ. des Lettres Nouvell. de Jun.* 1684. art. 3.

(a) Ea nos contra Deistas urgere non omisimus, dum de necessitate Divinæ Revelationis tractaremus, ut constat ex iis, quæ lib. 1. quæst. 1. art. 3. jam disputavimus.

pluribus jam adstruxerimus lib. 1. quæst. 1. art. 3., in quo illud quoque data opera evicimus, in gravissimos quidem errores incidisse Philsophos antiquiores, verum iis sane longe turpius errasse tum quoad ea, quæ ad Deum ipsum spectant, tum quoad alia, quæ ad mores referuntur, nostros recentiores, qui Divinam Revelationem contemnunt. Quapropter ita argumentor. Nihil magis impium, absurdum, atque irrationabile fingi, aut excogitari potest, quam ut salutem æternam a Deo ii consequantur, qui non præstiterunt ea, quæ ipsi Deo, sibi, atque aliis debebant; sed hujus conditionis sunt, qui nullam Divinam Revelationem agnoscunt, atque recipiunt, quia sine ea novisse hæc omnia non possunt; ergo nihil magis impium, absurdum, & irrationabile fingi, aut excogitari potest, quam ut salutem æternam a Deo ii consequantur, qui nullam Divinam Revelationem agnoscunt, nec recipiunt. Nihil autem magis impium, absurdum, & irrationabile fingi, aut excogitari posse, quam ut salutem æternam a Deo ii consequantur, qui non præstiterunt, quæ ipsi Deo, sibi, atque aliis debebant, & per se manifestum est, & inde quoque constat, quia alius futurus esse debet vitæ status, in quo impii puniantur, justi autem sua præmia recipiant, quæ quidem æterna erunt, sicut etiam nullus unquam finis eorum cruciatuum futurus erit, quem impii sustinebunt, quemadmodum jam evcimus *Theologiæ Naturalis* lib. 3. quæst. 6. & 7. Si autem inter impios comiputandi non sint, qui non præstiterunt, quæ ipsi Deo, sibi, atque aliis debebant, non video sane, quinam computari possint.

Deinde homo uti ad suum ultimum finem ordinatur ad æternam beatitudinem, quæ quidem beatitudo excedit proportionem ejus facultatis naturalis, quam ipse habet (a): ergo lex naturalis, & humana, quæ a naturali derivatur, per se non sufficiunt, ut per eas ad suam beatitudinem homo dirigatur: ergo ad beatitudinem per Divinam legem dirigi debet: ergo Divina lex homini necessaria est, ut ad suam ultimam beatitudinem dirigatur: ergo qui præter naturalem, & humanam, etiam Divinam legem non habuerit, atque servaverit, ad suam ultimam beatitudinem pertingere non potest. Prima conseq. constat: nam lex naturalis homini una cum ipsa ratione congenita est, adeoque si per legem naturalem ad suam ultimam beatitudinem pertingere posset, ipsa beatitudo facultatem proportionis naturalis amplius non excederet.

Probatur altera pars propositionis. Illud autem a Deistis primum quærimus, a quonam tandem æterna felicitas iis retribui debeat, qui in fide Deitatis erraverunt? Profecto falsos Deos, quos coluerint, id esse præstituros, nemo Deistarum affirmare potest, quum pro Religione Naturali, cum qua unius Supremi omnium Domini cognitio indissolubili nexu conjuncta est, acriter pugnent, vel se pugnare saltem præseferant. Deinde quanam tandem ratione a Diis expectari potest æterna felicitas, si etiam Deistis consentientibus, neque sunt, neque esse possunt, tantumque in falsa apprehensione quorumdam impiorum stultorumque hominum existentiam habent? A Deo ergo solum alterius vitæ felicitas expectari potest; sed hanc felicitatem a Deo sibi expectare non possunt, qui falsos Deos coluerunt: ergo nunquam illi æternam felicitatem assequuturi sunt. Prob. mi. Nemo sibi expectare potest aliqua ab eo bona, quem

(a) Hæc omnia constant ex iis, quæ de spiritualitate, & immortalitate animæ contra Materialistas, & de altero futuro vitæ statu, deque æternitate pœnarum, atque præmiorum contra Deistas in *Naturali Theologia* fuse disputavimus.

nium, conservatorem, provisorem, & retributorem tum pœnarum, tum præmiorum in altera vita, prout in præsenti unusquisque sese gesserit, cognoscat, colat, revereatur, atque super omnia diligat, quæ sane tum intellectu, tum ipsa voluntate fiunt; inde sequitur, ut intellectus, & voluntas duo potissima sint, quibus homo Deo adhærere debet. Si autem intellectu, atque voluntate Deo adhærere debet, necesse est, ut nulli alii externum Divinum cultum adhibeat. Nam, uti recte habet S. Augustinus lib. 10. de *Civitate Dei* ca. 19., „ Exteriora sacrificia ita sunt signa interiorum, sicut verba sonantia sunt signa rerum: quocirca sicut orantes, atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui tamen res ipsas in corde, quas significamus, offerimus; ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus, quam ei, cujus in cordibus nostris visibile sacrificium nos ipsi esse debemus „. At vero qui errant in fide Deitatis, Deo per suum intellectum non adhærent, quum ipsum non cognoscant, ideoque neque etiam per voluntatem, quæ non fertur in incognitum, adhærere possint; per ea potissimum, quibus secundum omnia jura rationis erga Deum conversi esse debent, ab eo aversi sunt, atque ita quidem aversi, ut per summam injuriam atque impietatem contra evidentissimam rationem ipsi vero Deo falsam Divinitatem præponant. Infallibiliter vero inde consequitur, ut etiam in exteriori cultu, qui soli Deo debetur, contra Deum ipsum gravissime peccent. Tantum ergo abest, ut qui errant in fide, consequi possint alterius vitæ æternam felicitatem, quæ a Deo rependitur in præmium, & mercedem eorum, quæ hic a nobis in obsequium, & cultum illius gesta sunt [a], quin potius ut ab ea excludantur, atque in æternum puniantur, multa sane, eaque gravissima omnium, quæ dari possunt, evidenter ostendunt [b].

Dices I. Eodem modo, quo secundum rectam conscientiam etiam secundum erroneam agere possumus, semel ac eam veram esse credamus: tum ergo ii, qui Divinam Revelationem rejiciunt, quam alii omnes, qui errant in fide Deitatis, alterius vitæ æternam felicitatem consequi possunt, quia licet conscientiam erroneam habeant, tamen eam veram esse putant. Priorem propositionem pluribus sane Bælius suadere contendit (c). Certum est, inquit, apud omnes, peccatum esse, quod contra conscientiæ dictamen fit: non est etiam minus evidens, eum, qui judicat, aliquam actionem esse bonam, aut malam, supponere legem, qua constet de honestate, & turpitudine actionis; ideoque eum, si non sit Atheus, sed aliquam Religionem sequatur, hanc legem in Deo

(a) Vita quidem æterna a Deo redditur in præmium bonorum operum, & quatenus est quædam merces, quæ justitiæ debito retribuitur; tamen inde non consequitur, ut non sit etiam gratia „. Cui debetur vita „ æterna (inquit S. Augustinus epist. 194. „ num. 22., alias epist. 105.), vera justitia „ est. Si autem vera justitia est, ex te non „ est, desursum est descendens a Patre lumi„ num. Ut haberes eam, si tamen habes „ eam, profecto accepisti. Quid enim ha„ bes, quod non accepisti? Quapropter, o „ homo, si accepturus es vitam æternam, „ justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gra„ tia est, cui gratia est & ipsa justitia, „ Tibi enim tamquam debita redderetur, si „ ex te tibi esset justitia, cui debetur. Nunc „ vero de plenitudine ejus accepimus non so„ lum gratiam, qua nunc juste in laboribus „ usque ad finem vivimus, sed etiam gra„ tiam pro hac gratia, ut in requie postea „ sine fine vivamus „.

(b) Vide quæ de æternitate pœnarum debita impiis *Theologiæ Naturalis* lib. 3. q. 6. art. 7. disseruimus.

(c) Operum tom. 2. *Comment Philosoph. par.* 2. *cap.* 8. Hoc autem Bælius nunc statuit nullo habito discrimine conscientiæ erroneæ culpabilis, & inculpabilis.

esse necessario supponere. Ex hisce vero concluditur idem esse dicere: mea conscientia judicat talem actionem rectam, aut malam esse; ac affirmare: mea conscientia judicat talem actionem placere Deo, vel non placere. Eamdem quippe evidentiam habent hujusmodi propositiones, ac evidentiores metaphysicæ notiones. Idem etiam de illa propositione dici debet: omnis, qui judicat aliquam actionem esse malam, & displicere Deo, & nihilominus eam facit, vult offendere Deum, & ipsi Deo esse inobediens, ideoque peccat. Hæc altera quoque est ejusdem generis: omnis, qui facit rem aliquam, quam conscientia ejus malam esse statuit, vel non facit, quod conscientia ejus faciendum esse suadet, procul dubio peccat. Immo peccatum illius, ceteris omnibus paribus, maximum peccatum est ob ipsam cognitionem, quam habet de turpitudine actionis. Hinc duorum filiorum, qui in iisdem circumstantiis, ceterisque omnibus paribus, suum patrem occiderent, ille procul dubio gravius peccaret, qui distinctius nosceret ipsam gravitatem criminis.

Verum, pergit Bælius, non solum peccatum ob majorem cognitionem turpitudinis eam omnem gravitatem habet, quam in sua specie habere potest, sed etiam duarum actionum, quarum unam rectam dicimus, pravam alteram; si recta contra conscientiæ inspirationem fiat, majus peccatum committitur, quam si prava secundum inspirationem conscientiæ fiat. Id autem hoc exemplo explicat. Actionem rectam esse dicimus, eleemosynam mendico dare, pravam autem injuriis mendicum repellere. Qui ergo eleemosynam mendico erogaret, quamvis sua sibi conscientia dandam non esse suaderet, vel veræ tandem, vel falsæ essent illæ rationes, ob quas conscientia ita suaderet, actionem magis pravam præ illo faceret, qui mendicum injuriis a se repelleret in iis circumstantiis, in quibus ob aliquas rationes, quas veras esse crederet, sua conscientia mendicum repellendum a se esse sibi suaderet. Advertendum tamen, inquit, conscientiam, quæ eleemosynam dandam, vel non dandam esse suadet, talem esse debere, ut perspectum sit, quod suadet, non sine ratione suadere. Si quis ergo mendicum videat, & contra conscientiam suadentem hujusmodi mendico eleemosynam dandam non esse, quia videt victum labore sibi comparare posse, atque futurum esse, ut tali subsidio sibi præstito abutatur, & nihilominus ei eleemosynam eroget, gravius peccat, quam alter, qui mendicum a se rejicit, quia ea non indigere, aut male usurum esse putat, semel posito, quod uterque facti errore laboret. Ut autem perspectum fiat, actionem ejus, qui erogat eleemosynam in iis circumstantiis esse deteriorem actione alterius, qui non erogat, duo advertenda: primo aliquam moralem bonitatem inesse in actione secundi, non vero in actione prioris: secundo malum, quod inest in actione secundi eo esse minus, quod in actione primi advenitur. Bonitas ergo in neutrius actione esse potest neque ex parte judicii, neque ex parte conscientiæ, quia eamdem falsitatem habet quoad utrumque, tum conscientia, tum judicium. Superesset ergo ut aliquid bonitatis inesset in actione prioris ex parte erogationis ipsius eleemosynæ; verum neque etiam ex ista parte superest. Nam secundum moralia principia constat erogationem eleemosynæ non esse actionem bonam, sed translationem alicujus solidi ex crumena unius in manum alterius. Unde ad bonitatem erogationis eleemosynæ requiritur, ut secundum rectam conscientiam fiat, ideoque quum conscientiæ rectitudinem non habeat, qui contra conscientiam eleemosynam erogat, nihil boni-

bonitatis in actione ejus inesse consequitur. Hoc vero de altero dici non potest, quia compertum est apud omnes, rectum esse conscientiæ parere. Malum etiam, quod inest in actione prioris est eo deterius, quod continetur in actione secundi, quia malum prioris in eo consistit, quod suæ conscientiæ resistat, alterius vero, quod pauperem cum injuria a se repellat, in quo sane, habita ratione circumstantiarum, quæ positæ sunt, minus peccatum adinvenitur. Quando autem aliquid contra conscientiam fit, id fit, quod Deo displicere cognoscitur, ideoque id consulto eligitur, quod est contra Deum, in quo sane maxima malitia adinvenitur. Ex hisce vero omnibus concludit, erroneam conscientiam conciliare errori easdem prærogativas, ac conscientia recta conciliat veritati: sicuti ergo nobis permittitur, ut faciamus, quod rectæ conscientiæ, ita etiam permissum esse debet, ut agamus, quod erroneæ consentaneum est (a).

Huic Bælii difficultati antequam respondeamus, illud commemorandum esse censemus, quorumdam antiquorum Philosophorum opinionem fuisse non minus sua absurditate, quam diuturnitate temporum omnino obsoletam, uniuscujusque propriam conscientiam Deum esse, cui singuli parere, & obtemperare deberent: „ Alii omnia fortuito fieri asserunt (inquit S. Theophilus ad „ *Autolycum* lib.2. nu.4.), ac mundum ingenitum esse, & æternam naturam: „ ac omnino nullam Dei providentiam dicere ausi sunt; sed Deum tantum- „ modo esse volunt uniuscujusque conscientiam „. Hic vero supremus, independens, atque absolutus conscientiæ principatus ille est, quem Bælius resuscitare voluisse videtur, si ad ea advertatur, quæ conscientiæ tribuit independenter a Divina lege, atque ab ipsa recta ratione.

Singula ergo, quæ ipse proponit, modo expendamus. Omnino ergo falsum esse dicimus, eodem modo, quo secundum rectam, etiam secundum conscientiam erroneam nos agere posse. Ut autem Bælii cavillationes evidentius detegantur, advertendum est, nos semper peccare, quoties contra nostram conscientiam agimus, sive recta, sive erronea ea sit. Nos peccare, si agimus contra conscientiam rectam, per se perspicuum est, & a nemine negari potest. Peccare etiam si agamus contra erroneam non minus perspicuum est. Uti enim tradit S. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 5. „ Quia objectum voluntatis est id, „ quod a ratione proponitur, ut dictum est (a): ex quo aliquid a ratione pro- „ ponitur ut malum, voluntas, dum in illud fertur, accipit rationem mali „. Quare, uti prosequitur idem S. Doctor citato art. ad 1., „ Judicium rationis „ errantis licet non derivetur a Deo; tamen ratio errans proponit judicium „ suum ut verum, & per consequens ut a Deo derivatum, a quo est omnis „ veritas „. Hinc vero est, ut conscientia tum recta, tum erronea coram Deo quidem obligent, sed tamen diversa ratione: nam conscientia recta est conformis Divinæ legi, quæ est lex vera, atque nullo prorsus errori obnoxia: conscientia autem erronea legi Divinæ conformis esse putatur, sed revera non est. Unde illa obligat propter conformitatem, quam cum Divina lege revera habet, ista propter conformitatem apprehensam: illa simpliciter, & absolute, ista ex suppositione hujusmodi apprehensæ conformitatis. Verum enim vero quamvis sit semper peccatum agere contra conscientiam, sive recta, sive erro-

(a) Usque modo Bælius in citato capite, in quo pro suo more rem eamdem versadi sub forma verborum sæpe repetit, nonnullaque alia habet, quæ instituti nostri non est, ut modo refellamus.

(b) Quæst. 8. art. 1.

ronea ea sit; tamen non semper a peccato excusamur, vel recte agimus, si agamus secundum conscientiam. Nam conscientia vincibiliter erronea a peccato non excusat. Ut enim malum, quod ab aliquo committitur, ad culpam ei imputari possit, libere ab eo commissum esse debet. Unde sola ignorantia, quæ causat involuntarium, tollit rationem boni, & mali moralis, non vero illa, quæ non causat involuntarium. Causare autem involuntarium non potest id ignorantiæ genus, quod vel directe quispiam velit, hoc est, in quod fertur ipse actus voluntatis, vel indirecte, hoc est, quod ex negligentia provenit, quatenus quispiam ea scire negligit, quæ posset, atque deberet. „ Si igitur [inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 6.] ratio, vel conscientia erret errore voluntario vel directe, vel propter negligentiam, quia est error circa id, quod quis scire tenetur; tunc talis error rationis, vel conscientiæ non excusat, quin voluntas concordans rationi, vel conscientiæ sic erranti sit mala. Si autem sit error, qui causat involuntarium, proveniens ex ignorantia alicujus circumstantiæ absque omni negligentia; tunc talis error rationis, vel conscientiæ excusat, ut voluntas concordans rationi erranti non sit mala: puta si ratio dicat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala, eo quod error iste proveniat ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur. Si autem ratio erret in hoc, quod credat aliquam mulierem submissam esse suam uxorem, & ea petente debitum, velit eam cognoscere; excusatur voluntas ejus, ut non sit mala, quia error iste ex ignorantia circumstantiæ provenit, quæ excusat, & involuntarium causat „. Erronea ergo conscientia quamvis aliquando a peccato excuset, quod sane tunc contingit, quando causat involuntarium, non tamen semper, uti accidit, quando voluntarii rationem vel nullo modo, vel non omnino tollit. Inde vero est, ut sine evidenti falsitate simpliciter dici nequeat, eadem ratione, qua rectam, etiam conscientiam erroneam nos quoad ea sequi posse, quæ vera esse putamus. Et re quidem vera nemo esset, qui de suo errore excusari non deberet, semel ac statuatur idem esse munus conscientiæ rectæ, & erroneæ quoad ea, quæ vera esse putamus. Sicut enim qui secundum conscientiam rectam agit, bene agit; ita quoque semper bene ageret, qui secundum conscientiam erroneam ageret: qui autem bene agit, & excusatione non eget, & laude, atque honore dignus est. Hinc qui quodvis immane crimen commiserit, si sua conscientia ductus illud se commisisse dicat, non solum absolvendus, sed & præmio quoque donandus erit. Una ergo ratio tum eorum habenda erit, qui bene agunt, tum aliorum, qui male agunt, semel ac se bene agere quacumque ratione putaverint. Quid autem hac re magis absurdum, & communi societati magis noxium fingi potest?

Non est autem, cur Bælius in eo laboret, ut suadeat, contra suam conscientiam quempiam non agere, quin simul contra Deum agat. In hoc enim ei ultro libenterque assentimur, quia, uti modo ex S. Thoma observavimus, „ Judicium rationis errantis licet non derivetur a Deo; tamen ratio errans proponit judicium suum ut verum, & per consequens ut a Deo derivatum, a quo est omnis veritas „. Quod vero Bælius ex hoc infert, scilicet a peccato semper excusari, qui secundum conscientiam erroneam agit, hoc vero est, quod ei dare nullo modo possumus, nec debemus. Quum enim, uti jam explicavimus, quodvis ignorantiæ genus non causet involuntarium, inde quo-

que

que est, ut etiam a peccato non excuset quodvis ignorantiæ genus.

Peccatum vero illud, ceteris paribus, esse gravissimum, quod contra conscientiam committitur, Bælio simpliciter dare non possumus, vel si de ea maxima gravitate loquatur, quæ in aliqua specie peccati continetur. Qua enim de caussa quod fit contra conscientiam malum evadit, licet in se spectatum bonum sit? Profecto nulla alia, nisi quia Divinæ legi adversari existimatur: ergo peccatum minus, vel magis grave erit, quo magis, vel minus Divinæ legi adversari existimatur. Hinc qui id agit, quod in se bonum est, tamen Divinæ legi graviter adversari ipse putat, graviter peccat; e contra autem alter, qui idem agit, leviter peccabit, si Divinæ quoque legi leviter adversari arbitratur.

Quia vero ea etiam de caussa peccatum, ceteris paribus, gravius evadit, quo cum majori cognitione committitur, uti etiam Bælius fatetur; inde magis magisque confirmatur, quod modo dicebamus. Prout enim secundum conscientiam licet erroneam, magis, vel minus clare, atque distincte offensa Dei apprehensa fuerit, peccatum quoque magis, vel minus grave erit. Semper ergo advertendum est ad malitiam, quam secundum dictamen conscientiæ ipsum peccatum habet, ut de gravitate peccati, quatenus contra conscientiam commissum est, rectum judicium ferri possit. Simpliciter ergo affirmari non debet, peccatum, ceteris paribus, intra suam speciem gravissimum esse, quod contra conscientiam committitur, sed antequam constituatur de gravitate, quam habet peccatum, quatenus contra conscientiam commissum est, observari debet, quodnam malitiæ genus in peccato inesse ab eo apprehensum sit, qui contra conscientiam operatus fuit.

Quapropter aliquando gravius peccatum est, agere contra conscientiam, quam agere secundum conscientiam vincibiliter erroneam, aliquando vero contra contigit. Gravius peccatum est agere contra conscientiam erroneam, si peccatum secundum conscientiam erroneam apprehensum majorem gravitatem in se habet illo peccato, quod erroneæ conscientiæ obsequendo committitur: contra vero sese res habet, si peccatum secundum conscientiam erroneam apprehensum minorem gravitatem illo peccato habet, quod obsequendo conscientiæ erroneæ committitur. Ita, ut in allato Bælii exemplo sistamus, & fieri potest, & revera fit, ut ille, qui contra suam conscientiam mendico eleemosynam erogat, gravius altero peccet, qui secundum suam conscientiam erroneam eumdem mendicum injuriis a se repellit; & etiam fieri potest, atque revera fit, ut iste, dum mendicum injuriis a se repellit, præ illo gravius peccet, qui mendico, licet contra suam conscientiam, opem fert. Gravius ergo ille mendico opem ferendo peccabit, si offensa, quam ista actione Deo a se inferri falso putat, major, atque gravior, illius falsæ existimationis habita ratione, ea offensa sit, quam committit alter, qui mendicum injuriis a se repellit, puta quia iste licet id facere revera non deberet, multa tamen occurrunt, ob quæ ejus conscientiæ error valde diminuitur: contra vero iste præ illo gravius peccabit, si omnino crassus, affectatusque etiam sit error conscientiæ ejus, ille vero erogando eleemosynam se parum Deo displicere posse arbitretur. Quare ut rem istam totam paucis conficiamus: ille peccat propter falsam apprehensionem injuriæ, quam a se ipsi Deo inferri putat; iste peccat ob culpabilem ignorantiam, in qua versatur: ergo ut de utriusque peccati majori, vel minori gravitate verum judicium fiat, comparetur oportet injuria illius falso

so apprehensa cum ignorantia illius : si ob injuriam illius falso apprehensam Deus magis offendatur, quam ignorantia illius, peccatum illius peccato illius gravius erit: contra continget, si Deus magis offendatur ignorantia illius, quam illius injuria falso apprehensa.

At Baelii rationes modo expendamus, gravissimas scilicet, ob quas falso ipse putat, eum, qui contra conscientiam eleemosynam erogat, gravius altero peccare, qui secundum conscientiam inopem injuriis a se repellit. Ut autem error illius apertior evadat, repulsionem pauperis factam cum injuriis, atque conviciis, & eleemosynae erogationem inter se comparemus, & quidem secundum se acceptas, nulla habita ratione eorum omnium, quae in hisce actionibus intervenire possunt. Anne Baelius fortasse negaverit, eleemosynae erogationem, quae ad sublevandam alienam miseriam per se tendit, quid in se continere ipsi rationi quam maxime consentaneum, aequitati omnino conveniens, & humanae naturae proprium, atque peculiare; contra vero repulsionem pauperis cum injuriis, & conviciis cum quadam impietate, crudelitate, atque turpitudine esse conjunctam? Profecto omnem judicii rationem oporteret ut amisisset, si hoc non videret. Eleemosynae ergo erogationem quid honestum, repulsionem vero pauperis quid turpe, atque flagitiosum in se esse, a nemine negari potest, semel hac utriusque comparatio instituatur: ergo si hujusmodi comparationis tantummodo ratio habeatur, qui eleemosynam erogat, bene agit, male autem, & cum injuria, qui conviciis pauperem a se repellit: ergo istae duae actiones, hoc est erogatio eleemosynae, & repulsio pauperis cum injuriis, & conviciis, si secundum se spectentur, una earum, hoc est erogatio eleemosynae rectitudinem, & honestatem; altera autem, hoc est repulsio pauperis, turpitudinem, & crudelitatem in se habet, contra ac Baelius falso putat, seque etiam naturalium principiorum oblitum esse demonstrat, dum secundum ea erogationem eleemosynae actionem bonam non esse effutit.

Observandum autem cum S. Thoma 2. 2. quaest. 32. art. 1. „ Quod aliquid „ dicitur esse actus virtutis dupliciter: uno modo materialiter, sicut actus justitiae est facere justa; & talis actusvirtutis potest esse sine virtute. Multi enim „ non habentes habitum justitiae, justa operantur ex naturali ratione, vel ex „ timore, sive ex spe aliquid adipiscendi. Alio modo dicitur esse aliquid actus „ virtutis formaliter, sicut actus justitiae est actio justa eo modo, quo justus „ facit, scilicet prompte, & delectabiliter: & hoc modo actus virtutis non „ est sine virtute. Secundum hoc ergo dare eleemosynas materialiter, potest „ esse sine charitate. Formaliter autem dare eleemosynas, id est propter Deum, „ delectabiliter, & prompte, & omni eo modo, quo debet, non est sine „ charitate „. Hinc vero est, ut licet ille, qui eleemosynam contra conscientiam erogat, non eroget omni eo modo quo debet, ideoque Deo placere non possit, tamen ipsa erogatio eleemosynae in se spectata est actus virtutis, qui sane in eo nullo modo reperitur, qui pauperem cum injuriis, & conviciis a se repellit, etiamsi praescindamus ab errore conscientiae, in quo versatur. Quoad materiale ergo aliquid boni inest in actione erogantis eleemosynam, non vero in actione repellentis a se pauperem: quoad formale vero in neutrius actione inest, sed major, vel minor malitia in actione alterius inesse potest, & revera inest, habita comparatione malitiae contentae tum in actione, quae fit contra conscientiam, tum in actione, quae fit secundum conscientiam vincibiliter erroneam, uti modo dicebamus. So-

Solus autem Bælius cum tanta confidentia simpliciter affirmare potest, convenire apud omnes, rectum esse conscientiæ parere. Nam conscientiæ vincibiliter erroneæ ut pareamus, quis unquam rectum esse dixerit? Verum hac de re supra disseruimus, commemoravimusque etiam mala, quæ in communem societatem inde dimanarent.

Quoniam vero minus peccatum in eo esse qui secundum erroneam conscientiam injuriis, & conviciis pauperem a se repellit, quam in altero, qui contra conscientiam eleemosynam erogat, Bælius quidem dicit, nulla autem ne apparenti quidem ratione ostendit, nosque contra sæpe contingere, supra jam evicimus; non est, cur in eo refellendo operam frustra insumamus. Hæc ergo tantum ex S. Thoma superaddenda esse censemus contra id, quod ultimo loco concludit, hoc est primam nostram obligationem esse, ut nostram conscientiam sequamur. „ Dicendum (inquit S. Doctor 1. 2. quæst. 19. ar. 4.), „ quod in omnibus caussis ordinatis effectus plus dependet a caussa pri- „ ma, quam a caussa secunda, quia caussa secunda non agit nisi in virtute caus- „ sæ primæ. Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua „ ejus bonitas mensuretur; habet ex lege æterna, quæ est ratio Divina: un- „ de in psal. 4. v. 6. dicitur: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Si- „ gnatum est super nos lumen vultus tui, Domine*; quasi diceret: lumen ra- „ tionis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram „ voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est a vultu tuo de- „ rivatum. Unde manifestum est, quod multo magis pendet bonitas volunta- „ tis humanæ a lege æterna, quam a ratione humana: & ubi deficit humana „ ratio, oportet ad legem æternam recurrere „. Quapropter prima nostra obligatio est, ut Dei legi pareamus: lege autem Dei ut pareamus, quando agimus, accomodate ad Dei legem nos agere, persuasi esse debemus: persuasi autem esse non possumus, nos accommodate ad legem Dei agere, si aliquo vincibili errore laboremus, nostraque conscientia vincibiliter erronea sit. Unde sequi quidem debemus conscientiam nostram, & peccatum committimus, si non sequamur, quia est regula proxima actionum nostrarum; attamen peccamus quoque, si, dum conscientiam nostram sequimur, ob nostram culpam Divinæ legi ea conformis non sit.

Dices II. Actio, quæ fit, suadente conscientia erronea, æque bona est, ac ea, quæ fit, suadente conscientia recta: ergo semper verum est, unumquemque in sua Religione, quam sequitur, Deo placere, adeoque felicitatem æternæ vitæ ab eo expectare posse. Hisce exemplis antecedentem propositionem Bælius evincere contendit (a). Fœmina semel ac persuasa sit, quemdam extraneum esse suum verum, ac legittimum virum, suæ obligationi deest, si erga eum se non gerat, ac erga suum legittimum virum se gerere deberet. Filius spurius semel ac persuasus sit virum suæ matris esse suum patrem, ei omnino subjici debet, sicut suo legittimo patri, illius quoque hæreditati æquo jure succedit, falsaque persuasio in eo idem facit, ac vera, & legittima persuasio faceret. Ex his autem infert, actionem, quæ fit ob falsam persuasionem, æque bonam esse ac eam, quæ fit ob persuasionem veram, sicuti etiam actionem oppositam falsæ persuasioni æque malam esse, ac actio-

nem

(a) Oper. tom. 2. *Comment. Philosoph.* par. 2. cap. 9.

nem oppositam veræ persuasioni [a]. Hinc vero est, inquit, ut Judæus, qui Jerosolymitanum templum expilaret, æque peccaret, ac Græcus, qui contra templum Delphicum idem ageret.

Neque est, ait, cur quispiam 1. reponat (b), eamdem rationem habendam non esse ignorantiæ tum facti, ob quam & prædicta mulier erga extraneum eodem modo, ac erga suum legittimum virum, & filius spurius erga eumdem extraneum eadem ratione, ac erga suum legittimum patrem se gerere deberet, tum juris, cujusmodi ea est, qua ignorantur capita Religionis. Quandoquidem tam male agit, qui agit contra conscientiam, quæ facti errore laborat, quam qui agit contra conscientiam, quæ laborat ignorantia juris. Deinde omnia, quæ sunt juris, & ad Religionem spectant, ad hanc facti quæstionem reducuntur; hoc est, num hoc, vel illud revelatum a Deo fuerit. Postremo tum ignorantia facti, tum ignorantia juris involuntaria esse potest; si ergo illa ex eo quod involuntaria sit, a peccato excusat, etiam illa excusare debet. [c].

2. Ab ipsa obligatione, quam per conscientiam erroneam in hominibus induci propugnatur, nemo, inquit, inde consequuturum esse inferat, ut unus contra alterum bellum suscipere debeat, semel ac diversam Religionem profiteatur. Nam 1., ait, sine crimine non fit, quod cum conscientia fit: 2. potest quis suam vocem tollere contra falsa dogmata, atque curare, ut lumen veritatis omnibus affulgeat.

3. Neque etiam sequitur, ut magistratus punire eos non debeant, qui aliena furati fuerint, vitamque alteri eripuerint, eo quod se bene agere putarunt. Nam magistratus ad conservationem societatis advigilare, & punire debent eos, qui ejusdem fundamenta destruunt, uti sunt latrones, & occisores. Quoad hoc, inquit, conscientiam alienam curare non oportet. Non debent autem magistratus solliciti esse quoad ea, quæ publicæ quieti non officiunt, hoc est, quoad illa dogmata, cum quibus æque ac sine illis subsistit publica felicitas.

4. Inferri quoque non debet, futurum esse, Atheis contra Deum, atque Religionem declamare posse. Nam quum magistratus, æterna lege præcipiente, bonum publicum sartum tectum servare debeant, possunt, & debent punire eos, qui legem fundamentalem ipsius societatis evertunt, in quorum numero ii omnes profecto sunt, qui tollunt providentiam, & timorem Divinæ justitiæ. Deinde quum Atheus sua se impellente conscientia, ad aliqua dogmata propugnanda non moveatur, nunquam hanc S. Petri sententiam magistratibus opponere poterit: *Melius est obedire Deo, quam hominibus*; ideoque quum sit Divina protectione destitutus, severitati legum subjectus omnino manet.

5. Non

(a) Hic vero Bælius maxima ambage verborum multa alia tradit, quæ & vera, & falsa esse possunt, prout ignorantiæ vincibilis, aut invincibilis ratio habeatur. Falsa tamen sunt eo sensu, quo ipse ea proponit. Nam coram Deo rectum esse, quod fit secundum erroneam conscientiam simpliciter propugnat, idque sane est, quod etiam exemplis evincere frustra contendit.

(b) Nunc Bælius ea multa absurda repellere conatur, quæ consequutura esse ipse quoque vidit, semel ac qua ratione, & quomodo ipse vellet, ipsius ignorantiæ ratio habeatur.

(c) Modo Bælius ignorantiæ vincibilis, & invincibilis rationem habere incipit, & propter invincibilem ignorantiam prædictam mulierem, atque puerum a peccato excusari affirmat. Recte id quidem affirmat; verum sibi ipsi contradicit tum quia in superioribus, uti jam vidimus, ignorantiam a peccato excusare simpliciter pronunciat, tum quia in subsequentibus, ut videbimus, idem facit.

5. Non recte quoque quispiam inferret, tolerandum eum esse, qui sodomiam, adulterium, homicidium, aliaque similia impiissima facinora inde praedicaret, quia haec omnia mala non esse, sua sibi conscientia suaderet. Hoc enim non est, cur quispiam metuat, ne contingat; & si contingeret, omnes talia perhorrescerent. Si quispiam tamen tam impius adinveniretur, qui talia praedicaret, prius esset de sua impietate monendus, quod si obstinatus in ea persisteret; tunc ei indici deberet, non oportere, ut magistratus conscientiae illius rationem haberent, quia per eam bonum commune destrueretur.

6. Tandem dici non potest, eum, qui, sua sibi conscientia suadente, alterum occidit, se gerere melius, quam si non occideret, atque a judicibus puniri non posse, quia fecit, quod debebat. Primo enim timendum non est, plures, sua sibi conscientia suadente, eo insipientiae deventuros, ut alterum a se occidi posse arbitrentur. Lumen rationis, & Scriptura quoad rem istam tantam evidentiam habent, aliundeque in ipsa re tantum periculi inest, ut valde pauci hanc conscientiam induere possint. Quoad aliquos tantum melancholicos, vel Religionis zelatores ardentiores, quibus suae conscientiae directores suadeant, occidendum esse principem, qui Religioni eorum sese opponat, id timeri potest. Illud quidem malum praecavetur per hoc, quod erroneam conscientiam non obligare dicatur, sicuti faciunt, qui contra nos sentiunt. Verum hujusmodi directores, qui talia crimina inspirant, non falsam, sed rectam esse conscientiam affirmant, ob quam principem occidendum esse constituunt. Tam ergo in nostra, (ita tandem Baelius concludit) quam in contraria hypothesi non evitantur ea incommoda, quae opponuntur. (a)

R. Baelium aeque inepte contendere, tum idem peccatum, ceteris paribus, committi a duobus, quorum unus contra rectam, alter vero contra conscientiam erroneam agit, nulla habita ratione erroris vincibilis, aut invincibilis, tum quod fit suadente erronea conscientia aeque bonum esse, ac quod fit suadente conscientia recta, conscientiae erroneae vincibiliter, aut invincibiliter nulla eodem modo habita ratione. Quod enim fit ex conscientia erronea vincibiliter, tantum abest esse aeque bonum, ac quod ex conscientia recta fit, ut dubitari nullo modo possit esse malum, atque culpae tribuendum. Nam, uti superius dicebamus, ignorantia, quam quispiam, ut Scholastici loquuntur, directe, vel indirecte velit, non excusat a peccato, quod ob eam committitur, quia non facit, ut involuntarium evadat, ex eo quod neque ipsa involuntaria sit. Ut autem aliquis a peccato excusetur, omnino involuntarie eum quoad illud sese habuisse oportet. Hinc ignorantia eorum, quae quispiam scire tenetur, a peccato non excusat, si propter eam fiat, quod peccatum est. Quare si quis eo conscientiae errore laboraret, ut crederet etiam ad alienam mulierem sese accedere posse, si suae ejusmodi conscientiae obsecutus ad alienam accederet, utique peccaret, quia id faceret ob ignorantiam legis, quam scire posset, & deberet; contra vero si omnino inculpabiliter putaret, mulierem, quae secum decumbit, esse suam uxorem, licet revera aliena esset, non peccaret, sed, quod jus est, faceret, si illa uti sua uteretur. Hoc vero est, quod

Tom. IV. Tt ea

(a) Nonnulla quoque alia in hoc capite Baelius tradit in defensionem sui erroris. Quia tamen illuc omnia recidunt, ut erronea conscientia, quaevis tandem ea sit, a peccato excuset; non est, cur ea peculiariter refellamus. Satis enim confutabuntur ex iis, quae propositis difficultatibus jam jam reposituri sumus.

ea quoque exempla suadent, quæ Bælius adducit: nam mulier, cui ob invincibilem errorem persuasum est suum verum & legitimum virum esse eum cum quo concumbit, licet revera talis non sit, nullo modo peccat; idemque dicendum est de subjectione, quam filius ei habere debet, quem ob errorem invincibilem suum patrem esse putat, deque hæreditate hujusmodi hominis, quam ipse suscipit. Ceterum si neque mulieris, neque filii error sit invincibilis, neque mulier a peccato excusatur, neque filius hujusmodi homini subjectus esse debet, nec hæreditatem ejus suscipere potest. „ Ignorantia (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 3.) dicitur causare actum, quem scientia opposita prohibebat: & ita talis actus, si scientia adesset, esset contrarius voluntati, quod importat nomen voluntarii „. Quapropter semel ac ignorantia inde est caussa actus, quia involuntarii rationem causat, in se habet, ut a peccato excuset, quia peccatum, ut tale sit, voluntarium esse debet. Quod autem ignorantia, uti prosequitur S. Doctor, „ non totaliter excuset a peccato, potest contingere ex duobus. Uno modo ex parte ipsius rei ignoratæ: in tantum enim ignorantia excusat a peccato, in quantum ignoratur aliquid esse peccatum. Potest autem contingere, quod aliquis ignoret quidem aliquam circumstantiam peccati, quam si sciret, retraheretur a peccando, sive illa circumstantia faciat ad rationem peccati, sive non, & tamen adhuc remanet in ejus scientia aliquid, per quod cognoscit illud esse actum peccati: puta si aliquis percutiens aliquem, sciat quidem ipsum esse hominem [quod sufficit ad rationem peccati], non tamen scit eum esse patrem, quod est circumstantia constituens novam speciem peccati ... Alio modo potest hoc contingere ex parte ipsius ignorantiæ: quia scilicet ipsa ignorantia est voluntaria, vel directe, sicut quum aliquis studiose vult nescire aliqua, ut liberius peccet; vel indirecte, sicut aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod a peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam esse voluntariam, & peccatum, dummodo sit eorum, quæ quis scire tenetur, & potest, & ideo talis ignorantia non totaliter excusat a peccato. Si vero sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato „.

Quia vero etiam erronea conscientia obligat, ideo tam Ethnicus, quam Judæus æque peccaret, si ille templum Delphicum, iste Jerosolymitanum expilaret. Nam semel ac Ethnicus falso Deo, quem tamen verum esse ipse revera putaret, maximam injuriam inde inferri intelligeret, neque tamen a facinore desisteret, quantum in se est, vero Deo injuriam irrogare constitueret; sicut etiam a Judæo irrogaretur, si templum Jerosolymitanum expilaret.

Ad 1. autem eorum, quæ Bælius in sui defensionem reponit, dicimus, ignorantiæ tum facti, tum juris eamdem rationem haberi debere, si utrumque ignorantiæ genus invincibile sit. At vero eam ignorantiam, ob quam capita ipsa Religionis ignota sint, invincibilem esse posse, hoc vero est, quod contra Bælium negamus, & quidem ipso Bælio consentiente, immo sibi contradicente, negamus. Quandoquidem, ut ipse confitetur (a) „. Nihil facilius est, „ quam ut Deum existere cognoscatur; si tamen nomine Dei primam, & „ uni-

(a) Tom. 3. Oper. par. 1. *Continuat. des Pensées* diver. §. 20.

„ universalem caussam intelligas. Quilibet vel omnino rudis, atque stupiditate „ plenus persuasionem habet, effectum sine caussa esse non posse, effectumque „ præ ceteris præcellentiorem supponere caussam, cujus virtus maxima „ sit. Si per se, vel monentibus aliis ad rem istam nonnihil advertat, de ve„ritate illius persuasus omnino manet. In hoc cuncti consentiunt, & neque „ aliquis populus, neque peculiaris homo adinvenitur, qui unam rerum om„nium caussam non admittat „. Deinde Bælius admittit (a), jus naturale non pendere a decreto Dei, sed in ipsa natura rerum innixum esse, ideoque veritates morales, quæ ex sui natura, & independenter ab omni lege sunt tales, & ab unoquoque cognosci, & iisdem actiones conformari debere. Existentia autem primæ caussæ semel cognita, primisque moralibus principiis semel perspectis, nonne prima, eaque valde plura, atque potissima capita Religionis cognoscuntur, & perspiciuntur? nonne ex iis alia multa ad Religionem pertinentia naturaliter cognosci, & percipi possunt? atqui Bælius consentit, existentiam primæ caussæ, primaque naturalia principia omnibus naturaliter perspecta esse: ergo in illud quoque nobiscum consentire debet, prima capita Religionis a nemine invincibiliter ignorari posse: repugnat enim, ut id invincibiliter ignoretur, quod naturaliter cognosci potest. „ Ignorantia vero (inquit „ S. Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 2.) importat scientiæ privationem, dum sci„licet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire. Horum autem „ quædam aliquis scire tenetur, illa scilicet sine quorum scientia non potest de„bitum actum exercere. Unde omnes tenentur scire communiter ea, quæ „ sunt fidei, & universalia juris præcepta, singuli autem, quæ ad eorum sta„tum, vel officium spectant. Quædam vero sunt, quæ etsi aliquis natus est „ scire, non tamen ea scire tenetur: sicut theoremata geometriæ, & con„tingentia particularia nisi in casu. Manifestum est autem, quod quicumque „ negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat „ peccato omissionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ ali„quis scire tenetur, est peccatum: non autem imputatur homini ad negligen„tiam, si nesciat ea, quæ scire non potest. Unde horum ignorantia invin„cibilis dicitur „.

Falsum est autem, quæ sunt juris, & ad Religionem spectant, ad hanc facti quæstionem omnia reduci, hoc est, num hoc, vel illud a Deo revelatum fuerit: quandoquidem, dante ipso Bælio, uti modo observavimus, multa eorum, quæ ad Religionem spectant, naturaliter comperta fiunt, exque iis facili ratiocinatione alia plura deducuntur, quæ ad ipsam Religionem æque pertinent. Cetera vero, quæ ad salutem æternam consequendam requiruntur, & a Divina Revelatione pendent, ex parte Dei nobis non deerunt, semel ac ea servaverimus, quæ lumine naturali a nobis servanda esse novimus. „ Hoc „ ad Divinam providentiam pertinet [inquit S. Thomas quæst. 14. *de Veritate* „ art. 11.], ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex „ parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter enutritus [hoc est in syl„vis] ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, cer„tissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem reve„laret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem „ ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium *Actorum* 10. „. Hæc

 S. Tho-

(a) Tom. 3. Oper. par. 1. *Continuat. des Pensées* §. 152.

S. Thomas de homine enutrito in *sylvis*: de aliis autem omnibus, qui Divinam Revelationem non acceperunt, hæc alia superaddit: „ Dicendum, *inquit*, „ quod quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea, quæ sunt fidei ex „ nobis ipsis; tamen si nos fecerimus, quod in nobis est, ut scilicet ductum „ naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis est „ necessarium „. In cap. autem 10. epistolæ *ad Romanos* lect. 3. ita quoad rem illam concludit: „ Nunquid ergo illi, ad quos non pervenit [prædicatio Evan- „ gelii] utpote si fuerint nutriti in *sylvis*, excusationem habent de peccato „ infidelitatis? Ad hoc dicendum est, quod secundum sententiam Domini, quæ „ habetur *Joannis* 17., illi, qui loquentem Dominum per se, vel per ejus di- „ scipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis, non „ tamen beneficium Dei consequentur, ut scilicet justificentur ab aliis pecca- „ tis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel male vivendo addiderunt: & pro „ his merito damnantur. Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Do- „ minus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicato- „ rem fidei, sicut Petrum Cornelio, *Actorum* 10., & Paulum Macedonibus, „ ut habetur *Actorum* 16. „.

Ad id autem, quod Bælius ultimo dicit, hoc est ignorantiam tum facti, tum juris invincibilem esse posse, ideoque propter utramque excusari peccatum, nihil contra reponimus: nam & nos quoque fatemur ignorantiam invincibilem, sive juris, sive facti ea tandem sit, a peccato excusare (a).

Ad 2. antequam respondeamus, animadverti prius debet, hunc Bælio scopum propositum esse, idque eum spectare, ut probet, nemini contradicendum, neque bellum inferendum esse caussa religionis. Id ut evincat, præter alia multa absurda atque falsa, quæ in suo *Commentario Philosophico* tradit, erroneæ conscientiæ patrocinium suscipit, indeque infert, unumquemque sequi posse eam Religionem, quæ sibi vera apparet, idque si faciat, tum apud Deum, tum apud homines non esse culpabilem. Si quod tamen ipse vellet, conscientiæ tribuatur, inde futurum esse, ut unus contra alterum caussa Religionis bellum suscipere debeat, Bælius quoque vidit, atque contra se ipsum vidit, quum totus in eo sit, ut suadeat, unum alteri caussa Religionis neque adversari, neque nocere posse. Quam vero id inepte, atque præter omnem rationem tueatur, nunc instituti nostri non est, ut demonstremus. Illud ergo solummodo videamus, quo modo ab ea contradictione sese expediat,

in

(a) Hic illud monendum superest, quod licet in hoc loco Bælius invincibilis ignorantiæ mentionem faciat; tamen dum quod sibi proposuit, argumentando suadere contendit, ejus distinctionis, quæ inter vincibilem, & invincibilem ignorantiam intercedit, nullam rationem habet, & quod invincibili ignorantiæ convenit, invincibili etiam tribuit. Hinc est, ut ab invincibili ignorantia facti, ut constat ex iis exemplis, quæ ipse affert, tum filii spurii, qui hæreditatem ejus suscipere potest, quem revera suum patrem non esse invincibiliter ignorat, tum patris, qui eum hæredem relinquere potest, quem ob errorem invincibilem pro suo vero filio habet, tum uxoris quoad suum virum, tum viri quoad suam uxorem, si illa ob invincibilem ignorantiam facti cum alieno, non autem cum viro suo, iste ob eamdem invincibilem ignorantiam cum aliena, non autem cum uxore sua, rem habeat, ut ab invincibili, inquam, ignorantia facti, contra evidentissimam rationem, contraque omnes Logicæ regulas etiam ignorantiam juris a peccato excusare simpliciter concludat. At enim habita ratione, prout debetur ignorantiæ vincibilis, & invincibilis, argumentationes, quas affert, esse inanes, atque omnino futiles, facile demonstratur, sicuti hucusque vidimus.

in quam se incidisse ipse quoque testatur. 1. Sine crimine, inquit, fit, quod cum conscientia fit: 2. suam vocem quis tollere potest contra falsa dogmata, atque curare, ut affulgeat omnibus lumen veritatis. Belle hæc quidem, recte, atque consentanee ad ipsam veritatem; verum tamen omnino contra rationem, quam ipse Bælius semel instituit, ideoque dum ab una contradictione sese expedire conatur, in alteram æque evidentem incidit. Si enim non fit sine crimine, quod cum conscientia fit; falsum est, quæ fiunt secundum conscientiam erroneam, æque bona esse, ac quæ fiunt secundum conscientiam rectam: neque enim eum ita desipere putandum est, ut affirmare ausit, non esse sine crimine, quod fit cum conscientia recta: ergo, ipso sentiente, peccat, qui secundum conscientiam erroneam agit; sed, uti idem ipse tuetur, quæ fiunt secundum conscientiam erroneam, æque bona sunt, ac quæ fiunt secundum conscientiam rectam: ergo qui secundum conscientiam erroneam agit, bene agit, & male agit: peccat, & non peccat: ergo neque, prout contendit, ab ea contradictione Bælius se expedit, in quam, ipso quoque fatente, incidit, & altera, atque ea quidem evidentiori, implicatur.

Curare autem quispiam potest, immo debet, ut omnibus lumen veritatis affulgeat, atque contra falsa dogmata clamare. Verum hoc dicere nemini minus, quam Bælio convenit. Quid? Nonne Bælius ab unoquoque recte agi statuit, & neque apud homines, neque apud Deum culpabilem eum esse, si suam conscientiam sequatur, quævis tandem ea sit? Quotiescumque quis recte agit, non solum non est, cur quispiam ab instituto proposito eum removere contendat, sed etiam si id tentare audeat, citra culpam non audet. Non solum ergo, Bælii sententia semel posita, non erit cur quispiam curet, ut lumen veritatis affulgeat omnibus, atque contra falsa dogmata clamet, sed si hoc faciat, non sine peccato faciet. Deinde si quod sibi verum apparet, unusquisque sequi potest, qua ratione unus dogmata alterius ut falsa, atque rejicienda damnaverit? Tandem semel ac duobus vera appareant dogmata, quæ sequuntur, quo ore alter dogmata alterius reprobare poterit, si ille quoque inde bene agit, quia eamdem bonitatem habent, tam quæ secundum erroneam, quam quæ secundum conscientiam rectam fiunt. Tantam ergo esse absurditatem eorum principiorum, quæ Bælius ponit, ut per ea manifestationi veritatis omnis aditus præcludatur, nemo non videt.

Ad 3. dicimus, sequi etiam, contra ac Bælius putat, a magistratibus non posse puniri eos, qui deliquerunt, semel ac absolute admittatur, idem esse agere secundum conscientiam erroneam, & secundum rectam. Quandoquidem in magistratibus nullam esse facultatem puniendi eos, qui non deliquerunt, tam manifestum est, quam quod maxime. „ Pœna (inquit S. Thomas „ 2. 2. quæst. 108. art. 4.) non debetur nisi peccato, quia per pœnam repa- „ ratur æqualitas justitiæ, in quantum ille, qui peccando nimis sequutus est „ suam voluntatem, aliquid contra suam voluntatem patitur. Unde quum om- „ ne peccatum sit voluntarium... consequens est, quod nullus punitur hoc „ modo, nisi pro eo, quod voluntarie factum est „. Et in responsione ad 2.„ „ Nunquam, *inquit*, secundum humanum judicium aliquis debet puniri sine cul- „ pa pœna flagelli, ut occidatur, vel mutiletur, vel verberetur „ (a). Et re

(a) In eadem responsione ad 2. duo monet S. Thomas, quæ observari debent: 1. quod secundum S. Augustinum in lib. *Quæstio. Super Josue quæst.* 8. „ Judicium humanum de- „ bet

re quidem vera quid ipsi lumini rationis magis contrarium esse potest, quam ut magistratus, illata pœna, eos corripiat, qui nihil commiserunt, propter quod corripi debeant; vel ad exemplum aliorum, hoc est, ut ceteri a male agendo deterreantur, puniat illos, qui se recte gesserunt, quorumque agendi rationem si omnes alii sequantur, status civitatis felix, atque fortunatus erit? Atqui, uti Bælius tradit, nulla habita ratione erroris, cujusnam tandem speciei ille sit, actio, quæ, erronea suadente conscientia, fit, æque bona est, ac quæ fit secundum conscientiam rectam: ergo si nulla facultas est in magistratibus puniendi eos, qui secundum conscientiam rectam operati sunt, neque etiam esse potest puniendi alios, qui secundum conscientiam erroneam egerunt: ergo quum sæpissime homines secundum conscientiam erroneam male agant, sæpissime quoque judices ab iis puniendis, qui gravissime peccarunt, abstinere debebunt. Immo quum qui peccavit, licet ob conscientiam erroneam non peccaverit, ob eam tamen se peccasse, semper clamare possit; semel ac erronea conscientia se fecisse dixerit, nullam amplius facultatem eum puniendi judices habebunt.

Magistratus autem solliciti esse utique debent ea crimina punire, per quæ tollitur utilitas boni communis; verum præ bene ordinata, atque instituta Religione, in qua homines nihil Divina majestate indignum sentiant, aut operentur, quid magis ad communem utilitatem conferre possit, sane non video. „ Quandoquidem (uti inquit S. Thomas 2. 2. qu. 81. art. 6. „) ea, quæ sunt „ ad finem, sortiuntur bonitatem ex ordine ad finem; & ideo quanto sunt fini „ propinquiora, tanto sunt meliora. Virtutes autem morales, ut supra habitum (a), „ sunt circa ea, quæ ordinatur in Deum, sicut in finem. Religio autem magis de „ propinquo accedit ad Deum, quam aliæ virtutes morales, in quantum operatur „ ea, quæ directe, & immediate ordinantur in honorem Divinum. Et ideo Reli„ gio præeminet inter alias virtutes morales „. Si ergo virtus, quæ inter ceteras morales virtutes præeminet, ad commune quoque bonum magis conducit, nihil communi bono præ ipsa Religione utilius esse potest. „ Deo autem (uti „ recte habet idem S. Doctor in citato art. in resp. ad 2.) non exhibetur „ aliquid propter ejus utilitatem, sed propter ejus gloriam, nostram autem „ utilitatem „. Unde ex hoc quoque capite constat de maxima utilitate ipsius Religionis (b). Quapropter etiam magistratus ob curam boni communis, quam

„ bet imitari Divinum judicium in manife„ stis Dei judiciis, quibus homines spiritua„ liter damnat pro proprio peccato. Occul„ ta vero judicia, quibus temporaliter ali„ quos punit absque culpa, non potest hu„ manum judicium imitari, quia homo non „ potest comprehendere horum judiciorum „ rationes, ut sciat, quid expediat unicuique „. Postquam vero inde conclusit pœna flagelli, ut occidatur, vel mutiletur, vel verberetur, per humanum judicium puniri eum non posse, qui culpam non admisit; recte monet pœna damni etiam secundum humanum judicium aliquem puniri posse, licet nullam culpam admiserit. Quod sane tripliciter contigit: uno modo quando aliquis sine sua culpa ineptus redditur ad aliquod bonum habendum, vel consequendum: 2. quando bonum, in quo damnificatur, non est proprium ejus, sed commune: 3. quando bonum unius pendet ex bono alterius, sicuti in crimine læsæ majestatis filius amittit hæreditatem ob peccatum patris. Quatenus autem quispiam recte operatus fuerit, nunquam ab humanis magistratibus puniri potest.

(a) Art. præcedenti, & quæst. 4. ar. 7.

(b) Vide quæ de utilitate Religionis tam si consideretur homo in privata conditione a communitate hominum divisus, quam si spectetur in societate naturali per eamdem naturam cum ceteris coniunctus, aut in civili confœderatione cum multis unitus, fuse

quam in se suscepere, ea ratione, qua eis convenit, de Religione potissimum solliciti esse debent. Dogmata autem quum veræ Religioni aut contraria, aut consentanea sint, consequens inde est, ut magistratus sicut propter commune bonum falsam Religionem, ita etiam dogmata, quæ veræ Religioni adversantur, tolerare non debeant. Repugnat ergo, ut cum falsitate, sive Religionis, sive dogmatum ea sit, commune bonum simul consistat.

Verum hac quoque in re Bælius sibi contradicit. Nam, ipso sentiente, quæ secundum conscientiam erroneam fiunt, æque bona sunt, ac quæ fiunt secundum rectam: ergo furta & homicidia facta secundum conscientiam erroneam sunt quid rectum: ergo quum, uti modo dicebamus, magistratus non habeant facultatem puniendi eos, qui se recte gesserunt, furta, & homicidia juxta Bælium punire non poterunt. Rursus juxta Bælium furta, & latrocinia punire possunt, nulla habita ratione, qua conscientia commissa ea fuerint: ergo juxta Bælium furta, & latrocinia magistratus punire possunt, & non possunt. Furta quoque & latrocinia non erunt peccata, quia puniri possunt; & erunt peccata, quia puniri possunt. Evidentiori ne contradictione Belius sese implicare poterat?

Deinde erronea conscientia aut excusat a peccato, aut non excusat: quæcumque erronea conscientia, Bælio sentiente, simpliciter a peccato excusat: ergo si a peccato excusat, quotiescumque propter conscientiam erroneam aliquod crimen admittatur, illud peccato imputandum non erit: ergo quodvis tandem crimen ob conscientiam erroneam commissum fuerit, peccatum non erit: ergo tam furta, & homicidia, quam alia quævis crimina peccata non erunt: una ergo eademque ratio omnium a magistratibus habeatur oportet, contra ac Bælius, sibi ipsi contrarius arbitratur.

Ad 4. respondemus Bælium nullum sibi contradicendi finem facere, sed ab una in alteram contradictionem prolabi: quod sane iis semper usuvenisse novimus, qui, sicut Bælius facit, quæ absurdissima sunt, propugnare constituerunt: Magistratus ergo in Atheos animadvertere debent, inquit Bælius, si contra Deum, atque Religionem declamaverint, quia ab Atheis destruuntur fundamenta humanæ societatis, ex eo quod de medio tollant providentiam, atque timorem justitiæ Divinæ. Illud hic iterum non urgemus, Bælium sibi contradicere, dum statuit in Atheos a magistratibus animadverti debere: nam secundum principia ejus Atheos quoque ab omni crimine absolvi oportet. At sine evidenti contradictione a Bælio non affirmari, Atheos a magistratibus esse puniendos, quia destruunt fundamenta humanæ societatis, hoc vero est, quod modo contendo. Quid? Nonne idem ipse Bælius, qui affirmat, Atheos evertere fundamenta humanæ societatis, quia providentiam, & timorem Divinæ justitiæ e medio tollunt, per Atheismum tum societati naturali, tum statui civili nullum præjudicium afferri, omni ope contendit? Athei profecto sunt, si ipse audiatur, qui ob gloriam assequendam ab omni malefacto abstinent, Athei, qui recte honesteque vixerunt, Athei, qui pro hominibus voluptuosis, & in-

festis

se disputavimus *Theologiæ Naturalis* quæst. 2. art. 1. § 1. 2. & 3. Vera autem Religio est, quæ tantam illam in se utilitatem continet quoad homines, non autem erronea, atque falsa; cujus tamen falsæ religionis eatenus utilitas aliqua ad bonum commune existit, quatenus religionem veram aliquo modo imitatur; sed quia a vera religione differt, idcirco deficit etiam a perfecta boni communis ratione.

festis humanæ societati immerito traducuntur (a) : ergo juxta Bælium Athei & destruunt fundamenta humanæ societatis, & societati naturali, atque civili nullum præjudicium afferunt; esse non potest, quin humanam societatem evertant, ex eo quod providentiam, & timorem Divinæ justitiæ e medio tollant; & tamen esse potest, atque revera fit, ut honeste recteque vivant, & pro hominibus voluptuosis, ac humanæ societati infestis immerito traducantur. De manifesta ergo Bælii contradictione, uti in aliis sæpe multis, ita hac quoque in re dubitari non potest.

Secum etiam pugnat ipse Bælius, dum affirmat, Atheos non moveri conscientiæ impulsu ad aliqua dogmata propugnanda. Nam Athei *Systematici*, uti ipse tradit (b), in abyssum impietatis irruerunt propter longam seriem meditationum, quæ male ordinatæ fuerint: unde neque a voluptatibus, neque a superbia corrupti, sed vi alicujus principii infeliciter illecti, eique nimia serie consequutionum adhærentes, tandem propter illud quamdam persuasionem sibi induerunt. Ipso ergo sentiente, Athei conscientiæ impulsu non solum ad aliqua dogmata propugnanda, sed etiam ad ipsius Dei existentiam evertendam moventur: ergo licet reponere non possint, melius esse obedire Deo, quam hominibus; tamen in sui patrocinium ad conscientiam erroneam contra vim, atque potentiam magistratuum semper recurrere poterunt. Semper itaque Bælius contradictionem contradictione cumulat, dum id absurdi, quod ex sua opinione consequi ipse quoque vidit, a se amovere conatur.

Ad 5. dicimus sane non esse metuendum, ut eo usque insaniæ quispiam perveniat ut sodomiam, adulterium, homicidium aliaque similia impiissima facinora prædicet, quoad usque usus ei sanæ rationis constet: ceterum si in ipso judicio suæ rationis ita depravatus evaserit, ut simul cum impiis nostri temporis nihil sui natura turpe, aut honestum esse contenderit; tunc sane nihil est quoque facilius, quam ut prædicta impiissima facinora aliquando prædicet. Nam hæc facinora, aliaque omnia hisce similia, hac semel posita absurditate opinionis, ideo mala evadunt, atque pœnam merentur, quia lege civili prohibentur: quoties ergo civiles leges non metuantur, pœnaque, quæ per eas constituitur, evadi facile possit, quisnam quempiam retinebit, ne eo quoque insaniæ procedat, ut etiam hujusmodi turpissimarum actionum prædicator existat? Verum enim vero utinam huc usque insaniæ multi impiorum nostri temporis jam non devenissent. Quid? Anne fortasse defuerunt, qui & in vitiis plurimum utilitatis inesse, & in eo, quod sensus dulciter afficit, felicitatem reponendam, & inordinatis passionibus obtemperandum esse defenderint: [c]? Futurum ergo neminem, ut sodomiam, adulterium, homicidium, aliaque similia impiissima facinora prædicet, frustra Bælius sibi blanditur, atque contra ea quidem principia sibi blanditur, quæ ipse ut innoxia, atque humanæ societati nullo modo adversantia tuetur. Nam ex Atheismo profecto profluxit, ut hominum impietas huc usque pertingeret: ipse vero Atheismum uti rem natura-

(a) Hæc omnia, aliaque nonnulla, quæ habet Bælius Tom. 3. Oper. *Pensées Diverses sur la Comete* §. 172. & seq., retulimus, atque confutavimus *Theologiæ Naturalis* lib. 1. quæst. 2. art. 1. §. 1.

(b) Vide quæ hac de re ex ipso Bælio retulimus *Theologiæ Naturalis* lib. 1. quæst. 2. art. 1. §. pag. 24. Adnotat. A.

(c) De hujusce furfuris hominibus mentionem fecimus, eosque simul refutavimus *Theologiæ Naturalis* lib. III. quæst 7. art. 1. & *Theologiæ Revelatæ* lib. III. quæst. 1. art 1. §. 1. prop. 3., & §. 2.

turali, & civili societati nullo modo adversam tuetur (a).

Sicuti vero qui omni Religioni renunciarunt, tantorum flagitiorum prædicatores extiterunt; ita etiam ut eosdem ii audiant, qui simili ratione Religioni renunciant, facile contingere potest, quamvis nihil magis ipsi rationi contrarium sit. Nam semel ac ratio in iis, quæ prima sunt, & ex quibus cetera omnia profluunt, obcœcata fuerit, in aliis quoque eam cœcutire oportet.

Si qui ergo tam impii homines existerent, inquit Bælius, qui sodomiam, adulterium, homicidium, aliaque impiissima facinora prædicarent, prius de sua impietate monendi essent; quod si in ea obstinate persisterent, eis indicendum esset, tunc non oportere, ut magistratus eorum conscientiæ rationem habeant. Verum quod supra urgebamus, semper contra Bælium æque urgere possumus; hoc est non esse in magistratibus puniendi potestatem, nisi in reo culpa præsupponatur; sed quæ secundum conscientiam erroneam fiunt, æque bona sunt, uti vult ipse Bælius, ac quæ fiunt secundum rectam: ergo magistratus animadvertere non possunt in eos, qui ex conscientia erronea hujusmodi turpissima facinora prædicaverint, aut saltem ob conscientiam erroneam, ea se prædicare, & revera prædicanda esse affirmaverint.

Ad ultimum dicimus, in eo item Bælium pro suo more contradictione implicari. Nonne enim pro aris focisque simpliciter tuetur, longe majus peccatum committi, si duarum actionum, quarum unam rectam dicimus, pravam alteram, quæ recta est, fiat contra conscientiam, quam si, quæ prava, secundum conscientiam fiat? Nonne, nullius circumstantiæ habita ratione, absolute pronunciat gravius peccatum illud esse, quam istud (b)? ergo concedere cogitur, eum, qui, sua sibi conscientia suadente, alterum occidit, se gerere melius, quam si contra suam conscientiam non occideret: ergo hac quoque in re sibi contradicit.

Futurum autem non esse, ut plures eo insipientiæ deveniant, ut secundum suæ conscientiæ rationem alterum a se occidi posse arbitrentur, Bælio quidem dare possumus, si tamen neque Hobbesii, neque Spinosæ principia sequantur (c). Verum illud quoque advertatur oportet, multos vel ob fervescentem iram, vel ob nimiam acceptæ injuriæ repræsentationem, quæ in eorum mente fiat, vel ob malum, quod sibi imminere putant, a sua erronea conscientia ad occidendum alterum sæpe incitari. Quapropter hi sane omnes ab omni pœna absolvendi erunt, semel ac erronea conscientia a peccato excuset: immo quum nemo sit, qui sine aliqua falsa, & apparenti ratione, ad alterum occidendum inducatur, quumque suam conscientiam in tam impio facinore perpetrando, semper unusquisque prætendere falso possit; consequens inde est, ut nullus ob alterius a se peractam occisionem puniri debeat. Semper ergo verum est, gravissimum damnum in humanam societatem esse consequuturum, semel ac admittatur, a peccato eum excusari, qui ob quamcumque erroneam conscientiam deliquerit.

Qua vero ratione Bælius affirmare possit, solummodo timendum esse, ne ali-

(a) Id palam fecimus *Theologiæ Naturalis* lib. I. quæst. 2. art. 1. §. 1., ubi etiam eum contra evidentem rationem insanire demonstravimus.

(b) Ex tota ejus superiori argumentatione id certissime constat.

(c) *Theologiæ Naturalis* lib. I. quæst. 2. art. 1. §. 1. pag. 24. commemoravimus, quænam principia sint istorum impiissimorum hominum, ex quibus naturaliter consequitur, ut quis vitam alteri sese eripere posse arbitretur.

aliqui melancholici tendant in necem alterius, ſane non video. Nam æſtu furoris, qui citius exardeſcit in iis, in quorum venis ſanguis vividior decurrit, plerumque incitati homines hujuſmodi crimina patrare conſueverunt, longeque plures occiſiones in ipſo calore contentionis, quam, eo jam intermiſſo, factas fuiſſe legimus. Nihil tamen ad rem noſtram hoc intereſt, ſed illud ſolummodo ſatis eſt nobis, eos, qui alterum occiderint, ſive ſint melancholici, ſive ſanguinis fervidioris, puniri non poſſe, ſemel ac quævis erronea conſcientia a culpa excuſet.

Dum vero Bælius affirmat, facile ſane eſſe, ut zelo Religionis aliqui ad alium occidendum inducantur, impulſi conſilio eorum, qui ipſorum conſcientiam regunt, idque uno, & altero exemplo confirmat, (a) pro ſuo more nugatur. Nam quavis tandem de cauſa [hac enim de re cum Bælio modo diſputare nolumus], quavis, inquam, de cauſſa contigerit, ut nonnulli per ſummum facinus impias manus in ſuos quoque Reges intulerint; anne numerus hujuſmodi hominum cum iis comparari poteſt, qui ob avaritiam, iram, furorem, acceptumque detrimentum, aut injuriam, alios occiderunt? Verum enimvero nonne, ſi Bælius audiatur, unuſquiſque ſuam erroneam conſcientiam ſequi debet, & peccat, ſi eam non ſequatur? ergo ſemel ac quiſpiam putet, quamvis contra omnem rationem ita putet, ſuum Regem a ſe occidendum eſſe, æquo jure occidere poterit, meliuſque faciet, ſi occidat, quam ſi non occidat. Huic ergo etiam impiiſſimo facinori, Bælii abſurditatibus ſemel poſitis, via latiſſima aperitur.

Poſtremo quando Bælius dicit, quoad rem iſtam idem incommodi etiam in oppoſita ſententia ſequi, fucum imperitis facere contendit. Nam ſi ponatur non quamvis conſcientiam erroneam, ſed invincibilem tantum, a peccato excuſare; quum quis ad ſuum Regem occidendum, nonniſi impie, ac contra omnem evidentem rationem, proindeque ſuadente conſcientia prorſus erronea vincibiliter, induci poſſit, ſemper puniendus erit, quamvis veris certiſque rationibus ad patrandum tantum facinus inductum ſe eſſe dicat.

Dices III. Deum contentum eſſe, ut eam veritatem ſequamur, quæ talis nobis apparet, quæque *putativa* dici poteſt, æqua ratio ſuadet: ergo ſemel ac quiſpiam eam Religionem teneat, quæ vera ſibi videtur, a Deo damnari non debet (b). Quod priori loco ponitur, pluribus Bælius ſuadere contendit, quæ hujuſmodi ſunt.

1. Se-

(a) Henrici III., & Henrici IV. occiſionem Bælius commemorat.

(b) Hic illud monendum eſſe cenſemus, eadem ſemper æquivocatione curare Bælium, ut alios in errorem inducat. Nam *Comment. Philoſoph.* cap. 10., in quo hæc omnia habet, quæ in hac tertia objectione prolaturi ſumus, illud num. primo ſtatuit, eamdem tum veritatis, tum erroris rationem habendam eſſe, quando quod falſum eſt, omnino verum nobis apparet, poſtquam eam diligentiam adhibuimus, quæ neceſſaria erat, ut ab errore nobis caveremus. In hoc quidem ei aſſentimur, ideoque non erat, cur illud pluribus exemplis confirmare contenderet. Quoties enim præſtiterimus, quod poteramus, atque debebamus, ſi nihilominus decipiamur, nullo modo peccamus, atque id agere debemus, quod, licet revera in ſe ſpectatum agendum non ſit, ob erroneam conſcientiam invincibilem agendum eſſe putamus. Id tamen Bælius argumentando ſe velle demonſtrat, ut nos veritatem *putativam* ſequi debeamus vel ob invincibilem, vel ob vincibilem errorem talis ea ſit; hoc vero eſt, quod nullo modo ei damus. Contra evidentiores ergo Logicæ regulas atque ipſa principia argumentationis callidus homo peccat, dum quod putativæ conſcientiæ convenit, quæ in ſe talis eſt ob errorem invincibilem tribuit etiam conſcientiæ putativæ, quæ eſt talis ob errorem vincibilem. Quæ autem initio capitis exempla affert, ut ſuadeat,

1. Semel ac Deus non sit contentus, ut veritatem *putativam* sequamur, multa impune contemnere poterimus, quæ vera nobis apparent; aut semper in ancipiti dubitatione versabimur, num absoluta veritas nobis perspecta sit.

2. Homo sollicitus esse debet, ut veritatem assequatur, semel autem ac invenerit, eam sequi debet, alioquin inquisitio ejus esset inanis. Intentio ergo legislatoris in constituenda auctoritate veritatis, & impunitate ejus, qui veritatem sequitur, talis esse debet, ut veritatem in generali sequendam proposuerit; hoc est habita ratione personarum, quibus quidpiam verum apparet; contra vero nulla habita ratione caussæ, propter quam uni, vel alteri verum apparet, quod falsum est (a).

3. Deum contentum esse debere, ut unusquisque sequatur, quod sibi verum apparet, seu veritatem putativam, constat, inquit, ex ipsa conditione hominis. Homines enim animam corpori unitam habent, & quodam spatio temporis ipsa ratione nullo modo uti possunt, neque verum a falso discernere, aut suspicari in errorem se induci ab iis, quibus instituuntur, indeque est, ut quoad usque in hac ætate sunt, id omne amplectantur, quod eis proponitur. Nonnulli quoque sunt, quorum animæ capacitas semper distracta manet ob confusas sensationes, multiplicesque hujus vitæ curas, quibus incumbere debent. Passiones, infantiæ consuetudines, præjudicia educationis præsto nobis sunt, antequam res serio expendere possimus. Hæc vero omnia efficiunt, ut non sine gravi labore, & difficultate veritatem assequi possimus. Si ergo Deus est auctor unionis animæ cum corpore, atque, ut servetur humana societas, unumquemque suo muneri vacare vult, inde sequitur nobiscum ita cum agere debere, ut simul rationem habeat eorum impedimentorum, quibus ab assequenda veritate retardamur. Hisce omnibus si adjiciatur, quæ a Deo revelata sunt, non habere evidentiam metaphysicam, aut geometricam, ideoque in anima nostra non posse producere majorem persuasionem, quam falsitas ipsa producat; abunde compertum erit, homines non obligari a Deo, ut absolutam veritatem sequantur, sed satis esse, si putativam tantum teneant (b).

4. Constat conscientiam esse lapidem lydium ipsius veritatis, quem nos sequi, & amare debemus. Si quis aliquid ultra petat, id petit, quod impossibile est, sicuti demonstrari facile potest. In ea namque conditione, qua sumus, fieri non potest, ut compertum habeamus non esse putativam, sed absolutam veritatem ejus Religionis, quam sequimur, nosque non errare, bene vero errare eos, qui contra nos sentiunt. Nam argumenta veritatis, quæ

 nos

deat, eodem modo fidem præstandam esse tum veritati reali, tum apparenti, illud tantum evincunt, veritatem apparentem tunc tantum sequendam esse, quando talem esse ob invincibilem errorem ignoramus.

(a) Citati capitis numero 2. ea habet: ejusdem autem capitis num. 3. tradit, Deum contentum esse debere, ut sequamur eam veritatem, quæ post omnem diligentiam, quæ per nos adhiberi poterat, talis nobis apparet. Putativam ergo conscientiam invincibiliter erroneam, quam sequi debemus, quoad usque invincibilis esse perseverat, confundit cum conscientia putativa erronea vincibiliter, quæ nos a peccato non excusat. Iterum autem in sequentibus numeris putativæ conscientiæ vincibiliter erroneæ tribuit, quod conscientiæ putativæ invincibiliter erroneæ convenit.

(b) Quoad originale peccatum nonnulla deinde in hoc numero habet, quæ instituti nostri non est, ut refellamus. Cetera vero omnia, quæ concludit, semper eo tendunt, ut a Deo cujusvisvis putativæ erroneæ conscientiæ rationem habendam esse, suadere videantur. Quapropter ista quoque ex iis confutata remanebunt, quæ propositis difficultatibus, levibus quidem, atque futilibus, responsuri sumus.

nos habemus, sunt æquivoca, & æque apud nos, ac apud ipsos paganos, & hæreticos nequiores reperiuntur. Quandoquidem nostræ Religionis evidentiam non habemus, quia fatentur omnes supra rationem esse, quæ revelata sunt. Incomprehensibilitas nobis non suffragatur: nam quid æque falsum, & incomprehensibile simul, ac circulus quadratus, primum principium essentialiter malum (a), Deus pater ob humanam generationem, sicut Jupiter Paganorum? Conscientiæ quoque quies ad id non juvat: nam eadem, inquit, conscientiæ quiete Papista, Hæreticus, Judæus, atque Turca in sua Religione æque perfruuntur. Zelus demum, qui pro concepta opinione habeatur, ad idem non conducit, quia etiam falsæ Religiones habent suos martyres, suas incredibiles austeritates, suas curas pro initiandis proselytis, servandisque superstitiosis cæremoniis. Id ergo tantum homini præcipi debuit, ut sequeretur, quod sibi verum videretur, sive in se tale esset, sive apparenter. [b]

5. Ex hoc autem, ait, non consequitur, ut non referatur acceptum Divinæ gratiæ, quod ipsi debetur. Nam Divina quidem gratia facit, ut hunc, vel illum Sacræ Scripturæ sensum verum esse videamus, firmiterque credamus, non tamen efficit, ut ejus, quod tenemus, probationes omni exceptione majores esse, nobis perspectum sit. Ultima ergo analysis nostræ fidei, quæcumque tandem ea sit, consistit in sensu interiori, seu in convictione conscientiæ nostræ, ideoque in eo, ut sentiamus hoc, vel illud nobis apparere verum. Quum itaque Deus neque ab orthodoxo, neque ab heterodoxo exigat, ut certitudinem suæ fidei per examen scientificamque discussionem acquirat, satis erit, ut uterque sequatur, quod sibi verum apparet.

6. Si quis autem (pergit) ex hoc consequuturum illud esse dixerit, ut omnes salvi fiant; contra primo ei reponi potest, grave non esse, viam cœlorum aperire omnibus, & tollere scandalum Ethnicis, quod inde accipiunt, quia pauci salvari dicuntur, & propter hoc Deum non habent uti benefactorem. Deinde quum multi contra id faciant, quod faciendum esse viderint, etiam posito, quod bene agamus, si sequamur, quod verum esse nobis videtur, plures in æternum perituros, nemo non videt.

7. Conditio hominis hujusmodi est, ut nonnulla corpora a se removere, aliis

(a) Evidenter constare de falsitate primi principii essentialiter mali Bælius nunc concedit: alibi vero pro adstruenda existentia hujus principii nullum lapidem non movet. Vide quæ contra ipsum quoad rem istam disseruimus lib. 2. quæst. 4. art. 2. *Theol. Nat.*

(b) Hic autem illud quoque Bælius commemorat, Catholicos recte semper exprobrasse Protestantibus, nullam habere eos suæ fidei certitudinem, quia, Ecclesiæ auctoritate contempta, unumquemque Sacrarum Scripturarum interpretem esse constituunt. Huic vero difficultati tunc tantum satisfieri posse tradit, si dicatur, Deum contentum esse veritate putativa; hoc est, nos ei placere posse, si sequamur, quod verum esse nobis visum fuerit. In hoc sane quatenus Protestantes urget, ei non repugnamus: nam semel ac unumquemque Sacræ Scripturæ interpretem esse constituatur, eam unusquisque explicare poterit, prout visum sibi fuerit: erunt ergo eadem de re diversæ explicationes juxta diversitatem ingeniorum: ergo nisi ponatur veritate putativa Deum esse contentum, nullam suæ fidei certitudinem Protestantes habere poterunt. Verum contra istud principium Protestantium pluribus, & data opera, agemus art. 3. hujus quæstionis.

Contra vero nihil Bælius concludit, quando Deum contentum esse, ut veritatem putativam sequamur, inde evincere contendit, quia Ecclesiæ infallibilitas nobis comperta esse non potest. Nimis enim evidentia sunt argumenta hujusmodi infallibilitatis, de quibus nunc non est disserendi locus: de iis vero satis jam disseruimus, prout nostri instituti ratio postulabat lib. 3. quæst. 3 art. 3. in responsione ad 4. objectionem.

aliis vero uti debeat. Quia vero incapax est discernendi maturo tempore quænam corpora a se removere, quibusnam uti debeat, sæpiusque aliquid mali pateretur, antequam ipsa meditatione utrumque assequi posset; Deus huic incommodo providit sensationibus voluptatis, atque doloris, quas relate ad diversa objecta indidit hominibus: per eas enim quamvis non cognoscant homines naturam corporum, vident tamen quod ad sui conservationem necessarium est. Homini autem magis providisse Deum quoad corpus, quam quoad animam, nemini unquam verisimile apparebit. Dicendum ergo est, concludit Bælius, conscientiam, & sensum interiorem, quem de veritate habemus, unicuique esse regulam normamque eorum, quæ credere, & facere debet. Nam si hoc non ponatur, nullus erit, inquit, qui agat prudenter, atque rationabiliter, dum credit id se amplecti debere, quod sibi verum apparet. Ex quibus illud consequitur, ut nos sine crimine erroneam conscientiam sequi possimus.

Addit porro, futurum esse, ut in turpissimum pyrrhonismum incidamus, semel ac id non admittatur. Pyrrhonistæ enim quamvis abstinendum esse dixerint ab affirmatione, & negatione relate ad absolutas qualitates objectorum, non tamen relate ad actiones morales, ita ut abstinendum voluerint ab actionibus civilibus, quas faciendas esse cognoscimus. Ab hisce autem actionibus, inquit, abstinendum quoque erit, semel ac quod volumus, conscientiæ non tribuatur. Nam certitudo, quam habemus, aliquas actiones esse honestas, Deo placere, atque a nobis elici debere, posita est in interiori conscientiæ sensu, quo hæc omnia videmus; sed hæc certitudo secundum adversarios meos, ait Bælius, non est argumentum certum hujusmodi actiones esse eliciendas, & si eliciantur, æternam damnationem non esse subeundam: sicuti ergo nullus homo prudens aliquid facit cum periculo æternæ damnationis; debebit, ait, quisque, ut sese prudenter gerat, veluti quiddam inanime se habere, nihilque agere. Huic autem incommodo consuli statuit, si dicatur, Deum, qui animam corpori univit, unde variis sensationibus, passionibus, & præjudiciis obnoxia est ob multiplicia objecta, quæ in eam agunt, ipsi animæ dedisse regulam, seu lydium lapidem, hoc est conscientiam, per cujus interiorem sensum, atque convictionem cognosceret, quomodo sese gerere semper deberet. Non refert autem, ait, quod alicui verum, alteri autem falsum idem objectum per conscientiam exhibeatur? Sicuti enim licet uni idem cibus sit dulcis, alteri autem amarus, uterque tamen suum nutrimentum ex eo accipit; ita quoque conscientia nostrarum actionum certa regula semper erit, sive falsum, sive verum id sit, quod ipsa proponit. Hoc principio semel constituto, difficultates insuperabiles e medio tolluntur, illudque simul constat, Deum nihil aliud petere a nobis, nisi ut sincere, & diligenter veritatem quæramus, deque ea per internum conscientiæ sensum nobis conscii simus. Si autem occurrentes aliquæ circumstantiæ impediant, ut veritatem absolutam assequamur, & per conscientiæ sensum nobis verum appareat, quod falsum est; hæc putativa veritas, seu respectiva, veritatis realis, seu absolutæ locum tenet.

8. Si ponatur, Deum velle, ut quoad Religionem, quod est absolute verum, homo eligat, & si falsum elegerit, in æternum puniatur; fieri nunquam poterit, ut Ethnicus Christianam Religionem prudenter amplectatur. Nam sunt multæ in Christianismo divisiones. Si ergo non sufficit, ut amplectatur, quod

quod in Christianismo verum sibi videtur, oportebit, ut in omnes sectas inquirat, earumque principia, atque dogmata expendat. Hoc autem peracto, semper incertus remanebit, quia licet post longum examen convictus interius maneat in hac, vel illa communione Religionis esse veritatem, tamen quum citra periculum æternæ damnationis suam conscientiam semper sequi non possit, incertus dubiusque quoad rem illam perpetuo remanebit. Quemadmodum ergo mulier, & filius spurius a culpa excusantur, si illa propter errorem cum alieno viro congrediatur, ille suscipiat hæreditatem ejus, quem suum patrem esse putat; ita etiam hæreticus, & infidelis bonæ fidei excusari debet.

Licet autem Deo satis sit, ut quis sequatur, quod sibi verum apparet, inde superfluum fuisse non consequitur, ut Deus nobis aliqua revelaret. Nam Sacra Scriptura quoad res claras, atque manifestas pro certa regula habetur ab omnibus, quoad obscuras autem eam cuncti reverentur. Usquemodo Bælius, ad tenebras imperitis, ac debilibus offundendas nimium etiam acute, & callides; ad rei autem veritatem, atque ad soliditatem ratiocinii, crasse & cavillose, ut circulator nimirum, non ut philosophus.

R. Itaque ad 1., veritatem putativam sequi nos aliquando posse, aliquando autem non posse. Si putativa veritas hujusmodi sit, ut veritati absolutæ, hoc est rei, prout est in se, conformetur, nullum dubium est, nos sequi posse, immo & debere putativam veritatem: si autem putativa veritas absolutæ veritati conformis non sit; tunc distinguatur oportet, nam vel non est conformis propter defectum hominis, quatenus quæ poterat, atque debebat, assequi neglexit; vel non est conformis citra defectum ipsius hominis, quatenus ipse fecit, quod potuit, & debebat, ut veritatem assequeretur: si non sit conformis propter defectum hominis; tunc homo peccat, si putativam veritatem sequatur. Secundum hanc vero acceptionem ait S. Augustinus Epist. 47. nu. 4.,, „ Si quis putaverit bonum esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique „ peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat, „ quod male fit,,. Et re quidem vera anne fortasse apud homines excusatione dignus ille est, qui propter sui culpabilem ignorantiam deliquit; atque ob negligentiam id addiscere omittit quod scire posset, atque deberet? Quo potiori ergo jure neque etiam apud Deum excusandus est, quum nulla gravior obligatio nos urgere possit, quam ut legi ejus diligentissime pareamus? Si autem putativa veritas non sit conformis veritati absolutæ citra ullum defectum ipsius hominis; tunc sine peccato homo eam sequitur, quia quantum ex se est, aut esse potuit, atque debuit, ipsi veritati omnino se conformare voluit. Unde errat quidem, sed involuntarie prorsus, & citra ullam sui consensionem errat, ideoque Deus, qui cordium scrutator est, hujusmodi errorem non imputat ad peccatum.

Id vero absurdi, quod Bælius primo loco opponit, tunc solum consequeretur, quando veritas putativa, quæ præter omnem defectum hominis non est conformis veritati absolutæ, a peccato non excusaret, eamque libere, & sine ulla difficultate sequi non possemus.

Ad 2. omnem quidem curam a nobis adhibendam esse dicimus, ut veritatem assequamur; illam vero si adhibuerimus, etiamsi decipiamur, cujusvis peccati expertes omnino erimus. Unde inquisitio veritatis nunquam supervacanea est. Ceterum si nostra agendi ratio ejusmodi fuerit, ut nihil eorum, quæ possumus, atque debemus, ad assequendam cognitionem veritatis omit-

omittamus, tunc semper fere continget, ut quæ sentimus, veritati conformia sint: „ Nam si sapientia [inquit S. Augustinus *De Moribus Eccl. Cathol.* lib. „ 1. num. 31.], & veritas non totis animi visceribus concupiscatur, inve- „ niri nullo pacto potest. At si ita quæratur, ut dignum, subtrahere sese, „ atque abscondere a suis dilectoribus non potest „.

In constituendis vero legibus, legislatoris intentionem esse veritatem in generali proponere, nullam vero habere rationem ejus caussæ, propter quam uni, vel alteri verum apparet, quod falsum est, solus Bælius sua solita confidentia affirmare, ac potius, incautorum capiendorum caussa, jactare potest. Quid enim magis contrarium intentioni legislatoris esse potest, quam ut unusquisque agat, quod sibi verum, quavis tandem levi, futili, falsaque ratione apparuerit? Sane autem qui contra leges delinquent, illud semper prætendere poterunt, quamvis ex malitia deliquerint, deliquisse se solummodo, quia contra legem se agere non putabant. Deinde anne ratio aliqua, quamvis ea quidem falsa, atque erronea sit, alicui deest, quando contra legem agit? Postremo nonne quispiam semel ac contra legem agere instituat, ad pœnam evadendam apparentem aliquam sibi rationem confingere poterit? Intentioni ergo legislatoris nihil magis contrarium esse potest, quam quod Bælius vellet.

Ad 3. respondeo neque etiam ex conditione nostra Bælium concludere Deum contentum esse debere, ut sequamur ea, quæ quacumque ratione nobis vera apparent. Ejusmodi quidem est conditio nostra, ut animam corpori conjunctam habeamus, & neque verum a falso discernere, neque judicare, num ab aliis decipiamur toto illo tempore possimus, quo ipsa ratione non utimur. Multi quoque non desunt, qui vel propter infirmitatem corporis, vel propter multiplicia munera, quibus distrahuntur, suam rationem exercere non possint in cognitione veritatis. Tandem pravas animi passiones, consuetudines, quas ipsa infantia induimus, præjudicia educationis, aliaque similia, quum illud tempus præcedant, quo res serio expendere possumus, impedimento esse, ne rerum veritatem assequamur, & nos quoque damus. Verum ex hisce omnibus illud unum consequitur, apud Deum neminem reum esse eorum, quæ citra ullam sui culpam ignoraverit (a). Quod autem Deus contentus esse debeat, ut unusquisque sequatur, quod verum esse putaverit, inde nullo modo exculpi potest. Quandoquidem velle Deum, ut ipsa ratione utamur, prout possumus, atque debemus, nemo negaverit. Fuisse enim donum rationis homini a Deo collatum, ut per illud non minus actiones, quam sua judicia regeret, perspectum est. Quapropter sicuti qui male egit, apud Deum non excusatur, si ideo male egit, quia eo modo, quo poterat, & debebat, recta ratione usus non fuit; ita etiam qui in suo judicio erraverit, nulla apud Deum est excusatione dignus, si ideo erraverit, quia, quomodo poterat, & debebat, non advertit ad regulas rectæ rationis. Sicuti ergo servus apud suum dominum non excusatur [hoc autem exemplo utimur, quia illud una cum aliis

(a) Quando nemini ea ad peccatum imputari dicimus, quæ citra ullam sui culpam ignoraverit, de illis loquimur, quemadmodum nostra adversus Bælium disputatio postulat, quæ nobis modo cognoscenda proponuntur. Nam peccatum originale cur nobis imputetur, antequam cognoscatur, multa suadent, de quibus nunc disputationem instituere velle, longius a proposito digredi esset.

aliis pluribns ejuſdem generis [a] Bælius ſæpe adhibet]; ſi aliqua ignoraverit, quæ ex ſui officii ratione noſſe poterat, & debebat; ita apud Deum non eſt excuſandus, qui in eorum ignoratione verſatur, quæ noſſe poterat, & debebat. Quia ergo Deus eſt auctor unionis animæ cum corpore, habet quidem rationem impedimentorum, quibus ab aſſequenda veritate retardamur; ita tamen habet, ut ſi ea nobis inſuperabilia fuerint, non imputet ad culpam, quod veritatem abſolutam non attingamus, imputet autem, ſi impedimenta non fuerint inſuperabilia, ſed quæ a nobis ſuperari potuerint, atque debuerint. Quare Deus non quacumque putativa veritate contentus eſſe debet, uti Bælius falſo contendit (alioquin oporteret, ut id omne ab eo probaretur, quod caderet in mentem cujuſvis hominis); ſed ea ſolummodo putativa veritate, quæ vel veritati abſolutæ omnino reſpondeat, vel ſi revera non reſpondet, ei tamen reſpondere, is, qui errat, citra ullam ſui culpam arbitratur.

Quæ autem nobis a Deo revelata ſunt, quando geometricam, aut metaphyſicam veritatem in ſe non habere, affirmatur, diſtinguendum eſt: nam ſi intelligatur, nullam metaphyſicam, aut geometricam occurrere rationem, qua evincatur, aut evinci poſſit, hæc, vel illa nobis a Deo revelata fuiſſe; tunc nullo modo nos repugnamus. Sed non eſt, cur quiſpiam, num aliqua a Deo nobis revelata fuerint, hujuſmodi rationibus perſpectum eſſe velit, quia Divina Revelatio res facti eſt, a qua hæc genera rationum aliena ſunt (b). Si vero intelligatur in Divina Revelatione contineri nihil, de quo metaphyſicis rationibus conſtare poſſit; falſum id omnino eſſe propugnamus. Nam in ipſa Divina Revelatione multa continentur, uti alibi jam obſervavimus, & per ſe unicuique perſpicuum eſt, quæ ſpectant ad naturæ legem, & de rectitudine eorum ex ipſa ratione conſtat. Quamvis autem multa quoque in Divina Revelatione ſint, quæ rationis humanæ viribus a nobis attingi non poſſunt, inde tamen non conſequitur, ut etiam contra rationem ea ſint (c). Immo vero ea quoque, quæ ſunt ſupra rationem, licet ipſi humanæ rationi impervia ſint, ſuam tamen eo modo, quo fieri poteſt, evidentiſſimam rationem habent, ob quam eiſdem aſſentiri debeamus. Nam ea omnia in ſe continent, quibus de eorumdem Divina inſpiratione evidentiſſime conſtat [d]. Quum ergo æqua ratio ſuadeat, ut aſſentiamur iis, quæ divinitus inſpirata eſſe certiſſime conſtat, inde eſt, ut ea quoque, quæ ſunt ſupra rationem, evidentiſſimam rationem habeant, ob quam eiſdem aſſentiri debeamus. Ineptit ergo Bælius, dum aſſirmat, quæ divinitus revelata ſunt, majorem in anima noſtra certitudinem producere non poſſe, quam falſitas ipſa producat.

Ad 4. reſpondemus, conſcientiam eſſe quidem lydium lapidem ipſius veritatis, ſi Divinæ legi conformis ea ſit; ſi autem revera non ſit conformis, tamen ob invincibilem errorem uti omnino conformis habeatur, tunc ob conformitatem, quam ob hujuſmodi errorem invincibilem habere putatur cum Divina lege, a peccato formali, uti ajunt, excuſat. Hujus rei rationem ſupra dedi-

(a) Exempla iſtiuſmodi, quæ Bælius affert, ut evincat Deum contentum eſſe nos ſequi veritatem putativam, nihil concludunt, quia ſemper in iiſdem fallo ſupponitur, quocumque errore effici, ut quiſpiam etiam apud homines excuſetur.

(b) Conſulantur quæ hac de re in pluribus lemmatibus jam diſſeruimus initio li. 2.

(c) Vide quæ diſputavimus hujus lib. quæſt. 1. art. 1. §. 2. in reſponſione ad primam objectionem contra Bælium effutientem quod eſt ſupra rationem, eſſe ſimul contra rationem.

(d) Hoc vero eſt, quod nos jam evicimus in tota prima quæſtione hujus libri.

dedimus, ideoque non est, cur dicta modo repetamus. Impossibile autem esse, ut cognoscamus veritatem absolutam ejus Religionis, quam tenemus, hoc est Christianæ, solus Bælius in dubium revocare audeat. Non est tamen, cur multis hac de re contra eum modo disseramus, quum tam multa, atque evidentia sint argumenta Divinæ Revelationis, quæ in Novo Testamento continetur, de quibus tota hujus libri prima quæst. egimus, ut nullus superesse possit dubitandi locus, num doctrina Novi Testamenti divinitus inspirata sit. Hic ergo ea tantum superaddemus, quæ ad rem istam evincendam pro suo more solide atque acute complexus est S. Thomas lib. I. *cont. Gent.* cap. 6., quibus ea omnia paucis complexus fuisse videtur, quæ alii multis prosequuti sunt: „ Hæc „ enim, *inquit*, Divinæ sapientiæ secreta, ipsa Divina sapientia, quæ om- „ nia plenissime novit, dignata est hominibus revelare, quæ sui præsentiam, „ & doctrinæ, & inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, „ dum ad confirmandum ea, quæ naturalem cognitionem excedunt, opera „ visibiliter ostendit, quæ totius naturæ superant facultatem; videlicet in mi- „ rabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, cælestium corporum mi- „ rabili immutatione; & quod est mirabilius, humanarum mentium inspira- „ tione, ut idiotæ, & simplices dono Spiritus Sancti repleti, summam sa- „ pientiam, & facundiam in instanti consequerentur. Quibus inspectis, præ- „ dictæ probationis efficacia non armorum violentia, non voluptatum promis- „ sione, & quod est mirabilissimum, inter persequutorum tyrannidem innu- „ merabilis turba non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum homi- „ num ad fidem Christianam convolavit. In qua omnem humanum intelle- „ ctum excedentia prædicantur, voluptates carnis cohibentur, & omnia, quæ „ in mundo sunt, haberi contemptui docentur. Quibus animos mortalium as- „ sentiri, & maximum miraculum est, & manifestum Divinæ inspirationis „ opus, ut, contemptis visibilibus, sola invisibilia cupiantur. Hoc autem non „ subito, neque casu, sed Divina dispositione factum esse, manifestum est ex „ hoc, quod se facturum Deus multis ante Prophetarum prædixit oraculis, „ quorum libri penes nos in veneratione habentur, utpote nostræ fidei testi- „ monium adhibentes.... Hæc autem tam mirabilis mundi conversio ad fi- „ dem Christianam indicium certissimum est præteritorum signorum, ut ea ul- „ terius iterari necesse non sit, quum in suo effectu appareant evidenter. Es- „ set autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, & ope- „ randum tam difficilia, & ad sperandum tam alta, mundus absque mirabi- „ libus signis inductus fuisset a simplicibus, & ignobilibus hominibus „.

Tantum vero abest, ut hæc, aliaque similia evidentissima argumenta suæ Religionis Ethnici habeant, quin potius eorum doctinæ capita plurimis turpissimisque erroribus referta, miracula vero, quæ jactant, inanes præstigiæ, mendacia sacerdotum, & præjudicia imperitorum, ac demum quæ apud eos prædicta fuisse legimus, turpissima mendacia sunt (a).

Quosnam vero inter alios hæreticos omnium nequissimos Bælius esse velit, ne divinando quidem assequi possumus. Latitudinarios profecto, si eorum systematis ratio habeatur, tales esse non immerito quispiam dixerit. Nam non hæc tantum, aut illa dogmata divinitus revelata, sed totam Divinam Revelationem, quanta est, nullo in pretio eos habere, inde constat, quia nemi-

(a) Vide quæ de hisce omnibus disseruimus lib. I. quæst. 1. art. 3., quæst. 2. ar. 2. & 3.

nem Christianorum a communi societate reliquorum, & a vita æterna excludendum esse dicunt, quæcumque tandem sint ea dogmata, quæ ipsi profiteantur, aut rejiciant. Hi autem Revelatam Religionem omnino destruunt, uti in sequenti articulo ostensuri sumus, ideoque si evidentissimis argumentis Revelatæ Religionis utantur, contra se utuntur. Alios autem omnes hæreticos quod attinet, fatentur ipsi quidem se habere certa argumenta Divinæ Revelationis, ipsius tamen Divinæ Revelationis eam rationem non faciunt, quam deberent. Ex hoc autem capite de eorum doctrinæ falsitate constat: quod sane non est, cur modo contra Bælium demonstrare aggrediamur, quum & hæc instituti nostri ratio non sit, & demonstratum id a nostris jam sæpe fuerit.

Mysteriorum autem nostræ Religionis evidentiam & non habemus, & repugnat, ut habeamus, alioquin mysteria non essent. Ut iis tamen assentiamur, argumenta evidentissima suadent, uti jam evicimus. Quæ vero in Sacra Scriptura continentur non ea de caussa divinitus revelata esse dicimus, quia multa eorum sunt supra rationem, sed ideo ea etiam, quæ sunt supra rationem, a nobis credenda firmissimeque tenenda esse affirmamus, quia divinitus revelata esse a nemine sanæ mentis dubitari potest. Absurditas vero, & manifesta contradictio faciunt, ut etiam apud alias Religiones nonnulla incomprehensibilia sint, ideoque incomprehensibilitas est quoad eas evidentissimum argumentum falsitatis. Est autem, uti ait S. Bernardus *de Diversis Sermone* 112. „ Conscientia alia bona, & non tranquilla, alia tranquilla, „ & non bona: alia nec tranquilla, nec bona: alia bona, & tranquilla „. Ii vero omnes, quos Bælius commemorat, etsi fortasse aliquando conscientiam tranquillam habeant, bonam tamen nunquam habebunt, sicuti ad vitæ commendationem requiritur. Quia vero uti ait S. Augustinus in cap. 8. *Evangelii Joannis Tract.* 41. nu. 4. „ Non fugit se ipsam mala conscientia, nec est, quo „ eat, sequitur se; immo non recedit a se: peccatum enim, quod facit, in- „ tus est „; esse non potest, ut tam qui malam, quam qui bonam conscientiam habent, eadem tranquillitate animi perfruantur. Deinde quamvis etiam ii, qui falsam Religionem profitentur, omnino quieti in sua conscientia sint, aut sibi esse videantur, anne fortasse inde consequitur eos esse de veritate securos, & a peccato excusari? „ Conscientiæ testimonium non sic „ intelligendum puto [inquit Sanctus Bernardus *in Festo Omnium Sancto-* „ *rum Sermon.* 3. numer. 3.], tamquam ipsa sibi conscientia attestetur. Non „ enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus com- „ mendat, ille probatus est, (a). Est ergo testimonium conscientiæ, in quo glo- „ riatur Apostolus, non quod perhibeat conscientia, sed quod loquitur Spiri- „ tus veritatis in ipsa, testimonium perhibens spiritui nostro, quod filii Dei „ sumus. Est enim testimonium conscientiæ non perhibentis, sed percipientis. „ Quum enim veritas applaudit, quum justitia attestatur, Dei sine dubio com- „ mendantis vox est „. Postremo martyres, & discipulos Christianæ Religionis omnino falso, atque impie comparari cum alterius cujusvis Religionis sectatoribus, constat ex iis, quæ lib. 3. quæst. 1. art. 1. §. 3. & 4. de puritate, & sanctitate finis, quem lex Evangelica sibi propositum habet, deque illis, quæ ad promulgationem Evangelicæ legis consequuta fuere, jam disseruimus.

Ad 5. ut respondeamus, ab ipso Bælio quærimus, quoniam nunc hominem

pium

(a) *Corinth.* 10. v. 18.

pium se facit, & religioni sibi vertit Divinæ gratiæ non tribuere, quod illi convenit, ab ipso, inquam, Bælio quærimus, quidnam tandem per Divinam gratiam in nobis fieri putet. Profecto per Dei gratiam id inducitur in nobis, quo ipsi Deo grati, & accepti evadamus. Si ergo gratia efficit, ut Deo grati acceptique evadamus, id quoque præstet oportet, quod requiritur, ut Deo grati acceptique evadamus: inter cetera vero Religio erga Deum ad id potissimum requiritur. Gratiæ autem Dei convenire posse, ut per eam quispiam in falsa Religione persistat, & errori assentiatur, Bælium tam blasphemum esse non arbitror, ut contendere velit, præcipue quia protestatur, se tribuere velle, quod gratiæ debetur: dum ergo vult Bælius, ut unusquisque sequi possit eam Religionem, quæ sibi vera quovis modo apparet, non solum gratiæ denegat, quod ei debetur, sed etiam tribuit, quod omnino impium, atque blasphemum est.

Dei vero gratia, qua in sana fide firmamur, quamvis non semper efficiat, ut refellere possimus cavillationes, quæ sanæ fidei opponuntur; aliquando tamen hoc in iis quoque præstitit, qui nulla cultura litterarum expoliti erant, quemadmodum legenti Historiam Ecclesiasticam manifeste constabit; semper tamen talem certitudinem in nobis producit, ob quam sumus de veritate securi „. Non enim fides (uti inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 1.), de qua „ loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veri- „ tati Divinæ fides innititur tamquam medio „; ideoque, uti concludit idem S. Doctor citata quæst. art. 2. „ Nihil potest cadere sub fide, nisi in quantum „ stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest „. Quapropter ultima analysis, seu resolutio nostræ fidei non in conscientiam nostram, sicuti Bælius falsò contendit, sed in Dei revelantis veritatem fit, ideoque si Deo revelanti conscientia nostra uti suæ primæ certissimæque regulæ respondeat; recte credimus: falsò autem, si conscientia ab hac prima sua regula recedat. Quamvis autem Deus a nemine exigat, ut suæ fidei certitudinem per examen scientificamque discussionem acquirat; exigit tamen ut judicia hominum suo judicio conformia sint, sibique revelanti fidem habeant.

Ad 6 respondeo nihil stultius eo fingi posse, quod Bælius dicit. Nam quis unquam dixerit esse in potestate hominum viam cœli aperire omnibus, quamvis contra Deum gravissime peccaverint? Inauditum sane audaciæ genus illud est cum summa impietate conjunctum. At, inquit Bælius, per hoc occasio scandali Ethnicis tolleretur, quam inde accipiunt, quia pauci salvari dicuntur. Quasi vero salus nostra, quam a Deo consequi debemus, a præjudicata, & falsa opinione Ethnicorum pendere posset. Et sane quisnam unquam affirmare audeat, quia pauci præstiterunt, quæ poterant, & debebant, alios quoque omnes esse præmio donandos, qui non præstiterunt, quæ poterant, atque debebant, ne vel pauci sint qui præmium recipiant, vel ne insipientes quidam homines scandali occasionem inde accipiant? Sicut ergo ii peccant, ideoque & puniendi sunt, qui agunt contra id, quod agendum esse viderint; ita etiam peccant, ideoque & puniendi sunt, qui agunt secundum id, quod malum esse videre poterant, atque debebant.

R. ad 7. eadem paritate, qua contra nos utitur, facile ipsum Bælium redargui posse. Voluit Deus relate ad diversa objecta nos affici sensatione doloris, atque voluptatis, ut statim cognosceremus, quæ corpori nostro prodes-

se, aut obesse possent: voluit quoque Deus nos esse ratione præditos [per rationem autem nobis inditam Deus iis potissimum prospexit, quæ ad animam, & corpus nostrum spectant], ut per eam videremus, quid a nobis agi, vel non agi deberet: ergo sicuti finis a Deo intentus quoad sensationem doloris, atque voluptatis nobis inditam, omnino pervertitur, si ad ea dulciter, & cum voluptate afficiamur, quæ nobis noxia sunt, contra vero dolorem experiamur in iis, quæ nobis prosunt; ita quoque pervertitur finis a Deo intentus quoad rationem nobis inditam, semel ac, quia ea non utimur, prout possumus, atque debemus, ipsius lumine non videmus, quid re vera a nobis agi, vel non agi oporteat, ideoque id a nobis non agendum putamus, quod debemus, vel agendum, quod non debemus. Non ergo quilibet sensus veritatis, quem quis habeat, est secundum finem a Deo institutum, sed is tantum, quem quispiam acquisierit, postquam indita sibi ratione, prout poterat, atque debebat, usus fuerit. Hunc vero sensum veritatis si sequamur, rationabiliter prudenterque agimus; irrationabiliter vero, atque imprudenter, si sequamur, quod nobis verum quacumque ratione visum fuerit. Hoc enim si non ponatur, eos quoque bene agere sentiendum erit, qui sua negligentia, pravo usu rationis, malitia, atque improbitate a se hac, vel illa ratione agendum esse putarunt.

Quamvis autem, uti observat S. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 4. ad 3., „ *Lex* æterna sit nobis ignota secundum quod est in mente Divina; innotescit tamen nobis aliqualiter vel per rationem naturalem, quæ ab ea derivatur, ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem superadditam „. Quapropter in pyrrhonismum non delabimur, sicuti Bælius effutit, semel ac sequi non debeamus, quod nobis quacumque ratione verum apparuerit. Quandoquidem vel per rationem naturalem, dum tamen ad eam, qua par est cura, diligentia, & sedulitate attendamus, nobis innotescit, quid legi naturali conforme sit, ideoque etiam quid sine ulla dubitatione agere valeamus; vel per Divinam Revelationem, quæ num Divina sit, ita a nobis perspicue cognosci potest, ut nullus de ea dubitandi locus supersit, quemadmodum ex iis constat, quæ hujus libri quæst. 1. jam disseruimus.

At majoris explicationis gratia Bælii argumentationem expendamus, quæ talis est: certitudo, quam habemus, aliquas actiones esse honestas, Deo placere, atque a nobis elici debere, posita est in interiori conscientiæ sensu, quo hæc omnia videmus; sed hæc certitudo secundum adversarios non est argumentum certum, hujusmodi actiones esse eliciendas, & si eliciantur, æternam damnationem non esse subeundam: sicuti ergo nullus homo prudens aliquid facit cum periculo æternæ damnationis, ut unusquisque se prudenter gerat, veluti quiddam inanime sese habere, nihilque agere debebit. Distinguo itaque majorem propositionem: certitudo posita est in interiori conscientiæ sensu, in interiori, inquam, conscientiæ sensu, qui sit vincibiliter erroneus, ne., in interiori conscientiæ sensu, qui sit re vera rectus, vel uti rectus ob invincibilem errorem habeatur, con., & distinguo etiam minorem propositionem: hæc certitudo non est argumentum certum, si proveniat a conscientiæ sensu vincibiliter erroneo, con., si proveniat a conscientiæ sensu recto, aut invincibiliter erroneo, ne. Videndum ergo est, quid requiratur, ut eam, quam habere possumus, atque debemus, de honestate actionum certitudinem habeamus. Profecto illud primo requiritur, ut nihil contrarium occurrat lumini rationis, at-

atque ei repugnans: nam apud neminem ea certa esse possunt, quæ indito lumini rationis adversantur. Requiritur etiam ad hanc certitudinem, ut nullam dubitationem de illis habeamus, quæ ut certa tenemus. Quum enim dubitatio fluctuantes nos reddat, certitudo autem dubitationem excludat; ideo dubitatio, & certitudo simul stare non possunt. Tandem de iis certi non sumus, quorum veritatem ut attingeremus, eam, quam pro officii nostri ratione debebamus, diligentiam non adhibuimus. Ignorantia enim, quæ aliqua ratione voluntaria sit, tollit certitudinem ipsius veritatis, quia, clamante conscientia, cognoscitur id præstitum non esse, quod ad hujusmodi certitudinem requirebatur. Quapropter internus conscientiæ sensus ut veram certitudinem causet 1. talis esse debet, ut nihil ostendat, quod lumini rationis contrarium sit: 2. ut omnem rationabilem dubitationem excludat: 3. ut ex culpabili ignorantia non proveniat. Quando internus conscientiæ sensus hæc omnia habet, secure, & sine ulla fluctuatione agere possumus, atque debemus: contra vero ab agendo prudenter abstinemus, quando internus conscientiæ sensus id suadet, quod aut lumini rationis contrarium est, aut non omnem rationabilem dubitationem excludit, aut nostra culpa ignoratur, num rectus sit. Nugatur ergo Bælius, dum affirmat, ancipiti pyrrhonismo nos esse implicatos, si nostram putativam conscientiam semper sequi non possumus. Verum mirandum sane est, nunc eum esse de Pyrrhonismo sollicitum, quando cuncta vel certissima obscuro Pyrrhonismo involvere ubique contendit. Dum autem affirmat nihil referre, quod a conscientia idem objectum uni ut verum exhibeatur, alteri autem ut falsum, ita ut unusquisque suam conscientiam sequi possit, quæcumque tandem ea sit; acutus philosophus notionem veritatis nondum assequutum se esse demonstrat. Veritas profecto consistit in conformitate, quæ sit inter intellectum nostrum remque ipsam intellectam, non autem in quavis apprehensione, quam quis de re intellecta habeat: non enim intellectus noster veritatem efficit, sed ipse verus evadit, si veritati, quæ in re intellecta præexistit, conformis sit. Bælius autem contra vellet; hoc est, nihil ad veritatem referre, num intellectus noster rei intellectæ conformis, vel non conformis sit, sed unumquemque uti verum habere posse, quod uti tale sua sibi conscientia exhibuerit. Inde vero si non omnium scientiarum civilisque societatis maxima perturbatio consequatur, non video sane, unde nam tandem consequi possit [a].

Quemadmodum ergo palatus non est bene affectus, si amarum ei videatur, quod dulce est, aut dulce, quod amarum, neque quispiam, & ipse etiam, qui palatum ita male affectum haberet, de qualitate cibi juxta hanc pravam affectionem judicare deberet; ita etiam conscientia prava est, si ob sui culpam verum alicui videatur, quod falsum est, aut falsum, quod verum est, nec potest quispiam, neque is, qui hanc pravam conscientiam habet, juxta eam de veritate decernere, atque habere ut verum, quod tale esse sibi apparet. Quapropter ut in eodem Bælii exemplo sistamus, sicuti palatus male affectus non efficit, ut vere dulce sit, quod tale esse ei videtur, vel ut in salubre nutrimentum vertatur, quod palatui arridet, si aliunde noxium sit, & sa-

(a) Ignorantiam invincibilem tantum omnino a peccato excusare, quia causat involuntarium, jam sæpe monuimus. Quamvis autem, quando rei alicujus ignorantia invincibili detinemur, intellectus noster rei intellectæ conformis non sit; tamen quum præter nostram culpam uti conformis habeatur, inde est, ut etiam præter ullam nostram culpam decipiamur.

sanitati contrarium; ita quoque male affecta conscientia non facit, ut verum sit, quod tale esse ei videtur, neque ut honestum evadat, si aliunde rectæ rationi, & veritati adversetur.

Ludit vero Bælius, dum dicit, velle Deum, ut diligenter, & sincere veritatem quæramus; simulque pro suo more sibi contradicit. Nam si ex Dei præcepto diligenter, & sincere veritatem inquirere debemus, fieri non potest, ut, sicuti ipse vult, nostra conscientia, quæcumque tandem ea sit, pro nostrarum actionum certa regula habeatur. Ea ergo potissimum de caussa, quia vult Deus, ut sincere, atque diligenter veritatem inquiramus, non cuicumque interno conscientiæ sensui acquiescere debemus, sed num rectus sit, rectæque rationi conformis, oportet, ut diligenter, prout a nobis fieri potest, expendamus. Si autem, omni diligentia, quam debebamus, semel adhibita, veritatem non assequamur; tunc putativam veritatem sequi possumus, quia quantum in nobis fuit, curavimus, ut veritati conformaremur.

R. ad 8. Christianæ Religionis argumenta adeo clara, manifesta, atque evidentia esse, ut si Ethnicus ea expenderit, non solum prudenter, sed etiam cum omni certitudine, Christianæ Religionis veritatem cognoscere debeat (a). Veritate autem Christianæ Religionis semel perspecta, & apud se constituta auctoritate Divinæ Revelationis, nihil quoque rationabilius esse cognoscet, quam ut & cum summa veneratione ea suscipiat, quæ in eadem Divina Revelatione continentur, & quæ per insignes Doctores, sanctissimos, atque sapientissimos viros non interrupta successione tradita, semperque servata sunt, teneat, atque profiteatur. Hæc vero sunt, quæ inter Christianos Catholicam Religionem constituunt, quemadmodum sæpe a nostris contra hæreticos demonstratum fuit. Rationabili ergo judicio ductus, quod unusquisque in agendo sequi debet, quodque si occurrat, inepte quispiam ab agendo supersederit, Catholicam Religionem Ethnicus quisque amplecti poterit, inque ea secure conquiescere. Suam vero Religionem ut deserat, non minus rationabili judicio impelletur, si rem ipsam serio expendere voluerit.

Quum vero, uti jam sæpe diximus, in iis quispiam a peccato excusetur, quæ invincibiliter ignorat; & tum puer spurium se esse, tum mulier non esse suum virum, cum quo concumbit, invincibiliter ignorare possit; ideo filius citra peccatum eam hæreditatem accipit, quam paternam esse putat, & mulier etiam citra peccatum cum eo homine rem habet, quem suum virum esse arbitratur. Contra vero neque filius a peccato excusaretur, si ejus quoque hæreditatem se suscipere posse putaret, qui non esset pater ejus, neque mulier, si cum alieno viro se cogredi posse crederet, quia tunc quoad utrumque non esset ignorantia alicujus peculiaris circumstantiæ, quæ esse posset invincibilis, sed Divini præcepti, quod nemo eorum invincibiliter ignoraret [b].

Nullum autem hæreticum esse contendo, qui si corrigi paratus non sit, bonæ fidei dici possit. Uti enim tradit S. Thomas 1. 2. quæst. 76. ar. 3. „ Ignorantia de se habet, quod faciat actum, quem causat, involuntarium „ esse. Jam autem dictum est (c), quod ignorantia dicitur causare actum, „ quem

(a) Hoc autem evidenter perspicuum est ex iis omnibus, quæ ad evincendam Divinitatem Revelationis in Novo Testamento contentæ fuse, atque copiose jam disputavimus.

(b) Vide hac de re D. Thomæ testimonium a nobis citatum in responsione ad 1. Bælii objectionem.

(c) Art. 1. & 2. ejusd. quæst.

„ quem scientia opposita prohibebat ; & ita talis actus , si scientia adesset , „ esset contrarius voluntati , quod importat nomen contrarii . Si vero scientia, „ quæ per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem „ voluntatis in ipsum , ignorantia hujus scientiæ non facit hominem voluntarium , sed non volentem , ut dicitur in 3. *Ethicorum* : & talis ignorantia, „ quæ non est caussa actus peccati , ut dictum est , quia non causat involuntarium , non excusat a peccato . Et eadem ratio est, de quacumque ignorantia non causante , sed consequente , vel concomitante actum peccati „. Hæretici ergo quum voluntatem propensam habeant in suos errores , quos profitentur : nam propter hujusmodi propensionem eos profitentur ; ideo ob ignorantiam , qua laborant , a peccato non excusantur . Uti enim recte monet S. Thomas, ut ignorantia a peccato excuset, oportet , quod per eam involuntarium causetur. Involuntarium autem non causatur, quando licet haberetur ea scientia , quæ non habetur , tamen propter inclinationem voluntatis poneretur idem actus , qui , hujusmodi ignorantia interveniente , ponitur. Inter hæreticos autem , uti inquit S. Augustinus Epist. 43. num. 1., alias epist. 162; „ „ Si qui sententiam suam quamvis falsam , atque perversam, nulla pertinaci „ animositate defendunt , quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt ; „ sed a seductis, & in errorem lapsis parentibus acceperunt , quærunt autem „ cauta sollicitudine veritatem , corrigi parati quum invenerint , nequaquam „ sunt inter hæreticos deputandi „. Tales ergo si qui inter hæreticos existant, an his Deus auxilium subtrahet , quo pertingere possint ad cognitionem ipsius veritatis ? Uti enim ex S. Thoma quæst. 14. *De Veritate* art. 11. nos jam monuimus lib. 1. art. 3. in responsione ad 2. objectionem : „ Hoc ad Divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, „ dummodo ex parte ejus non impediatur „ : ideoque , uti ibidem habet S. Doctor , „ Quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea , quæ sunt fidei ex „ nobis ipsis ; tamen si nos fecerimus, quod in nobis est, ut scilicet ductum „ naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis est „ necessarium „.

Invincibilem vero ignorantiam unius primæ caussæ dari in nemine posse , etiam Bælius consentit [a] : quo ergo ore dari posse infidelem bonæ fidei , ipse contendit ?

Si autem Deus satis haberet , ut veritatem quamcumque putativam sequeremur , frustra ejus Divinam Revelationem nobis manifestatam fuisse contendo. Nam 1. Sacræ litteræ amplius non essent regula veritatis , quia non sensus hominum Sacris litteris , sed Sacræ litteræ sensibus hominum accomodatæ esse deberent : 2. semel ac quæcumque putativa conscientia Deo accepta sit , etiam ille , qui nihil a Deo revelatum esse putaverit, Sacrasque litteras contempserit, salutem consequetur : 3. quoties id quispiam tenere , facere , & operari potest , quod ipse rectum putaverit , frustra lex ei proponitur , quam sequatur : 4. tandem nonne , Bælio sentiente, etiam Ethnicus salutem a Deo consequi debet , quia sequitur veritatem putativam ? ergo falsa Bælii sententia semel posita, Sacræ litteræ inutiles omnino erunt .

AR-

(a) Vide ipsius Bælii testimonium a nobis citatum *Theologia Naturalis* lib. 1. qu. 2. art. 1. §. 2. pag. 54.

ARTICULUS II.

NUM REVELATA RELIGIO DESTRUATUR, SEMEL AC PONATUR OMNES CHRISTIANOS SALUTEM ÆTERNAM ESSE CONSEQUUTUROS, QUÆVIS TANDEM FUERIT FIDES EORUM, SEU QUÆVIS TANDEM CAPITA RELIGIONIS REVELATÆ ADMISERINT, QUÆVIS VERO REJECERINT.

Latitudinarii sub specioso prætextu mutuæ concordiæ inter Christianos ineundæ neminem eorum, qui Divinam Revelationem receperit, æternæ salutis expertem esse constituunt, quamvis aliqua tantum eorum, quæ in Divina Revelatione continentur, crediderint, aut professi fuerint (a). Indifferentistæ minus proprie dicti hi omnes dici possunt, quia indifferentia, quam habent pro Religione, ad eos solummodo extenditur, qui Divinam Revelationem admittunt, atque Christiani dicuntur. Illorum ergo systema tale esse propugnamus, ut, ejus habita ratione, Divina Revelatio omnino destruatur. Quia tamen in hoc systemate falso supponitur, necesse non esse ad salutem æternam consequendam, ut omnia profiteamur, quæ in Divina Revelatione continentur, sed sufficere fidem aliquorum articulorum; ideo antequam agamus de immediata oppositione, quæ intercedit inter istud systema, & Religionem Revelatam, fidem omnium articulorum ipsius Revelatæ Religionis ad salutem æternam consequendam necessariam esse propugnabimus.

Propositio I. Nisi quispiam ea omnia suscipiat, atque profiteatur, quæ in Divina Revelatione continentur, salutem æternam consequi non potest.

Prob. propositio. 1. Una, & eadem est Divina auctoritas eorum omnium, quæ in Divina Revelatione continentur: ergo iis omnibus eadem a nobis subjectio debetur: ergo qui rejecerit aliquid eorum, quæ in Divina Revelatione continentur, salutem æternam consequi non potest. Ant. constat: quæ enim Deus nobis revelata tradidit, omnia eadem ratione ab ipso Deo revelante Divinam auctoritatem habent (b). Prima conseq. manifesta est: nam Divina auctoritas qua ratione efficit, ut uni articulo revelato assentiamur, efficere quoque debet, ut assentiamur omnibus aliis similiter revelatis; indeque consequitur, ut æternam salutem nullo modo consequi possit, qui aliquem revelatum articulum rejecerit, quia Divinam auctoritatem contemnit.

2. Mandatum, quod Christus Apostolis dedit, quando eos misit ad prædicandum Evangelium per universum mundum, hujusmodi fuisse ex S. Luca Evan-

(a) De conciliatoribus omnium sectarum Christianarum consulatur epistola Salmasii sua nomine Simplicii Verini ad Justum Pacium data, & Bossuetus *Avertissement aux Protestans Avertiss.* 6. par. 5. nu. 108. & seq.

(b) „ Dicendum (inquit S. Thomas 2. „ 2. quæst. 1. art. 1.) quod cujuslibet cognoscitivi habitus objectum duo habet, scilicet id, quod materialiter cognoscitur, quod „ est sicut materiale objectum, & id, per „ quod cognoscitur, quod est formalis ratio „ objecti; sicut in scientia Geometriæ materialiter scita sunt conclusiones, formalis „ vero ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur. „ Sic igitur si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud quam veritas „ prima. Non enim fides, de qua loquimur, „ assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati Divinæ fides innititur tamquam medio „ Hinc in responsione ad 1. recte concludit nos assentiri omnibus quæ fidei sunt, *propter Divinam veritatem*.

Evangelista novimus : „ Euntes in mundum universum (ita legitur cap. 16. „ v. 15. & 16.), prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & „ baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur „ . Simili ratione *Matthæi* 18. cap. v. 19. & 20. ita habetur : „ Euntes ergo docete „ omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus San- „ cti : docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis „ . Hisce vero duobus testimoniis, aliisque sane multis ejusdem generis, quæ afferri possent, totius Divinæ Revelationis fidem omnibus necessariam esse, ut salutem æternam consequantur, evidentissime constat. Divina autem Revelatio non unum tantum, aut alterum fidei dogma complectitur, sed ea omnia, quæ Christus docuit, nobisque credenda proposuit : omnia ergo, quæ in Divina Revelatione continentur, necesse est, ut credamus, ad salutem æternam consequendam. Hinc ipse Christus *Joannis* 12. v. 48. in novissimo die judicandum esse prænunciavit, qui verba ejus non acceperit : „ Qui spernit me, *in-* „ *quit*, & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum. Sermo, quem „ loquutus sum, ille judicabit eum in novissimo die „ . Qua autem ratione se ab eo contemni dicit, qui non audierit verba ejus, eadem quoque se contemni affirmat ab aliis, qui audire noluerint tradita ab Apostolis : „ Qui vos „ audit (inquit *Lucæ* cap. 10. v. 16.), me audit, & qui vos spernit, me sper- „ nit „ . Sed qui rejicit aliqua eorum, quæ Christus docuit, non accipit verba eius, eademque ratione impie agit, qui non recipit, quæ Apostoli sibi divinitus revelata tradiderunt : ergo impossibile est, ut salutem æternam consequantur qui non omnia suscipiunt, & credunt, quæ divinitus revelata sunt.

3. Si nonnullis eorum, quæ divinitus revelata sunt, contradicamus, non unam eamdemque rationem habemus eorum omnium, quæ a Deo revelata sunt; sed illorum unam eamdemque rationem oportet, ut habeamus : ergo iis omnibus, quæ divinitus revelata sunt, oportet ut æqualiter assentiamur. Prob. mi. Quæ divinitus revelata sunt, ideo a nobis credi, atque suscipi debent, quia divinitus revelata sunt, Divinamque auctoritatem habent : omnium ergo quæ revelata sunt, unam eamdemque rationem habeamus oportet : omnia ergo æqualiter suscipere, atque venerari debemus. Et sane vel per nos ipsos definire, ac determinare possumus, quæ credere debemus; vel non possumus, atque adeo iis omnibus assentiamur oportet, quæ divinitus revelata sunt : quod per nos ipsos definire, ac determinare non possimus, quæ credere debemus, per se patet; tunc enim ipsius fidei rotio perverteretur, quia fides nostra non amplius circa ea versaretur, quæ a Deo revelata sunt, sed ab arbitrio nostro penderet : superest ergo, ut iis omnibus assentiri debeamus, quæ divinitus revelata sunt. Duo ergo in quolibet cognoscitivo habitu sunt distinguenda; hoc est tum id, quod cognoscitur, tum cognoscendi ratio : nam habitus cognoscitivus non solum objectum materiale, uti Scholastici loquuntur, habere debet, circa quod occupetur, sed etiam propriam rationem, qua mediante, agat, quodque illius objectum formale a Scholasticis vocari consuevit. Secundum utramque vero objecti rationem fides nostra refunditur in Deum, sicuti in primam veritatem „ . Sic igitur in fide [inquit S. Thomas 2. 2 qu. 1. „ art. 1.] si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud, quam „ veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia „ est

„ est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati Divinæ fides innititur tamquam me-„ dio. Si vero consideremus materialiter ea, quibus fides assentit, non so-„ lum est ipse Deus, sed etiam multa alia, quæ tamen sub assensu fidei non „ cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout sci-„ licet per aliquos divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in Divi-„ nam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte objectum fidei est quodam-„ modo veritas prima, in quantum nihil cadit sub fide nisi in ordine ad Deum „. Non esset autem amplius unica fidei nostræ ratio hæc prima veritas, semel ac unusquisque sibi constituere posset, quænam credere, & tenere deberet. Deum ergo, qui est prima veritas, quum contemnat, seque loco Dei ut primam veritatem habeat, qui non recipit quæcumque revelata sunt, æquum quoque est, ut a Deo contemnatur, æternamque damnationem subeat.

Tandem sicut unus Dominus, & unum baptisma, ita & una fides esse debet, quemadmodum Apostolus *ad Galatas* 4. v. 5. tradit his verbis: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Una autem non est fides omnium, quando veritates revelatas cuncti non suscipiunt, atque reverentur: ergo qui aliquas solummodo revelatas veritates admittunt, non habent eam fidem, quam habere deberent, ideoque neque æternam salutem consequi possunt.

Id unum ad salutem æternam consequendam Lokius sufficere contendit (a), ut credamus Christum esse Messiam, Deique filium. Rem istam ut evincat, plura Sacræ Scripturæ testimonia congerit, quæ nihil minus suadent, quam quod ipse vellet. Ex iisdem enim illud constat, & Christum id primo ab omnibus exegisse, ut se verum Dei filium esse crederent, & S. Apostolos rem eamdem primo fuisse sollicitos ut omnibus persuaderent. Verum quis nam unquam sanæ mentis inde intulerit, sicuti Lokius facit, hanc solummodo fidem Deitatis ipsius Christi sufficere ad salutem consequendam? Voluit quidem Christus ut omnes illius Divinitatem imprimis crederent, idemque etiam Apostoli contenderunt; est enim Christi Divinitas veluti basis & fundamentum Evangelicæ revelationis: verum nonne ipse Christus ceterorum quoque omnium, quæ tradidit, voluit, ut cuncti fidem haberent? nonne præcepit Apostolis, ut quæ ab ipso audierant, omnibus prædicarent, cunctosque docerent baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? nonne Apostoli mandata Divini sui Præceptoris diligentissime exequuti fuere? „ Quo-„ niam impletum est tempus (inquit Christus *Lucæ* 1. v. 15.), & appropin-„ quavit regnum Dei: pœnitemini, & credite Evangelio „. Tale vero fuit præceptum, quod dedit Apostolis, postquam resurrexerat a mortuis, ut legitur *Lucæ* 16. v. 15. „ Et dixit eis: euntes in mundum universum, prædicate „ Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus e-„ rit: qui vero non crediderit, condemnabitur „. Apostoli autem Christi præceptis obtemperantes, uti v. 20. legitur: „ Profecti prædicaverunt ubique, Do-„ mino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis „. Totius ergo Divinæ Revelationis fides ad æternam salutem assequendam omnino necessaria est. Quia vero Christus uti Dei filius novam legem promulgaturus advenerat, indeque lex, quam promulgabat, suam auctoritatem habebat, quia erat Dei filius; ideo mirandum non est, si id primo curavit, ut omnes se Dei filium esse crederent, idemque etiam Sancti Apostoli contenderunt. Deinde

(a) In Opere inscripto; *Le Christianisme Raisonnable* chap. 4. & 5.

de quum ad Christum referantur omnia, quæ leguntur in Sacris litteris, fides Divinitatis ipsius Christi ceterorum quoque omnium, quæ habentur in Divina Revelatione, fidem secum afferunt. Hinc S. Thomas explicans ea verba *Joannis* cap. 20. v. 31. „ Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei „ lectione 6. ita habet : „ Ad hoc enim est tota Scriptura „ Veteris, & Novi Testamenti. *Psal. 39. In capite libri scriptum est de me*. „ Supra 5. *Scrutamini Scripturas, quoniam ipsæ sunt, quæ testimonium perhibent* „ *de me*. Item fructus vitæ : *Quia ut credentes vitam habeatis*. Hic vitam „ Justitiæ, quæ habetur per fidem *Habacuc* 2. *Justus autem meus ex fide vi-* „ *vit*, & in futuro vitam spei, quæ habetur per gloriam, & in nomine e- „ jus, scilicet Christi, *Actorum* 10. *Non aliud nomen sub cælo, in quo opor-* „ *teat nos salvos fieri* „.

COROLLARIUM.

Impium ergo est affirmare: nullum certius, ac præstantius remedium esse dissensionum, quam ut nihil imponatur Christianis præter ea, quæ unusquisque apud suum animum certo novit esse revelata, sicuti affirmat Clericus in libro *de Eligenda inter dissentientes Christianos sententia* num. 13.

Totius enim Divinæ Revelationis fides ad salutem æternam consequendam requiritur, ut perspectum est ex iis, quæ usque modo disseruimus : ergo quæ unusquisque a Deo revelata esse certo noverit, si in iis non omnia contineantur, quæ divinitus revelata sunt, non sufficiunt ad æternam salutem consequendam; ideoque Clericus impie contendit, cum illis omnibus communionem esse ineundam, qui hæc, vel illa divinitus revelata admiserint, quæ talia esse sibi visa fuerint : quasi vero præscribi ab unoquoque posset, quarum rerum fides habenda sit. Bellum ergo sane remedium, quod ad tollendas dissensiones Clericus proponit!

PROPOSITIO II. Semel ac admittatur, omnes Christianos, quæcumque sit eorum fides, æternam salutem consequi posse, Revelata Religio omnino e medio tollitur, atque destruitur.

Prob. propositio: Semel ac constituatur, etiam eum æternam salutem consequi posse, qui aliquos fidei articulos profitetur, reliquos autem rejicit; sequitur omnes fidei articulos, seu quidquid divinitus traditum accepimus, rem indifferentem esse, quam quisque pro suo arbitrio recipere, aut rejicere possit: ergo tanta absurditate opinionis semel posita, Religio Revelata omnino deletur. Prob. ant. Quamvis iste, ille, alter articulus divinitus revelatus sit; tamen si quispiam eum rejiciat, vel quia rationi consonum esse non putat, uti Sociniani faciunt, vel ob aliquam aliam, revera quidem ineptam, atque falsam, sibi tamen probabilem rationem, in ea hypothesi Latitudinariorum male non agit, neque est a Deo puniendus : ergo idem dicendum erit de singulis articulis revelatis : quo enim jure erga unum articulum quispiam utitur, idem est jus reliquorum articulorum : ergo omnes articuli fidei, ut res quædam indifferens habendi erunt, quam quispiam recipere, aut rejicere possit, prout ipse conveniens esse existimaverit : ergo tota Divina Revelatio est res indiffe-

 rens,

rens, quam quispiam recipere, aut non recipere possit: ergo tanta absurditate opinionis semel posita, Religio Revelata omnino deletur.

Et re quidem vera vel Deus nos obligavit, ut crederemus, quæ revelavit, vel non obligavit: si non obligavit; non est, cur suscipiamus, & veneremur Divinam Revelationem, immo hæc omnino superflua evadit. si autem obligavit, uti revera fecit: ergo quæ revelavit, recipere debemus: ergo semel ac admittatur, quempiam æternam salutem consequi posse, licet hunc, aut alterum revelatum articulum non recipiat, necesse non erit, ut aliquis recipiatur. Prob. con. Nam ea ratione, qua unus articulus licet in Divina Revelatione contentus rejicitur, alii quoque omnes in Divina Revelatione eodem modo contenti rejici poterunt: ergo necesse non erit, ut aliquis recipiatur: totam vero Divinam Revelationem inde tolli, nemo non videt.

„ Videtis ergo (ita recte S. Augustinus lib. 32. *contra Faustum* cap. 19. Ma- „ nichæos urgebat, qui alia Sacræ Scripturæ testimonia admittebant, alia autem „ pro suo libro negabant) id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum „ auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scri- „ ptura probet, id est, ut non auctoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem, „ sed sibi Scripturas ipse subjiciat: non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc „ in sublimi auctoritate scriptum legitur; sed ideo recte scriptum videatur, „ quia hoc illi placuit. Quo te committis, anima misera, infirma, carnalibus „ nebulis involuta, quo te committis? „

2. Qui putat, uti Latitudinarii faciunt, eum quoque æternam salutem consequi posse, qui aliquos articulos revelatos negat, atque rejicit, et persuasum esse debet, rem indifferentem esse, ut aliqui articuli credantur, vel non credantur; sed ad hanc persuasionem, necessario consequitur, nullam amplius reliquam esse auctoritatem Divinæ Revelationis: ergo semper magis magisque constat secundum opinionem Latitudinariorum omnino tolli auctoritatem Divinæ Revelationis. Major constat, quia si persuasum non haberet rem indifferentem esse, ut aliqui articuli crederentur, vel non crederentur, eos quoque æternam salutem esse consequuturos, arbitrari non posset, qui aliquos articulos seu crederent, seu non crederent, Prob. mi. Divina Revelatio omnem suam auctoritatem accipit a Deo revelante: ergo semel ac quispiam putet aliquid licet a Deo revelatum æque credi, vel non credi posse absque detrimento æternæ salutis, quoad ipsum Divina Revelatio omnem eam auctoritatem amittit, quam a Deo revelante habebat: ergo inde necessario consequitur, nullam amplius reliquam esse auctoritatem Divinæ Revelationis.

Neque est, cur reponatur, illud non consequi ex sententia Latitudinariorum, ut tota Divina Revelatio destruatur, quia quæ pertinent ad legem naturalem, & in Divina Revelatione continentur, semper integra subsistunt. Quandoquidem integra ea quidem subsistunt, non tamen quia divinitus revelata sunt, sed quia cum lege naturali, quæ deleri non potest, conformitatem habent. Nam in sententia Latitudinariorum, sicut usque modo evicimus, in iis, quæ divinitus revelata sunt, nulla Divina auctoritas superesse potest: ergo nihil est, quod Divina auctoritate constituatur: ergo quamvis ea quidem subsistant, quæ ad legem naturalem pertinent, non subsistunt tamen ob Divinam auctoritatem, sed quia rationi conformia sunt. Verum ergo semper est, Divinam Revelationem omnino destrui, semel ac admittatur sententia Latitudinariorum.

At

At vero ponamus modo inter Deistam, & Latitudinarium disputationem esse de existentia Divinæ Revelationis: ille pro sui instituti ratione Divinam Revelationem rejiciat; iste autem Divinam Revelationem, prout se facere profitetur, admittendam esse defendat. Latitudinarius ergo ut Sacros libros divinitus revelatos esse suadeat, doctrinæ sanctitatem, quæ in iisdem continetur, quam exquisitissima ratione poterit, primo commendabit, talemque esse demonstrabit, ut nonnisi a Deo dimanare potuerit: ad certissima, atque evidentissima miracula inde recurret, quibus Divina Revelatio confirmata fuit: postremo appellabit ad prophetias, quibus in Sacris litteris multo ante tempore prædicta fuere, quæ postea præter expectationem omnium, præterque omnem conjecturam, atque probabilitatem, adamussim contigerunt, sicut prædicta fuere: nonnulla quoque alia, quibus & nos quoque usi fuimus, in medium depromet, ob quæ nullus dubitandi locus superesse possit de Divina Revelatione. Verum an ne fortasse ex hisce omnibus aliquid contra Deistam æquo jure concludere poterit? Deista profecto ab hoc genere argumentationum ita paucis sese expediet. Quæ contra me proposita usque modo sunt, aut evincunt esse quædam, quæ divinitus nobis revelata fuerint, aut non evincunt: si evincunt; ergo omnia, quæ divinitus tradita sunt, Divinæ auctoritatis esse debent; atqui, vobis fatentibus, non omnia Divinam auctoritatem habent; immo nulla sunt, quæ Divinam auctoritatem habeant: ergo semper subest dubitandi locus de Divina Revelatione. Prob. mi. Quæ Divinam auctoritatem habent, obligationem quam arctissimam in nobis inducere debent; sed non omnia, quæ divinitus revelata esse sentitis, hanc arctissimam obligationem inducunt, quia eos quoque æternæ salutis compotes futuros esse dicitis, qui non omnia divinitus revelata receperint; immo secundum vos nihil eorum, quæ divinitus revelata sunt, Divinam auctoritatem habet, tum quia eadem ratione, qua unus articulus rejicitur, alii quoque omnes rejici possunt, tum quia sicuti æternam salutem promittitis iis, qui hos articulos, ita quoque promittitis aliis, qui alios articulos negaverint: ergo, vobis fatentibus, non omnia Divinam auctoritatem habent, immo nulla sunt, quæ Divinam auctoritatem habeant; quare argumenta, quæ contra nos attulistis, vos ipsi fateri cogemini nihil concludere.

Quid vero futurum erit, si Deista ulterius progrediatur, suumque systema longe eo rationabilius esse, quod sequitur Latitudinarius, demonstrare aggrediatur? Ita enim Deista contra Latitudinarium agere posset. Nos singula servanda esse profitemur, quæ a Deo auctore naturæ nobis tradita esse per lumen naturale novimus (a): vos autem quamvis alia quoque multa a Deo uti auctore supernaturali tradita esse profiteamini; tamen pro arbitrii vestri libidine contenditis, non omnia necessaria esse, ut credantur; immo hac in re tanta libertate utimini, ut nulla sane sint, quæ credi oporteat. Nam qua ratione dicitis, unum, aut alterum articulum revelatum rejici posse, eadem nullum omnino esse concluditur, quod similiter rejici non possit, uti ex supra dictis constat. Quid ad hæc Latitudinarius reponet? Urgere sane poterit contra Deistam, nimis perspicuum esse, multa nobis a Deo revelata fuisse, idque con-

(a) Plerosque Deistas eorum quoque multa negare, quæ naturali ratione constant, manifestum est ex iis, quæ in libris superioribus jam differuimus; verum hic Latitudinarium agere supponimus contra Deistam, quatenus omnem Divinam Revelationem rejicit, Deistamque respondere, quatenus talis est; hoc est, quatenus nullam Divinam Revelationem admittit.

constare argumentis certissimis, atque evidentissimis, ideoque nimis aperte Deistam obstinationis convinci. Verum semper Deista primo reponet, eamdem tum sui, tum Latitudinarii quoad Divinam Revelationem habendam esse rationem, quia sicuti ipse nullam Divinam Revelationem admittit, ita Latitudinarius talia principia ponit, propter quæ auctoritas Divinæ Revelationis omnino tollatur, atque destruatur. Deinde vero de majori rationabilitate sui systematis semper constare, ita evincere poterit. Nostrum systema tale est, ut nihil a Deo supernaturaliter revelatum fuisse profiteamur: ergo consentanee ad nostrum systema nihil quoque eorum credenda tenemus, quæ divinitus revelata fuisse dicuntur. Secundum systema autem, quod vos sequimini, multa a Deo divinitus revelata fuerunt, & tamen, vestris principiis semel positis, uti jam palam feci, nulla sunt, quæ necessario credi debeant: ergo contra vestrum ipsi systema omnino irrationabiliter atque incohærenter agitis. Quapropter Deus aut aliqua supernaturaliter revelavit, aut non revelavit: si non revelavit; sententia, quam Deistæ tuemur, & veritati omnino consentanea est, & nostro systemati conformis: si autem revelavit; habita ratione injuriæ, quæ Deo revelanti fit, si non vestram iniquiorem, æquam saltem utrorumque nostrorum conditionem esse, dici debet: nam, ut sæpe jam monui, eadem Divina Revelatio, quam nos negamus, etiam per vestra principia omnino tollitur, atque destruitur: in eo tamen vos contra evidentem rationem peculiariter peccatis, quod Deum aliqua supernaturaliter nobis revelasse profitemini, & tamen ea juxta vestra principia nullam Divinam auctoritatem habent, neque credi, aut suscipi debent. Victum se ergo turpissimo rubore suffusus Latitudinarius fateri debebit, & qui sui adversarii incredulitatem refellere aggressus fuerat, non solum se æque incredulum, sed etiam sibi magis adversantem esse, negare non poterit. Quod ergo in nostra propositione demonstrandum suscepimus; hoc est, systema Latitudinariorum esse omnino oppositum Divinæ Revelationi, tam manifestum est, quam quod maxime.

Charitatis, atque concordiæ inanem futilemque prætextum Latitudinarii confidenter obtrudunt, dum omnibus, qui Christianam Religionem profitentur, æternam salutem promittunt; verum enim vero id potissimum tuentur, quia bono politiæ utile esse sibi falso blandiuntur. Politiæ ne bono utile erit, ut animi civium in re potissima, cujusmodi sunt capita Religionis, inter se omnino distracti, ac divisi sint, unus rem unam, aliam vero alius teneat? Profecto veræ politiæ bonum consistit in concordia civium, qui ad procurandum commune bonum unanimiter conspirent, debitamque subjectionem illi habeant, qui eisdem præest. Hæc vero concordia civium, quæ conspiret ad procurandum commune bonum, difficile sane esse, ut habeatur, quando animi illorum divisi sunt in iis, quæ ad Religionem spectant, nemo diffitebitur. Uti enim S. Augustinus recte observat lib. 19. *Cont. Faustum* cap. 11., & ipsa etiam experientia compertum est „ In nullum nomen Religionis, seu verum, „ seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sa- „ cramentorum visibilium consortio colligentur „. Signaculorum autem, & sacramentorum visibilium consortio inter se colligati non sunt ii, qui licet Christianam Religionem profiteantur, tamen non suscipiunt eosdem articulos, non eadem præcepta servant, non easdem cæremonias colunt, sed unionem, quam Christiana Religio secum affert disrumpunt, atque discindunt. Et re vera magis

gis facile esse, ut cives etiam in rebus politicis inter se dissentiant, quando divisi sunt quoad capita Religionis, quam si omnes eadem fidei capita profiteantur, nimis per se perspicuum est. Nam si de re quadam, præcipue vero si magni momenti ea sit, ab aliquo dissentiamus, paulatim, atque etiam aliquando nobis non animadvertentibus, quoad alia quoque nos ab eo averti, experientia compertum habemus. Quapropter Religio quidem, uti recte Lactantius monet *Divinarum Instit.* lib. 5. cap. 7; „ Sola efficit, ut homo hominem „ charum habeat, eumque sibi fraternitatis vinculo sciat esse constrictum „: hæc tamen charitas, hoc vinculum fraternitatis si non omnino tollitur, saltem non operatur, prout ex sui natura operaretur, semel ac Religio discindatur, neque de ea omnium una sententia sit. Contra vero quia conformitas opinionum consensionem qnoque animorum inducit, longe facilius est, ut cives mutuam pacem inter se foveant, quod sane ad utilitatem boni communis plurimum conducit, si quoad Religionem idem sentiant, quam si diffideant. Tantum ergo abest, ut hujusmodi consociatione, quam Latitudinarii admittunt, politiæ commune bonum procuretur, quin potius propter eam si non destruitur, certe aut minuitur, aut saltem in evidenti periculo ponitur. Tandem sæpe contingit, ut quæ politiæ sunt, conjuncta sint cum iis, quæ ad Religionem spectant, vel quæ Religio præcipit, ad ea quoque referantur, quæ sunt Politiæ: si ergo ponamus dissentire cives in iis, quæ sunt Religionis, etiam quoad alia, quæ ad politiam spectant, facile esse dissensuros ultro consequitur. Hæc vero omnia, qua ratione suadent propter diversitatem Religionum inter se cives esse dissensuros, eadem quoque evincunt, & subditos non facile suo Principi esse obtemperaturos, & Principem erga suos subditos eo modo se non esse habiturum, quo convenienter ad commune bonum se haberet, si Princeps, atque subditi eadem fidei dogmata profiterentur.

At vero illud a Latitudinariis quæro, an bonum Religionis bono civitatis, an vero bonum civitatis bono Religionis præferri velint: si bonum civitatis bono Religionis præponendum esse dicant; tunc licet aliquam Religionem exterius præseferant, revera tamen nullam habent. Nam quæ Religionis sunt, pertinent ad cultum Supremi nostri Domini, a quo sumus, quidquid sumus, & omne bonum sperare possumus, si eum recte coluerimus; ideoque si quis habeat loco systematis, quæ sunt Religionis ad commoda temporalia ordinari debere, omnem omnino Religionem exuisse videtur. Si autem dicant, uti revera dicere debent, si sensui Christiani hominis non renunciaverint, bonum Religionis bono temporali ipsius civitatis præferri oportere; tunc licet demus bono politiæ utile esse, ut salus æterna iis omnibus promittatur, qui Christianam Religionem profitentur, quæcumque tandem ea sint, quæ licet divinitus revelata ipsi rejiciant; tamen quia hoc est manifeste falsum, uti ex præcedenti propositione constat, & Deismo viam latissimam aperit, sicuti usque modo evicimus, semper manifestum est, pravo errore Latitudinariorum nihil magis impium fingi posse.

Quapropter quemadmodum Atheistæ, atque Deistæ, uti jam sæpe observavimus, antiquorum Ethnicorum rationem imitati sunt, ita eamdem Latitudinarii quoad rem illam sequuntur. Hanc enim rationem S. Augustinus lib. 4. *De Civitate Dei* cap. 32. affert, ob quam Ethnici principes passi fuerint, subjectos sibi populos in Religione decipi. „ Quod utique, *inquit*, non aliam ob „ caus-

„ caussam factum videtur, nisi quia hominum velut prudentium, & sapientium „ negotium fuit populum in religionibus fallere, & in eo ipso non solum colere, sed imitari etiam Dæmones, quibus maxima est fallendi cupiditas. „ Sicut enim dæmones nisi eos, quos fallendo deceperint, possidere non possunt; sic & homines principes non sane justi, sed dæmonum similes, ea, „ quæ vana esse noverunt, religionis nomine populis tamquam vera suadebant, „ hoc modo eos civili societati velut arctius alligantes, quo similiter subditos „ possiderent. Quis autem infirmus, & indoctus evaderet simul fallaces, & „ principes civitatis, & dæmones „? Ad hunc ergo modum etiam Latitudinarii nostri temporis, quamvis non omnes omnium sectarum errores ipsi probent, tamen sicuti homines non sane justi, sed dæmonum similes, ea, quæ vana esse noverunt, Religionis nomine populis tamquam vera suadent; hoc est, populis ad veram Religionem sufficere affirmant, ut credant, quæ sibi vera visa fuerint, licet ea ne ipsi quidem profiteantur, hoc modo civili societate velut arctius alligantes, ut sibi subditos subjectosque detineant. Agape ergo hujusmodi monstra christiani nominis, quæ ipsam Christianam Religionem prorsus evertunt.

Dices. Per Latitudinarismum omnes Christiani inter se consociantur: eo autem sublato, & universali intolerantia semel admissa, unus contra alterum insurgit, atque in toto humano genere perturbatio maxima inducitur (a): ergo.

Deinde dicendum non est, unum præ altero magis revereri Deum, si unus præ altero Sacram Scripturam melius intelligat, sed satis est, ut utrique Sacram Scripturam sicuti regulam admittant, ejusque Divinam auctoritatem in genere revereantur, quamvis eorum unus in particulari, & per errorem a Dei voluntate recedat. Sicuti enim qui Sacram Scripturam accipit eo sensu, quo debet, ideo eo sensu accipit, quia verum eum esse putat, non quia in se est verus, & quia si in alio acciperet, Deo se displicere crederet; ita qui in falso sensu accipit, non quia falsum eum esse arbitratur, sed quia verum, & se displicere Deo, si in alio acciperet. Et re quidem vera si duo servi quoad exequutionem mandatorum sui domini inter se differant, quia unusquisque eorum sui domini voluntatem eam esse putaret, quam apprehendisset, anne dominus de subjectione eorum dubitare posset? Profecto unum præ altero ad sua mandata exequenda aptiorem esse, decernere solummodo deberet. Ex hisce autem constat, unumquemque, qui Sacram Scripturam uti regulam admittit, eumque sensum in unaquaque re sequitur, quem verum esse putat, Deo placere, ideoque omnibus hujusmodi hominibus æternam salutem a Latitudinariis æquo jure promitti (b).

R. ad 1. aliquibus videri posse longe majorem futuram esse consociationem hominum, semel ac admittatur, etiam eos æternam salutem esse consequutu-

(a) Ita cum Latitudinariis etiam Rousseaus argumentatur in suo *Emilio* tom. 3 pa. 172. Voltæreus quoque in suis operibus idem sæpe urget, sicuti etiam Auctor Philosophiæ *du Bon Sens* tum in sua Philosophia, tum in *Sinensibus*, *&* *Peruvianis* epistolis ab eo scriptis. Non est autem mirandum, si Deistæ cum Latitudinariis hac in re consentiant; uti enim observavimus, Latitudinarismus ad Deismum ducit. Ita ex hoc ipso magis magisque confirmatur, quod nos demonstrandum suscepimus.

(b) Bælius Tom. 2. Oper. *Comment. Philosoph.* par. 2. ch. 10. Nullum enim est genus errorum, pro quo ipse non pugnet,

quuturos, qui nullam Divinam Revelationem admittunt; atqui Latitudinarii non obstante hac majori prætensa consociatione, quæ futura esset inter homines, tamen Deistas salutem æternam consequuturos esse negant, quia in manifesto errore eos esse putant, & recte quidem putant: ergo neque etiam ipsi aliquam rationem habent hujus majoris prætensæ consociationis, quam nobis opponunt, sed eam contemnendam esse recte sentiunt, quando errores, quos aliqui profitentur, impediunt, ne iniri possit.

Contra Deistas vero, qui contra Christianam quidem Religionem valde grave, contra Catholicam vero gravissimum, atque omnino peculiare odium conceptum habent, ita argumentamur. Longe major consociatio hominum futura esset, si etiam ii in commune consortium admitterentur, atque uti omnis erroris expertes haberentur, qui vel nullam Religionem admittunt, vel Ethnicorum superstitiosa dogmata sequuntur; atqui ex eo quod pro naturali Religione ipsi pugnent, aut saltem pugnare videri velint, non obstante hac majori consociatione, tum contemptores cujusvis Religionis, tum etiam eos, qui superstitionibus Ethnicorum addicti sunt, uti sibi adversantes habent, eosque in evidenti errore esse putant: ergo neque etiam Deistæ habent rationem hujus majoris consociationis, quando ne hæc ineatur, impedimento sunt nonnulli errores, quos aliqui profiteantur. Inepte ergo tum Latitudinarii, tum Deistæ hanc majorem consociationem nobis opponunt.

At vero quænam tandem sunt, quæ in consociatione ineunda observari debent? Profecto id potissimum advertatur oportet, ne cum aliquibus consociatio ineatur, ex quorum consuetudine futurum sit, ut pravis erroribus imbuantur, qui antea imbuti non erant. Quemadmodum enim cum iis, qui pestilentiæ morbo laborant, ad salutem corporis, ipsamque vitam tuendam sapienter prudenterque non communicamus; ita quum error pestis quædam animi sit, cavendum est, ne cum iis communicemus, ex quorum consortio futurum est, ut variis erroribus imbuamur. Hinc etiam est, ut sicuti inter latrones nulla bene instituta consociatio esse potest, ita neque etiam inter eos, qui variis erroribus imbuti sunt. Nam latrocinium honestati morum, error autem opponitur rectitudini mentis: non minus vero ad legitimam stabilemque consociationem requiritur rectitudo mentis, quam morum honestas, quæ quidem honestas morum ex mentis rectitudine potissimum proficiscitur. Tandem in consociatione aliqua ineunda curandum est, ne aliqua dissensio animorum quoad ea potissimus inter consociatos remaneat, in quibus inter se consociantur: nemo enim non videt, consociationem brevi tempore esse duraturam, si quoad ea quoque capita consociati inter se dissentiant, in quibus consociationem iniere. Nulla ergo quoad Religionem vera stabilisque consociatio esse potest inter eos, qui alia, atque alia dogmata profitentur. Ex hoc ergo etiam capite; hoc est, quia nulla vera consociatio haberetur, semel ac ea iniretur inter illos, inter quos Latitudinarii initam vellent, eosdem Latitudinarios in manifesto errore esse iterum constat. Nam ad pleniorem confutationem eorum hæc rursus superaddere voluimus ad ea, quæ contra illos in probationibus etiam quoad illud caput disseruimus.

Baylio autem effutienti, satis esse, ut Sacræ Scripturæ auctoritatem generatim revereamur, parum vero referre, num hac, vel illa ratione ea intelligatur, dum tamen unusquisque illo sensu eam accipiat, quem verum esse putat,

illud primo reponimus, an velit, Sacram Scripturam esse regulam sensuum ipsorum hominum, an vero sensus hominum esse regulam Sacræ Scripturæ? Profecto si admittatur, uti re vera firmissime teneri debet, Sacram Scripturam esse regulam sensuum hominum, eique homines in suis sensibus sese accommodare debere, is turpissime fallitur, qui sensum earum non assequitur, & contra, ac debet, easdem intelligit. Regula enim quædam norma est, cui conformari oportet, quæ illi subjiciuntur, atque ab ea pendent; sicuti mensura est norma mensurati, non vero mensuratum ipsius mensuræ. Hoc vero posito, illud a Bælio quæro, an duo suum legislatorem æque revereantur, quorum unus licet legem ab eo latam generatim uti regulam revereatur, tamen propter suam malitiam, obstinationem, aut culpabilem ignorantiam, non assequitur sensum ejus, ideoque & contra eam agit; alter autem & pro promulgata lege omnem venerationem generatim habet, & studio, atque diligentia conquirendo verum legitimumque sensum ejus assequitur, ideoque secundum eam operatur? Quis non fateatur, injuriose contra suum legislatorem ab illo agi, ab illo autem cum ea subjectione, atque veneratione, qua par est? Et tamen Bælius vellet, ut erga Deum legislatorem tum ille, tum iste æque reverenter sese haberet. Vide prudentiam hominis!

Tunc ergo verus sensus Sacræ Scripturæ tribuitur, quando uniformis ille est menti ipsius Dei loquentis: ergo qui Sacram Scripturam recte intelligit, ideo recte intelligit, quia eam illo sensu accipit, qui in se rectus est, quia cum Deo loquente conformitatem habet: ergo, contra ac Bælius falso contendit, quispiam verum sensum Sacræ Scripturæ non inde tribuit, quia eum verum esse putat, sed quia in se rectus est. Nam requiritur quidem ad deceptionem evitandam, ut is sensus verus quoque esse putetur, qui Sacræ Scripturæ tribuitur, tamen non ideo verus evadit, quia talis esse putetur. Inde vero est ut, qui falsum sensum Sacræ Scripturæ tribuit, quamvis eum verum esse ipse putet, verum tamen non tribuat, quia propter falsam existimationem ejus, ille sensus non evadit conformis menti ipsius Dei loquentis. Neque refert, ut Deo placere intendat, tam qui recte, quam qui prave Sacram Scripturam intelligit: nam qui omnem diligentiam, quam debebat, adhibuit, ut verum Sacræ Scripturæ sensum assequeretur, adeoque assequutus est, ille profecto Deo re vera placet; at qui propter suam malitiam, obstinationem, culpabilemque ignorantiam, verum Sacræ Scripturæ sensum assequutus non fuerit, licet se placere Deo putaverit ipse quidem, omnino tamen falso, atque impie putaverit. Quapropter ut in allato a Bælio exemplo sistamus, sicuti duorum servorum, quorum unus mandata sui domini, prout debet, accipit, atque exequitur, alter vero propter suam oscitantiam, atque negligentiam, ea neque accipit, prout debet, neque exequitur, non una eademque ratio haberi potest, eademque utrorumque non est erga suum dominum observantia, non idem obsequium servitutis, & dispar cultus subjectionis, quamvis tam unus, quam alter suo domino se placere æque putent; ita quoque obsequium Deo revelanti ab eo delatum, qui Divina verba, debita diligentia, atque subjectione adhibita, eo sensu, quo debet, accipit, longe diversum est ab obsequio alterius (si tamen quoad istum vocari potest obsequium, & non potius maxima irreverentia, & impietas dici debet), longe, inquam, diversum est ab obsequio alterius, qui propter suam malitiam, obstinationem, atque oscitantiam, Divina ver-

verba non accipit eo sensu, quo debet, quamvis tum iste, tum ille se Deo placere arbitrentur.

SCHOLION.

Falsum omnino est, non æque curari oportere quæ fidei sunt, & quæ spectant ad mores, viamque cœli ampliandam quoad illa, restringendam vero quoad ista.

Ipsi quoque Latitudinarii, sua opinione semel posita, futurum esse viderunt, ut Christiana Religio omnino scinderetur, ideoque ut huic tanto malo prospicerent, aliud effugium quærendum putarunt. Dogmata ergo speculativa, & abstracta, ut ipsi vocant, hoc est, quæ ad fidem spectant, non multum quidem curari oportere; ea vero, quæ practica sunt, atque spectant ad mores, plurimi facienda esse: quoad illa cœli viam ampliari debere, quoad ista restringi. In recta vivendi ratione, inquiunt ipsi, tota rei substantia posita est, & quoad istam Sacræ litteræ per se manifestæ sunt, nullaque divisio est inter Christianos [a]. Verum enim vero, sicuti necessario contingere debet, dum quis ea, quæ omnino falsa sunt, tueri conatur, in deteriora semper, atque absurdiora Latitudinarii prolabuntur. Illud ergo primo ab eis ego quæro, an clara, manifesta, & perspicua per se sint, hæc, quæ tradit Apostolus I. *ad Philippenses* 2. v. 2. „ Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem „ charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes „. Rursus quæro ab iisdem, num eamdem claritatem, atque perspicuitatem hæc quoque alia habeant, quæ tradit idem Apostolus *Ephesiorum* 4. v. 3. & seq. „ Solliciti serva„ re unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut „ vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum „ baptisma „. Si horum duorum testimoniorum comparatio cum aliis testimoniis instituatur, in quibus agitur in Sacra Scriptura de recta institutione morum, deque iis, a quibus cavere, & de aliis, quæ agere debemus, an fortasse non in omnibus eadem claritas apparet? Profecto ut uno alteroque tantum exemplo hac in re utamur, hæc Christi testimonia, quibus nonnulla nobis præcipiuntur, quæ vel servare, vel vitare debemus: „ Diligite inimicos „ vestros [b]: Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ne „ videamini ab eis (c): Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra (d): No„ lite judicare, ut non judicemini (e): Petite, & accipietis (f): Omnia er„ go quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis (g) „! hæc, inquam, omnia, & multa alia, quæ ad mores spectant, Divina testimonia an fortasse magis perspicua sunt supra citatis Apostoli Pauli testimoniis? Profecto sicuti in istis simpliciter, nullaque adhibita exceptione, pronunciatur, inimicos diligendos, justitiam non faciendam coram hominibus, ut videamur ab eis, non thesaurizandum in hac terra, bene judicandum de aliis, Deum exorandum, aliis bene faciendum, sicut nobis fieri vellemus, ideoque ab ho-

 rum

(a) Ita celebriores Latitudinarii, qui tradunt, nemini molestiam afferendam semel ac Sacram Scripturam recipiat, universalemque pacem fovendam inter omnes Christianos, quæcumque tandem sint dogmata fidei, quæ sequantur. Vide Bossuetum *Avertissemens aux Protestans Avertiss.* sixiéme par. 1. n. 114.

(b) Matth. 5. cap. v. 43.
(c) Cap. 6. v. 1.
(d) Cap. eodem: v. 19.
(e) Cap. 7. v. 1.
(f) Ejusdem cap v. 7.
(g) Ejusdem cap v. 12.

rum omnium observatione nemo sese eximere potest, quin Divinorum mandatorum transgressor existat; ita etiam in supra citatis Apostoli Pauli testimoniis simpliciter, nullaque exceptione adhibita, decernitur, ut omnes idem sapiant, sint unanimes, idem sentiant, servent singuli unitatem spiritus, & sicut unus est Deus, unumque baptisma, ita fides omnium una sit, ideoque nemo se ob hac unitate separare potest, quin se ab ipso Deo separet. Immo vero citata Apostoli verba aliquid luculenti, atque perspicui in se habent, quod in iis, quæ ad mores spectant, non semper occurrat. Quid? Non contentus Apostolus se constituisse fidei unitatem simpliciter, atque absolute talem esse debere, eique proinde repugnare quamcumque divisionem, etiam exemplo rem istam confirmavit, & qua ratione unum est baptisma, & unus est Deus, ita unam quoque fidem esse debere, ultimo concludit. Evidentius ne poterat, atque magis distincte constituere Sanctus Apostolus, quænam fidei unitas esse deberet? Ludunt ergo Latitudinarii, & de suo errore ementitam excusationem quærunt, dum Sacram Scripturam quoad ea tantum manifestam esse dictitant, quæ spectant ad mores. Nam quamvis fateamur, nonnulla eorum, quæ fidei sunt, in Sacris litteris expresse distincta non esse; sunt tamen multa, quæ magis aperta ratione significari non potuisse videntur; illud vero de unitate fidei adeo clare manifestatum est, ut nihil supra desiderari possit. Inani ergo falsoque fundamento Latitudinarii ducti, quoad ea tantum, quæ ad mores spectant, unanimem consensionem requirunt; quoad ea vero, quæ sunt fidei, unicuique planam opinandi libertatem contra evidentissima Sacræ Scripturæ testimonia tribuunt.

Quoad mores autem præcipue Sacram Scripturam manifestam esse sane fatemur; verum hanc ab ea perspicuitatem tolli secundum principia Latitudinariorum simul contendimus. Nam semel ac, uti ipsi statuunt [a], Sacram Scripturam rationi subjiciendam esse ponatur, non vero rationem Sacræ Scripturæ, quis inde futurum esse non videat, ut evidentissima quæque præcepta morum non solum una eademque ratione non accipiantur ab omnibus, sed etiam in sensus omnino contrarios distrahantur? Et sane si nostra corrupta natura consulatur, quidnam magis rationi contrarium videtur, quam ut injuriæ dimittantur, diligantur inimici, eisque benefiat? quidnam magis grave, quam ut affectum nostrum in hujus seculi divitiis nullum reponamus? quidnam magis difficile, quam ab omni quoque specie mali nobis semper cavere? Hæc ergo omnia, aliaque hisce similia, quamvis in Sacris litteris aperte, atque manifeste expressa sint, quamvis nullam ambiguitatem in se contineant; tamen si Sacra Scriptura rationi subjiciatur, istaque humanæ corruptæ naturæ partes defendendas suscipiat, sicuti, semel contempta Divina Revelatione, contingere omnino facile, immo naturale est [b], quis inde futurum esse non videat, ut

pror.

(a) Vide Bossuetum *Avertissemens aux Protestans Avertiss.* 6. par. 3. num. 114.

(b) Hic non illud contendimus, in contemptoribus Divinæ Revelationis nullum reliquum futurum esse judicium rationis, quo cognoscere possint, quæ ipsi rationi consentanea sunt. Id tantum volumus, semel ac Divina Revelatio humanæ rationi subjiciatur, evidentissima quæque præcepta moralia ab omnibus facile perverti posse, & a plerisque esse pervertenda. Ab omnibus quidem facile perverti poterunt, quia, semel posito, quod Sacræ Scripturæ auctoritas rationi subjici possit, hoc unusquisque jure uti poterit, prout sibi sua ratio suaserit, sive recta, sive erronea ea sit: a plerisque autem esse pervertenda inde constat, quia vel propter incapacitatem, vel propter pravam consuetudinem, aut instituu.

prorsus incerta evadant? Quid? Lex Evangelica, tota quanta est, eo tendit, ut vim nobis inferamus, reprimamus inordinatas passiones, studeamusque semper virtuose vivere. Sicuti vero est secundum rectam rationem vim sibi inferre, reprimere inordinatas passiones, atque virtuose vivere; ita quoque errantis rationis est assentiri lenociniis corruptæ naturæ. Longe autem esse facilius, semel dato, quod Sacra Scriptura rationi subjici possit, ut præcepta ejus erranti potius rationi, quam rectæ subjiciantur, inde constat, quia ii quoque, qui Sacram Scripturam non tam impie contemnunt, sed eam, ut par est, reverentur, tamen ejus Divina præcepta ipsi rationi consentanea, atque ut talia habita ab iisdem, sequendo ductum suæ pravæ errantisque rationis violant, atque transgrediuntur.

At vero de necessitate Divinæ Revelationis contra Deistas Latitudinarii nobiscum consentiunt. Qua vero de caussa & ipsi quoque putant Divinam Revelationem nobis necessariam esse? Profecto non ob aliam, nisi quia humana ratio tanti non est, ut per eam cuncta videre possimus, quæ agere debemus [a]. Atqui semel ac Sacra Scriptura rationi subjiciatur, in idem absurdum incidimus; hoc est, per humanam rationem videri posse ea omnia constituitur, quæ agere debemus: ergo & sibi contradicunt Latitudinarii, & nullo modo affirmare possunt, præcepta morum ita manifesta esse, ut ad Sacram Scripturam advertere necesse non sit. De contradictione, qua implicantur, inde constat, quia semel ac Sacra Scriptura rationi subjiciatur, ratio illa est, cui nostrorum morum directio tribuitur. Quod autem affirmare non possint præcepta morum ita manifesta esse, ut ad Sacram Scripturam adverti non debeat, est quoque perspicuum: tunc enim fieret, Divinam Revelationem quoad præcepta morum necessariam non esse, quod tamen ipsi contra Deistas negant, & recte quidem negant [b].

Falsum autem omnino esse, haberi unanimem consensionem Christianorum quoad ea, quæ spectant ad mores, nullus sane ignorare potest. Ut enim multa alia omittam, quoad necessitatem bonorum operum, religiosum cultum Deo adhibendum, jejunia, cœlibatum, usuras, anne una eademque sententia est Catholicorum, & Acatholicorum?

Nullam vero rationem præter arbitrii sui libidinem, & præsumptuosam, atque impiam licentiam, Latitudinari afferre possunt, ob quam dogmata fidei valde curanda non sint. Nam vel sunt æque revelata divinitus tam ea, quæ spectant ad fidem, quam quæ pertinent ad mores; vel non sunt æque divinitus revelata: si prius; cur non omnia eadem ratione curari debent? si vero alterum; illud quoque obtrudant, de istorum Divina revelatione non constare: tunc autem plurimum Divinæ Revelationis futurum est, ut rejicere debeant,

quod

stitutionem, malumque exemplum aliorum valde pauci sunt, qui ad præcepta rationis advertant, & valde pauciores, quibus, si diligentius non advertunt, non rationabilia videantur ea, quæ humana corrupta natura suadet, Ipsique sensus vellent, atque quærunt.

(a) Vide quæ de necessitate Divinæ Revelationis copiose disseruimus lib. 1. quæst. 1. art. 3. Ea vero omnia urgent contra Deistas tum Latitudinarii, tum Protestantes.

(b) Hic quoque contra Latitudinarios urgere non omittimus, esse eos longe deterioris conditionis, ac Deistæ sint. Nam Deistæ Dei judicium suo judicio subjicere non præsumunt, sed eam, quam ab eo acceperunt, judicii rationem ad omnia sufficere posse arbitrantur. Latitudinarii vero supra judicium Dei ponunt suum, quæque a Deo promulgata, & decreta esse non dubitant, suo judicio per summam impietatem, atque audaciam subjiciunt.

quod se suscipere profitentur. Verum neque dicunt, neque se suspicari præseferunt, æque divinitus revelata non esse, quæ ad fidem spectant, & quæ ad mores: ergo ista esse magni momenti, non vero illa, omnino irrationabiliter, atque ad libidinem sibi confingunt.

Deinde quæ in Sacra Scriptura continentur, nonne sunt omnia Divinæ auctoritatis? Si enim talia non essent, ad Sacram Scripturam pertinere, dici non posset: ergo si omnia sunt æqualiter Divinæ auctoritatis, æqualiter etiam a nobis suscipi debent: ergo una eademque ratio omnium habeatur oportet.

At vero anne Latitudinarii negare possunt, etiam interiori cultu Deum esse prosequendum? Profecto tunc & Deistis quoque deteriores sese esse demonstrarent, quum Deistæ internum Deo cultum adhibendum esse non negent; & sibi manifeste contradicerent, quia ipsi quoque contra Deistas Divinam Revelationem tuentur, in qua evidentissima argumenta ejus cultus occurrunt, qui tum interius, tum exterius a nobis Deo exhiberi debet: ergo dum ipsi statuunt, non æque curanda esse, quæ spectant ad fidem, ac quæ pertinent ad mores, per ea refelluntur, quæ ipsi quoque admittunt. Prob. con. Nos ipsa anima Deum colere præcipue debere, nimis perspicuum est: est enim anima præcipua, atque potissima nostri pars, qua supra conditionem aliarum terrestrium creaturarum elevamur, ad ipsum Deum pertingimus, tendimus ad quamdam infinitatem hujus vitæ bonis nunquam explendam. Anima ergo quum intellectu, & voluntate prædita sit, hisce duabus facultatibus debitum officium servitutis Deo exhibere debet. Qua vero potissimum ratione sese Deo subjicit intellectu, atque voluntate? Profecto sicuti inquit S. Thomas lib. III. *cont. Gent.* cap. 118. num. 2., & ratio evidentissima suadet: „ Sicut homo subditur „ Deo amando quantum ad voluntatem, ita subditur Deo credendo quantum „ ad intellectum „; sed tunc potissimum Deo subdimur quantum ad intellectum, quando propter auctoritatem Divinæ Revelationis ea credimus, quæ sunt speculativa, abstracta, & supra cognitionem nostram, qualia sunt dogmata fidei: ergo tunc præcipue cultum Deo peculiari ratione debitum reddimus, quando hisce omnibus assentimur: tantum ergo abest, ut ista æque ac alia omnia curari non debeant, quin potius, si ea non omnino curemus, potissimam nostri cultus debitam partem Deo subtrahimus.

Et re quidem vera semel ac ponatur, intellectu quoque nostro non esse Deo revelanti sacrificandum; & Christiana Religio, & omnis Divina Revelatio de medio tollitur. Nam Deo revelanti si non assentiamur, nulla amplius dogmata Christianæ Religionis, quibus ipsa sane constat, reliqua futura erunt, ipsaque Divina Revelatio superflua evadet. Si ergo Latitudinarii neque Christianam Religionem, neque Divinam Revelationem sublatam volunt, intellectum Deo revelanti subjectum esse debere, consentiant oportet. Deinde nonne etiam dogmata speculativa, & abstracta, quæque ad ipsam fidem tantum pertinent, contineri in Sacra Scriptura etiam Latitudinarii fatentur? Hæc ergo dogmata esse speculativa, abstracta, & fide tantum apprehendi posse, vel novit Deus, vel non novit: eum non novisse, quisnam unquam affirmaverit? novisse ergo eum, firmiter tenendum est: ergo si novit, & tamen ea nobis revelavit, voluisse quoque, ut iisdem assentiremur, affirmari debet: ergo voluit Deus, uti ei revelanti intellectum nostrum quoad ea quoque subjiceremus, quæ sunt speculativa, & abstracta, atque fide tantum apprehendi possunt. Ex

Ex quibus illud quoque constat, stulte atque inepte confingere Latitudinarios, viam cœli quoad dogmata fidei ampliandam, restringendam vero quoad ea, quæ spectant ad mores. Nam undenam tandem hoc didicerunt? An fortasse ex Sacra Scriptura? nam ab ipsa Scriptura tantum hoc discrimen ipsi eruere possunt, quum ad judicium ejus, quamvis mortuum illud quidem sit, quoad omnia appellent (a). Undenam vero in Sacra Scriptura habetur, viam cœli ampliandam esse quoad dogmata fidei, restringendam autem quoad præcepta morum? ista plurimum fieri debere, non vero illa? Anne Deus nostræ libertati reliquit, ut crederemus, vel non crederemus ea fidei dogmata, quæ revelavit? quædam ne incerta, atque probabilia revelavit, quæ unusquisque amplecti, vel non amplecti pro suo arbitrio posset? an quæ ad mores spectant, nos amplecti, & servare debere; quæ autem ad fidem, credere, vel non credere posse, significavit? „ Prædicate Evangelium (inquit Christus *Lucæ* ca. 16. „ v. 15.) omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, „ qui vero non crediderit, condemnabitur „. Evangelio ergo qui fidem præstiturus non esset, futurum ut condemnaretur, ipse Christus aperte prædixit, ac sæpe significavit, totius prorsus Evangelii fidem ad salutem necessariam esse [b]: ergo tantum abest, ut ex Sacra Scriptura aliquo modo erui possit, quæ fidei sunt, æque curanda non esse, ac quæ spectant ad mores, quin potius totius Evangelii fidem ad salutem simpliciter necessariam esse, ex ea apertissime constat.

SCHOLION II.

Vera Christiana Religio unica tantum esse potest.

Nam vera Christiana Religio innititur Divinæ Revelationi: ergo quæ Divinam Revelationem revera sequitur, prout debet, vera erit; sed hæc nonnisi unica esse potest: ergo. Veram Religionem esse eam, quæ Divinam Revelationem revera sequitur, prout debet, tum Latitudinarii, tum alii Sectarii omnes consentire debent, quum, ipsis quoque sentientibus, Divina Revelatio innitatur veracitati Dei revelantis, qui neque fallere, neque falli potest, ideoque ea Religio vera esse debet, quæ ea, qua par est, ratione Divinam Revelationem sequitur. Unicam vero tantum esse posse hanc Religionem, quæ Divinam Revelationem ea, qua par est, ratione sequitur, ita evincitur. Sicuti ceterarum rerum, ita quoque Divinæ Revelationis unica tantum veritas esse potest: ergo etiam unica tantum esse potest vera Religio, quæ Divinam Revelationem ea, qua par est, ratione sequitur.

Deinde quæ Deus revelavit vera esse oportet: ergo Religio, quæ omnia divinitus revelata suscipit, atque veneratur, vera est: ergo unica tantum esse potest. De antecedenti propositione, & altera ex ea illata, certum esse debet apud omnes, qui Divinam Revelationem admittunt, contra quos modo disputamus. Ex illis autem recte inferri unicam tantum veram Religionem

(a) Ad judicium Sacræ Scripturæ quoad res fidei appellandum solummodo esse una cum Protestantibus etiam Latitudinarii sentiunt. Vide Bossuetum *Avertissemens aux Protestans. Avertiss. 6.*

(b) Vide Sacræ Scripturæ testimonia in probationibus præcedentis propositionis a nobis citata.

nem esse posse, per se constat: nam si aliqua Religio in admittendis revelatis excedat, vel deficiat, aut admittit, quæ vera non sunt, aut non admittit, quæ vera sunt: ergo unica tantum, est quæ admittit, quæ vera sunt: ergo unica tantum, quæ admittat, qua par est, ratione omnia divinitus revelata, vera esse potest (a).

Tandem Religio vel conformatur, prout debet, Divinæ Revelationi, vel non conformatur: si conformetur; vera erit: falsa autem, si non conformetur. Sicuti ergo inter verum, & falsum dari non potest aliquod medium, ita etiam inter Religionem, quæ Divinæ Revelationi conformatur, vel non conformatur: ergo si quæ conformatur, vera est, falsa autem, quæ non conformatur; Religio vera nonnisi unica, & indivisibilis esse potest.

At vero de unitate veræ Religionis etiam independenter a Divina Revelatione constat. Nam veritas una est, atque in se indivisibilis: ergo etiam Religio vera nonnisi unica, & indivisibilis esse potest. Deinde Deus est summa sanctitas, atque fons, & origo perfectionum omnium: ergo repugnat, ut tum veritate, tum mendacio coli possit: ergo vero cultu solummodo honoratur: verus autem cultus unus tantum esse potest, sicuti una veritas: ergo.

Corollarium I.

Vera ergo Religio omnem consociationem cum diversis dogmatibus aliarum quarumcumque Religionum a se diversarum excludere debet.

Vera enim Religio una tantum esse potest, uti modo demonstravimus: itaque nullam quoad dogmata consociationem cum aliis Religionibus pati debet. Quapropter sicut si verum cum falso intermisceatur, secundum eam rationem, qua intermiscetur, verum esse desinit, & simpliciter verum amplius dici non potest: ita si vera Religio cum falsa intermisceatur, secundum eam rationem, qua intermiscetur, vera esse desinit, & simpliciter vera amplius dici non potest.

Corollarium II.

Vera itaque Religio nullam aliam Religionem a se diversam tollerare potest; atque intollerantia veræ Religionis proprius character esse debet.

Tollerantia enim quamdam consociationem secum affert: consociationem autem

(a) Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 6. fidem esse unam virtutem tam si ea sumatur pro habitu, quo credimus, quam si accipiatur pro iis, quæ credimus, ita evincit: „ Dicendum, *inquit*, quod fides, si „ sumatur pro habitu, dupliciter considerari „ potest. Uno modo ex parte objecti, & sic „ est una fides: objectum enim formale fidei „ est veritas prima, cui etiam inhærendo „ credimus quæcumque sub fide continen„ tur. Alio modo ex parte subjecti, & sic „ fides diversificatur, secundum quod est di„ versorum. Manifestum est autem quod fi„ des, sicut & quilibet alius habitus, ex for„ mali ratione objecti habet speciem, sed ex „ subjecto individuatur. Et ideo si fides su„ matur pro habitu, quo credimus, sic fi„ des est una specie, & differens numero in „ diversis. Si vero sumatur pro eo quod cre„ ditur, sic etiam est una fides, quia idem „ est, quod ab omnibus creditur; & si sint „ diversa credibilia, quæ communiter omnes „ credunt, tamen omnia reducuntur ad u„ num „.

autem nullam vera Religio habere potest cum dogmatibus alterius Religionis a se diversæ, uti ex præcedenti corollario constat: ergo vera Religio nullam aliam Religionem a se diversam tollerare potest. Immo sicuti veritatis propria nota est, nullam cum errore consociationem admittere; ita etiam proprius character veræ Religionis esse debet intollerantia cujusvis alterius Religionis.

Ex hoc autem constat, quonam tandem in pretio ipsam Religionem habeant nonnulli, ut se ipsi jactant, Philosophi nostri temporis (a), qui contra intollerantiam invehunt, ex eo quod per eam unus contra alium concitetur. Si enim ab hisce hominibus quæras, an consociatio sit ineunda cum iis, qui tranquillitati Reipublicæ, & civili statui adversantur; ineundam non esse sine dubitatione respondent, quamvis inde futurum sit, ut graves dissensiones non oriantur: de Religionis autem bono si agatur, si sermo sit de incolumitate veræ Religionis, ubique dissensiones timent, ubique bella formidant, deque mutua consensione summam curam habent. Hoc autem si argumento non est, nullo modo eis cordi esse veritatem Religionis, nihil aliud arbitror esse posse.

At quamvis vera Religio nullam consociationem habeat, aut habere possit cum aliis Religionibus; tamen inde non consequitur, sicuti Latitudinarii effutiunt, ut hominum animi inter se dividantur, unusque alteri inimicus evadat. Qui enim veram Christianam Religionem profitentur, ejusque præcepta servant, quod sibi Christus Dominus mandavit, ut eos quoque diligant, a quibus mala acceperunt, semper suæ menti propositum habent: indeque est, ut si amore eos quoque complecti debent, & revera complectuntur, qui aliquo sibi detrimento fuere, eadem ratione se gerere debeant, ac revera se gerant erga omnes alios, qui alia, ac ipsi, dogmata sequuntur, quum ab istis nullum detrimentum accipiant. Illorum ergo errores odio habentur ab iis, qui veram Christianam Religionem profitentur, eosque, si possent, in viam salutis, atque veritatis revocare vellent. In quo sane tantum abest, ut animi alieni vestigia aliqua occurrant, quin potius evidentissime apparet, nihil magis eis cordi esse, quam veram solidamque utilitatem aliorum (b).

Profecto aut expers omnino sit eruditionis, & historiæ, qui ignoret, aut malæ fidei sit oportet, qui dissimulare velit, jam inde ab Ecclesiæ initiis usque ad hæc tempora perpetuo, ac sine interruptione, veræ Religionis Professores quantopere, quantisque cum suis incommodis, periculisque barbaros, atque infideles ad Dei cognitionem, & ad salutem adducere curaverint, & curent: quod quum faciunt, hominum nimirum a se de Religione dissentientium sa-

(a) Vide inter alios Rousseaum tom. 3. in *Emilio* pag. 172.

(b) Etiam Ethnici quondam objecere Christianis, quod dissensiones soverent, secularibusque potestatibus infesti essent. Hanc sane calumniam Apologistæ Christianæ Religiones repulerunt. Inter ceteros ita S. Justinus *Apologia* 1. nu. 17. „ Illud, *inquit*, etiam „ studio nobis est, ut vectigalia, & census „ iis, quibus hoc munus commisistis, primi „ omnium pendamus, quemadmodum ab eo „ sumus instituti. Illo namque tempore accedentes quidam percunctati sunt ex illo, „ an Cæsari vectigalia pendere oporteat? qui „ responsum hoc ab eo retulere: *Dicite*, inquit, *mihi*, *cujus imaginem nummus habet*? qui ubi dixissent, *Cæsaris*: *reddite igitur*, ait, *quæ Cæsaris sunt*, *Cæsari*, *quæ Dei Deo*. Proinde nos solum Deum „ adoramus; vobis autem in rebus aliis læti „ servimus, Reges, ac Principes hominum „ esse agnoscentes, & simul precantes, ut „ cum regia potestate sanam quoque mentem obtinere comperiremini „. Hac de re legatur etiam Athenagores in *Legatione pro Christianis* nu. 37., atque Tertullianus in *Apologetico* cap. 30.

luti, & utilitati etiam cum impendio suæ vitæ serviunt. Quod autem hæreticos Ecclesia non solum hortando, & monendo doceat, sed etiam vi coerceat, ea ratio est, quod hi non ut alieni invitantur, sed ut transfugæ constringendi sunt: qua de re vide, si lubet, S. Thomam 2. 2. quæst. 10. art. 8., quæst. 11. art. 3., quæst. 25. art. 6., nobis enim non est nunc longius digrediendum.

COROLLARIUM III.

Falsæ Religionis ea conditio est, ut quoad dogmata consociationem cum aliis Religionibus a se diversis inire possit.

Nam licet veritas cuicumque falsitati opponatur, & una tantum sit, atque indivisibilis, non tamen falsitas cuicumque falsitati opponitur, nihilque obstat, quin duo æque falsæ inter se uniantur, & consocientur. Et re quidem vera, ut ad rem nostram peculiariter deveniamus, si semel constituatur, Divinam Revelationem esse Divinæ auctoritatis, & tamen nonnulli Christianorum sese rejicere posse putent aliqua eorum, quæ divinitus revelata sunt; hi etiam alios damnare non poterunt, qui aliqua alia divinitus tradita, & revelata contempserint, atque rejecerint. Nam quo ipsi jure usi sunt, eodem quoque alii utuntur. Hinc vero est, ut non solum Ethnici & pro diversitate regionum variis Religionibus sese accommodaverint, & Divinitates, atque superstitiones aliarum regionum in suam introduxerint (a); sed etiam Christiani, qui a fidei veritate declinaverunt, vel omnes omnino sectas, vel saltem aliquas tollerandas esse statuerint. Contra autem vera Christiana Religio nullam cum aliis sectis, licet Christianis, quoad dogmata consociationem aliquando iniri posse censuit. „ Etsi non est ignoratio Dei (ita quondam Auctor *Quæstionum* „ *Christianarum* ad Græcos [b]), quod eam omnes communi confiteantur sen- „ tentia: quænam in hac vita obvenit mortalibus notio Dei, nisi specialis illa „ cognitio, ex qua fit, ut omnes, quæ in terris sunt Religiones, mendaciis „ quidem simpliciter ab ea, quæ veritatem profitetur, mendacii discrimine „ a se invicem differant „. Ita ipse de Ethnicis: nos vero ad eumdem fere modum de Acatholicis dicere possumus: etsi apud eos non est ignoratio Divinæ Revelationis, quod eam omnes communi confiteantur sententia, ex qua fit, ut omnes sectæ Christianorum mendaciis quidem simpliciter a Catholica, quæ veritatem profitetur, mendacii autem discrimine a se invicem differant. Quapropter sicut olim Athenagoras in sua priori *Legatione pro Christianis* nu. 14. Ethnicis calumniantibus, quod Christiani non colerent eosdem Deos, ac alii cives, reponebat: „ Quod autem queruntur, cur non eosdem, ac civitates adea- „ mus, & colamus Deos, ineptum sane est... Quum igitur enumeratis di- „ versis opinionibus de Diis, inter se ipsi de Diis suis dissentiant, quid nobis „ cri-

(a) Athenagoras ita incipit suam primam Legationem pro Christianis: „ Vester „ orbis, Maximi Reges, aliis alibi mori- „ bus utitur, & legibus; nec quisquam le- „ ge, aut judicii metu patria instituta, e- „ tiamsi ridicula fuerint, diligere prohibe- „ tur „. Postquam autem nonnulla de diversitate cultus juxta diversitatem populorum narravit, ita concludit: „ Uno verbo in „ omnibus gentibus, & populis sacra homi- „ nes, quæ ipsis placuerint, & mysteria co- „ lunt „.

(b) In Appendice ad Opera Apologistarum Christianæ Religionis secundum editionem Patrum Maurinorum.

„ crimini vertunt, quod non in easdem, ac ipsi, opiniones feramur „? Quod autem queruntur [nos item Acatholicis reponere possumus] cur nos cum ipsis non sentiamus, ineptum sane est. Quum enim, diversis opinionibus, quas ipsi tenent, enumeratis, inter se ipsi dissentiant, quid nobis crimini vertunt, quod non in easdem, ac ipsi, opiniones feramur? Mirandum vero non est, si ob hanc quoque rationem heterodoxi Catholicæ Religioni infensi sint: nam ob eamdem Christianæ Religioni etiam Ethnici quondam adversabantur. „ Quid „ est igitur, o Græci [inquit Tatianus in *Oratione contra Græcos* num. 4.], „ cur tamquam in pugilatu aliorum instituta incitare in nos velitis? At si non- „ nullorum institutis uti nolo, cur tamquam scelestissimus odio habeor? Jubet „ Rex tributa pendere? paratus sum solvere. Servire, & ministrare Dominus? „ servitutem agnosco. Homo enim, ut hominem decet, colendus est: solus „ autem Deus metuendus, qui nec oculis humanis cerni potest, nec arte com- „ prehendi. Hunc negare si jubear; hac tantum in re non parebo, moriar- „ que potius, ne mendax, & ingratus arguar „. [a]

Quod autem aliqui crimini vertant Catholicæ Religioni, quod per eam non permittatur, ut filii illius imbuantur iis præceptis, quæ Religioni Christianæ opponuntur, faciunt quod Celsus, quem refellit Origenes Christianos accusantem, quod suos discipulos ad alios accedere prohiberent. „ Christianismi „ doctorem [ita Celsus apud Origenem lib. 3. cont. eumdem num. 75.] simile „ quid facere illi, qui sanitatem corporis pollicitus prohiberet, quominus pe- „ riti medici accerserentur, ne sic sua proderetur imperitia „. Ei autem Origenes ita respondet: „ Verum etsi ab Epicuri philosophia, Epicureisque me- „ dicis eos revocamus, qui ab illis in errorem perducti sunt, nonne justissima „ de caussa facimus? Sic enim illos tutamur a gravi morbo, in quem illos in- „ jecerunt medici Celsi, quum providentiam sustulere, & commenti sunt, sum- „ mum bonum esse voluptatem. Non igitur parvulis, non rusticis, non fatuis „ auctores sumus, ut medicos fugiant: non illis dicimus: *cavete, ne quis ve- „ strum attingat scientiam*: neque dicimus, quid malum esse scientiam: neque „ eo insaniæ provecti sumus, ut cognitione censeamus homines ab animæ sa- „ nitate moveri; aut quemquam unquam a sapientia fuisse depravatum. Etsi „ docemus, nemo tamen nostrum dixit: *mihi adhærescite*: sed potius Deo re- „ rum omnium adhærescite, & Jesu illius doctrinæ doctori: neque etiam quis- „ quam nostrum ita est arrogans, ut dicat sociis, quod tamen uni ex nostris „ doctoribus assignavit Celsus: *ego solus salvos vos faciam*. Vide igitur quam „ multa contra nos mentiatur „.

AR-

(a) A primis Christianis etiam impendio mortis semper fuisse diligentissime servatum, ut ne una quidem vocula a Christiana Religione deficerent, *contra Celsum* lib. 7. num. 39. tradit Origenes, qui eumdem Celsum vocantem Christianos *meticulosum genus* ex hoc capite refellit: ait enim: „ Meticulosum genus vocat homines, qui, „ ne vel una vocula Christianismum ejurent, „ ad mortem usque firmiter pugnant, parati „ quodvis supplicii mortisque genus sustine- „ re „. Quo sane constat agendi rationi, quam primi Christiani constantissime tenuere, eam, quam modo Catholici sequuntur, prorsus conformem esse, omnino autem contrariam, quam Latitudinarii sectantur.

ARTICULUS III.

NUM REVELATA RELIGIO DESTRUATUR, SEMEL AC ADMITTATUR, SACRAS LITTERAS UNUMQUEMQUE PER SE INTERPRETARI POSSE.

SI in iis, quæ divinitus revelata sunt, quispiam ita erret, ut nullum Divinæ Revelationis judicem infallibilem esse, sed unumquemque eam per se interpretari posse arbitretur; tunc omnem auctoritatem Divinæ Revelationis prorsus tolli contendimus. Hoc vero est, quod in sequenti propositione contra Protestantes demonstrare, eorumque systema tale esse, evincere conabimur, ut per illud nulla auctoritas Divinæ Revelationis reliqua sit.

Propositio. Auctoritas Divinæ Revelationis omnino tollitur, semel ac unicuique Sacras litteras per se interpretari liceat.

Prob. propositio. Omnibus suo jure æqualiter uti licet: ergo si omnes æqualiter habent jus interpretandi quæ divinitus revelata sunt, eorum sese interpretes æquo jure facere poterunt: ergo prorsus actum erit de auctoritate Divinæ Revelationis. Primam consequentiam distincte demonstrabimus, alteram vero deinde cum ea necessario connexam esse evincemus.

Semel ac ergo aliquod jus est commune omnibus, nemo injuriam alteri facit, si eo utatur: immo si quispiam velit, ut eo alter non utatur, injuriam procul dubio illi facit. Quare si jus interpretandi Sacras Scripturas convenit omnibus, nemo unus alterum ab hoc jure exercendo excludere potest, neque propter majorem scientiam, quam se habere ipse putet, neque propter illustrationem Divini spiritus, quam sibi arroget. Nam, quamvis qui excluditur, præsumptuose agere non velit, suamque imperitiam ultro fateatur; illud tamen semper absque ulla audacia, & præsumptione reponere poterit, infallibile non esse judicium alterius utpote hominis, quovis tandem doctrinæ genere, atque eruditione instructus sit: errandi ergo periculo quum æque ipse, ac alius, obnoxius sit, suam potius, quam aliorum interpretationem se sequi velle, æquo jure contendet. Exquirere deinde poterit, num per se manifesta, aut obscura sint, quæ divinitus revelata sunt: si per se manifesta esse ei reponatur; tunc ea interpretandi munus sibi quoque arrogare poterit, quum ad ea cognoscenda, quæ manifesta sunt, nihil amplius requiratur, quam lumen ipsum rationis, quo unusquisque præditus est: si autem obscura esse dicantur; immo tantam in se continere obscuritatem, ut maxima difficultas in eorum interpretatione sit; tunc illud semper opponet, neminem sibi confidere posse, se assequutum esse verum sensum Sacrarum Scripturarum, adeoque liberum unicuique esse, ut accipiat eo sensu, quo ipse voluerit. Deinde hæc duo inter se pugnare semper urgebit; hoc est, unumquemque Sacras litteras per se interpretari posse, & in earum interpretatione plures difficultates occurrere.

Quod vero attinet ad illustrationem Divini Spiritus, quisnam erit, qui, sententia Protestantium semel posita, sibi quoque eam arrogare non possit? Profecto non rudis imperitusque de plebe homo, non muliercula, aut delira quævis anicula. Nam vel requiritur illustratio Divini Spiritus ad interpretationem Sacrarum Scripturarum, vel non requiritur: si requiri dicatur; ex eo quod admittant Protestantes esse unumquemque interpretem Divinarum Scriptura-

turarum, dare quoque debent, unicuique hujusmodi illustrationem præsto esse; quando Sacras litteras interpretari voluerit: si autem non requiritur; tunc non erit, cur quispiam propter illustrationem Divini Spiritus supra alterum sese extollat, atque propter eam contendat, se, & non alterum, Sacras litteras interpretari posse. Deinde si idiota imperitusque homo, atque etiam muliercula contendant, se duci Divino Spiritu in interpretatione Sacrarum litterarum, qua tandem ratione ab eo refelli poterit, qui contra sentit? quomodo demonstrabit, sibi, & non illi, Divinum Spiritum præsentem esse? quo argumento Divinitatem sui spiritus, & falsitatem alterius evincet? Nimis ergo manifestum est, sententia Protestantium semel posita, jus interpretandi Sacras Scripturas nemini denegari posse [a].

Hoc autem semel posito, de auctoritate Divinæ Revelationis omnino actum esse contendimus: quod quidem secundo loco a nobis demonstrandum erat. Tunc enim nulla amplius reliqua est firmitas Divinæ Revelationis, quando ea pendet a maxima diversitate opinionum, sententiarum, & judiciorum, quæ esse possunt, atque revera sunt inter homines; sed auctoritas Divinæ Revelationis penderet a maxima diversitate opinionum, sententiarum, atque judiciorum, quæ esse possunt, & revera sunt inter homines, si omnes legitimos illius interpretes esse ponatur: ergo semel concessa omnibus facultate interpretandi Sacram Scripturam, de auctoritate Divinæ Revelationis omnino actum erit. Major propositio constat. Sicuti enim opiniones, sententiæ, & judicia hominum inter se diversa, immo sæpe etiam contraria sunt; ita etiam Divina Revelatio, quæ quoad sui interpretationem penderet a diversitate opinionum, sententiarum, & judiciorum humanorum, & diversa esse, & quandoque sibi opponi deberet, ideoque Deus per Divinam Revelationem non manifestasset veritatem, sed quod in mentem hominum cadere potest. Ex hoc autem si auctoritas Divinæ Revelationis non omnino pervertatur, non video sane unde perverti possit. Minor quoque propositio manifesta est. Uti enim supra evicimus, omnes æqualiter habent jus interpretandi Sacras litteras: ergo quæ ab unoquoque interpretatio fiat, æquo jure facta erit: sed interpretatio, quæ æquo jure fit, rejici non potest: ergo admittenda erit: ergo ab interpretatione omnium

(a) Ii, qui in tanta opinionis absorditate versantur, ut affirment convenire omnibus interpretationem Sacræ Scripturæ, necesse non esse concedunt, ut quispiam utatur inquisitione ad ea intelligenda, quæ divinitus revelata sunt. Fatentur enim hanc agendi rationem *absurdam*, *impossibilem*, *ridiculamque esse*, atque *supra cognitionem imperitorum*. Ajunt ergo, quæ divinitus revelata sunt, intelligi ex eo posse, quod veritas ipsa per se mentem nostram perstringat; qua quidem ratione in infidelibus fides nascitur: unde affirmant rectam fidem ab ipsa veritate produci, quæ eo modo, quo oculos lux corporalis, mentem percellit. Hæc autem Protestantium placita esse, videre unusquisque potest apud Bossuetum in *Monitis* ad *Protestantes* par. 3. *Monito* 6. num. 22. & 23. Verum enim vero inde magis magisque manifestum fit, quod nos volumus. Si enim ipsa veritas quoad intellectionem Divinarum Scripturarum ea ratione, qua lux corporea oculos, mentem ipsam percellit, cuinam tandem vera interpretatio Divinarum Scripturarum denegari poterit? Si examen, quod *attentionis*, & *applicationis* vocant, nihil aliud est, quam quidam animæ *gustus*, ut ipsi dicunt, quo anima bonum a malo, verum a falso, sicuti palatus dulce ab amaro distinguit, atque hujusmodi examen ad intelligendas Sacras litteras solummodo requiritur, sicuti ab iisdem statuitur, quinam tandem intelligendæ Sacræ Scripturæ idoneus non erit? idem ergo juris interpretandi Sacram Scripturam habere omnes eadem ratione secundum principia Protestantium nimis manifestum est.

vium hominum Divina Revelatio pendebit: ergo pendebit a maxima diversitate opinionum, sententiarum, & judiciorum, quæ sunt inter homines.

2. Nulla est cujusvis legis auctoritas, semel ac unusquisque, prout sibi videbitur, eam interpretari possit: ergo semel ac ponatur esse omnes interpretes Divinæ Revelationis, nulla ejus auctoritas reliqua erit. Ant. constat. Tunc enim non lex, sed diversum judicium, quod diversi homines de ea faciunt, auctoritatem habebit: unde lex aliquando obligabit, prout iste, non obligabit, prout ille censuerit: rem unam præcipiet juxta aliquorum, aliam vero juxta judicium aliorum: immo lex omnino servanda erit, si nonnulli, nullo autem modo servanda, si ceteri audiantur. Nullam ergo auctoritatem ipsa lex habebit. Si autem auctoritas cujusvis legis omnino corruit, semel ac omnes interpretes illius esse ponatur; idem quoque de auctoritate Divinæ Revelationis sentiendum erit, si omnes interpretes illius sint.

3. Infallibilitati Dei revelantis innititur auctoritas Divinæ Revelationis; sed per hoc quod omnes sint interpretes Divinæ Revelationis, omnino tollitur hujusmodi infallibilitas: ergo oportet ut simul etiam tollatur auctoritas Divinæ Revelationis. Prob. mi. Per hoc quod omnes sint interpretes Divinæ Revelationis, unusquisque quo sensu eam accipiendam esse putaverit, ita accipere poterit, ideoque secundum varias opiniones, sententias, & judicia diversorum hominum, modo res una in Divina Revelatione præcipietur, modo altera, modo nulla: ergo per hoc, quod omnes sint interpretes Divinæ Revelationis, omnino tollitur ea infallibilitas, a qua pendet auctoritas Divinæ Revelationis. Quod enim infallibile est, unum idemque semper esse debet, quia falsitati quidem non opponitur mutabilitas, veritati autem quam maxime contrariatur.

Et re quidem vera, ut in exemplo superius allato sistamus, tum sapientes, tum quoscumque de plebe homines leges a principe latas interpretandi explicandique jus habere ponamus. Quis inde certo futurum esse non videat, ut totius politiæ vis atque potestas omnino corruat, atque dilabatur? Profecto ipsa experientia compertum habemus, de iis quoque rebus inter se dissidere homines, quarum parvi, aut nihil ad illos refert, quæque sive hac, sive illa ratione sese habeant, neque utilitatem, neque damnum ipsi percipiunt. Hinc vero est, ut multo magis, sicuti ipsa quotidiana experientia confirmat, homines inter se divisi in iis sint, quæ ad propriam cujusque utilitatem referuntur. Quapropter ad ea servanda, quæ ab ipsa lege præcipiuntur, adstrictum se non esse, tunc unusquisque interpretabitur, & suo quidem jure interpretabitur, semel ac hujusmodi facultate præditus sit, quando observatio legis cedit in damnum ejus; contra vero alter legem obligare contendet, & ipse quoque suo jure contendet, quia in hypothesi ipse quoque legem interpretandi facultatem habet, quando observatio legis utilis ei fuerit. Immo quum per leges Principis subditis id faciendum imponatur, quod licet tendat ad commune bonum, de quo unusquisque participat, tamen ob eam quidpiam oneris ab unoquoque peculiari homine subeundum sit; inde est, ut unusquisque homo peculiaris utendo jure sibi concesso, sua interpretatione ab hujusmodi onere sese eximere, & a præsenti incommodo sese liberare poterit, atque ita fiet, ut quæcumque a Principe conditæ leges omnino eludantur. Hac autem licentia etiam quoad leges Divinas semel admissa, nonne eadem ratione & illæ quoque omnino perverti, ac destrui debent? Quid? nonne ipsæ quoque Divinæ

næ leges quoddam onus homini imponunt? nonne & intellectum ejus sibi subjiciunt, & voluntatem sibi obligant? nonne multa nobis imperant, quæ impleri non possunt, nisi vim nobis inferamus? Si ergo unusquisque easdem interpretandi potestatem habet, non aliter ac in alio quovis genere legum contingeret, earumdem auctoritas tolletur omnino, quia nemo erit, qui in propriam utilitatem suo jure non utatur, atque ita fiet, ut nullum in iis præceptum reliquum sit, quod obligandi vim habeat. Semper ergo magis magisque constat, per eam potestatem interpretandi Sacras litteras, quam uniuscujusque propriam esse, Protestantes asserunt, omnino tolli, atque destrui Divinam auctoritatem Sacrarum litterarum.

Verum enim vero, Protestantes fortasse reponent: tunc tota hæc argumentatio concluderet, quando in Sacris litteris nihil certi constitutum esset, quod nemo non credere, firmissimeque tenere deberet; at quum quædam hujusmodi sint in Sacris litteris, non est, cur quispiam auctoritatem Sacrarum litterarum inde omnino tollendam, atque destruendam esse autumet, quia earumdem interpretandarum jus omnibus adjudicatur. Nam inter fidei articulos distingui oportet: quidam eorum *fundamentales* sunt, quidam vero *non fundamentales*: illos suscipere, admittere, firmissimeque tenere unusquisque debet; illos autem ut quispiam suscipiat, vel non suscipiat, nihil ad fidei substantiam refert [a]. Sua ergo Sacris litteris auctoritas Divina consistit, quamvis omnes earum interpretes sint.

Ita ne vero? Profecto unum alteri magis contrarium esse non potest, quam est ipsi systemati Protestantium hæc distinctio articulorum fundamentalium, & non fundamentalium. Illud ergo ab eis primum quæro undenam tandem habeant id juris, quo constituunt aliquos articulos esse fundamentales, alios non item. Profecto quum agatur de definienda re gravissima omnium, a qua uniuscujusque æterna salus pendet infallibiliter, necesse quoque est, ut certissima, atque infallibilis sit auctoritas, qua de ea definitur. At vero nullam infallibilem auctoritatem neque in quovis privato homine, neque in quovis Ecclesiastico cœtu, aut Ecclesiæ præside, Protestantes admittunt: ergo secundum eos nulla datur hujusmodi auctoritas certissima, atque infallibilis: ergo nullus est in Ecclesia secundum eos, qui de articulis fundamentalibus, & non fundamentalibus aliquid certo definire possit. Unde ergo ipsi id auctoritatis sibi vindicant, quæ peculiari, atque potissimo a se constituto principio, hoc est, nullum judicem infallibilem in Ecclesia esse, omnino adversatur? sibi ergo contradicunt, dum hanc de articulis fundamentalibus distinctionem invehunt.

Deinde juxta principia Protestantium nonne omnes æque habent facultatem interpretandi Sacram Scripturam? ergo omnes quoque de articulis fundamentalibus definire possunt: ergo non est, cur quispiam constituat, aliquos articulos esse fundamentales, & a nemine negari posse, si æternam salutem consequi velit: nam alius eadem auctoritate semper reponere poterit, se non putare

(a) Inter alios Jureus expresse tradit, in Sacris litteris valde multas tum juris, tum facti contineri veritates, quarum ignorantia nullo modo damnari potest, proindeque tolerandum eum esse, qui errat quod istas uti legere est apud Bossuetum in *Monitis* ad *Protestantes* par. 3. *Monito* 6. num. 33. & 49. Illud quoque affirmat idem Jureus in lib. *de Universitate Ecclesiæ* Tract. 6., articulos fundamentales esse principia essentialia Christianismi.

tare eosdem articulos esse fundamentales. Sicuti vero aliquos articulos peculiares, quos quispiam fundamentales esse statuat, tales revera non esse alius eodem jure decernere possit; idem quoque de omnibus aliis fundamentalibus articulis sentiendum est, ita ut nullus omnino sit, quem ut non fundamentalem quispiam habere non possit: ergo hujusmodi articuli ad illudendum aliis fundamentales dicuntur, quum nullum certum fundamentum revera habeant, nullamque certam auctoritatem, cui innitantur.

Nihil quoque magis absurdum dici potest, quam aliquos articulos esse fundamentales, aliquos non fundamentales eo sensu, quo a Protestantibus esse ponuntur. Fundamentales enim eos esse volunt, quibus nemo non assentiri debeat; non fundamentales autem, quibus etiam non assentiri quispiam potest. At vero si omnes articuli fidei eamdem Divinam auctoritatem habent, si omnes divinitus revelati sunt, si omnes Deum auctorem habent; aut prorsus omnes una eademque ratione obligare debent, aut nullus erit, qui certam obligationem inducat. Nam quæ ab ipso Deo revelata sunt, vel habent auctoritatem ab ipso Deo, vel non habent: ea non habere auctoritatem ab ipso Deo, neque etiam Protestantes dicere possunt, nisi Religioni Revelatæ aperte renuntiare velint: habent ergo, ipsis quoque consentientibus, auctoritatem ab ipso Deo revelante: itaque si omnia a Deo revelante auctoritatem habent, omnia uti divinitus nobis data ab ipso Deo æqualiter suscipi debent ab omnibus: ergo nihil absurdius confingi potest ea distinctione articulorum fundamentalium, & non fundamentalium, quam Protestantes ponunt; & si semel ea ponatur, totam Divinam auctoritatem Sacrarum Scripturarum omnino tolli, atque perverti necesse est. Nam semel ac Divina auctoritas Dei revelantis contemni possit, tota Divina Revelatio, uti supra dicebamus, omnem suam auctoritatem amittit.

Tandem Protestantium principium, illudque potissimum, est, Sacram Scripturam esse unicam regulam ejus fidei, quam Christiani profitentur. Si ergo Sacra Scriptura, quemadmodum ipsi statuunt, est unica regula fidei, quoniam hic agitur de iis, quæ omnes suscipere tenentur, itemque de aliis, quæ non oportet, ut omnes suscipiant, ex ipsis Divinis litteris suam de articulis fundamentalibus, & non fundamentalibus distinctionem eruere deberent: at vero id nunquam evincent, quin potius de suo errore certissime convincuntur ex iisdem Sacris litteris, uti constat ex illis testimoniis, quæ a nobis articulo præcedenti in confirmationem nostræ propositionis allata fuere: fingunt ergo, aut se fingere suspicandi occasionem aliis præbent, quando se tueri statuunt, Sacram Scripturam unicam regulam esse debere fidei ipsorum Christianorum. Semper ergo evidentius constat, unum alteri magis contrarium esse non posse, quam sit ipsi systemati Protestantium hæc distinctio articulorum fundamentalium, & non fundamentalium.

Inepte quidem fieret, Protestantes reponunt, hæc distinctio inter articulos fundamentales, & non fundamentales, si qui sunt fundamentales, non haberent suas notas peculiares, ob quas a non fundamentalibus distinguerentur. Verum res ita se non habet: nam articuli fundamentales suas certas notas habent, propter quas a non fundamentalibus distinguuntur. Prima est Divina Revelatio: secunda eorum maxima utilitas, atque gravitas: tertia colligatio quarumdam veritatum cum ipso fine Religionis, hoc est cum gloria Dei, & salute,

lute, atque sanctificatione hominum (a). Deinde articuli fundamentales inde quoque cognoscuntur, quia, qui sunt tales, naturaliter obsequium sibi vindicant propter sui majestatem, sublimitatem, atque antiquitatem. Consensus quoque generalis omnium Christianorum in aliquem articulum, ita ut omnes eum semper tenuerint, & modo etiam teneant, fundamentalem eum esse dubitare non sinit (b). Postremo, inquiunt, facile distingui possunt errores, qui sunt damnabiles, ab iis, qui non sunt damnabiles, & veritates fundamentales a non fundamentalibus. Nam error aut est omnino involuntarius, aut est voluntarius in sua caussa: si caussa erroris est aliquis defectus voluntarius, qui evitari possit; tunc error crimini verti debet, ideoque in se damnabilis est: verum si caussa erroris non sit aliquis defectus voluntarius, si amo veritatem, eamque cum omni studio assequi contendo, si carnem, & sanguinem non consulo in opinionibus eligendis, sed Deum ipsum, & rationem ab eo mihi datam, si eam dispositionem habeam, ut propter infirmitatem tantum humanæ naturæ in errore sim; hujusmodi error non est damnabilis [c].

Verum enim vero eadem semper difficultate ipsi Protestantes implicati manent: illud enim eis semper dissolvendum est, qua tandem auctoritate hujusmodi notas constituant, per quas articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguantur. Nam secundum systema eorum eadem auctoritate, qua ipsi, alii quoque omnes præditi sunt quoad exponenda, & explicanda omnia, quæ continentur in Sacris Scripturis: ergo quo jure hasce notas ipsi constituunt, eodem ab aliis vel eæ omnino tolli, vel aliæ superaddi, aut omnes prorsus negari poterunt. Quando enim plures eamdem auctoritatem habent, nemo eorum injuriam alteri facit, si ea utatur, nullusque præsumere potest, ut quod ipse statuerit, ceteri quoque omnes, qui sunt ejusdem auctoritatis, amplectantur. Quotquot ergo Protestantes voluerint, hujusmodi notas, quibus articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguantur, constituere poterunt: tamen quum in systemate eorum nemo illis æquo jure non contradicere non possit, semper incertum remanebit, qua ratione articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguantur. Sed adhuc paucioribus quod modo volumus. Nemo unus eorum est, qui supra alium hac de re auctoritatem habeat: ergo nemo unus eorum est, cujus judicium hac de re alter suscipere, & venerari debeat: ergo nemo unus eorum est, qui certas hac de re notas constituere valeat: ergo nullæ hujusmodi notæ ab iisdem certo constitui possunt, quum quot homines, tot etiam genera notarum esse possint; sed ut unum ab altero distinguatur, per certas quasdam peculiaresque notas distingui oportet: ergo semper verum est, inepte imperiteque, atque contra ipsum systema, quod tuentur, distingui a Protestantibus articulos in fundamentales, & non fundamentales, quia nullæ certæ notæ ab iisdem assignari possunt, per quas illi ab illis distinguantur.

Jam si a quibusdam certis peculiaribusque notis eorum omnium, quæ inter se differunt, distinctio petenda est, multo magis peti debet etiam distinctio articulorum fundamentalium, & non fundamentalium. Nam si quæ un-

(a) Ita Jureus apud Bossuetum *Avertissemens aux Protestans Avertisse.* 6. par. 3. nu. 33.

(b) Idem Jureus apud Bossuetum citato loco num. 57.

(c) Ita Chilling-VVortius celebris Protestans inter Anglos in Opere inscripto: *La Religion. des Protestans una voie sûre aut salut* chap. 3. num. 52.

quam distinctio perspicua, evidens, atque certa esse debet, ea sana sit oportet, qua articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguuntur. Nam fundamentales, uti Protestantes dicunt, id continent, quod unusquisque suscipere, & amplecti debet, ut æternam salutem assequatur; non fundamentales vero quod complectuntur, tam suscipi, quam non suscipi ab unoquoque potest. De æterna ergo salute consequenda, vel amittenda agitur. Quapropter quum perspicuitas, evidentia, & certitudo distinctionis, quæ inter aliqua duo intercedit, a perspicuitate, evidentia, & certitudine notarum omnino pendeat; consequens inde fit, ut notæ, quibus articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguuntur, perspicuæ, evidentes, atque omnino certæ esse debeant. Tantum autem abest, ut notæ, quas Protestantes assignant, perspicuæ, evidentes, atque omnino certæ sint, quin potius, & evidenti falsitate ex laborant, ut mox ostensuri sumus, & nulla auctoritate constituuntur, sicuti jam evicimus.

Ipsas ergo notas modo expendamus, videamusque, num per eas ab omni difficultate Protestantes sese expediant. Prima ergo nota articulorum fundamentalium est ipsa Divina Revelatio: secunda est eorumdem maxima utilitas, atque gravitas: tertia est colligatio quarumdam veritatum cum fine ipsius Religionis; hoc est cum gloria Dei, & sanctificatione hominum. Belle sane: iisdem tamen difficultatibus semper magis magisque Protestantes implicantur. Quid? vel de iis agitur, quæ divinitus revelata sunt, aut agitur de aliis, quæ non sunt divinitus revelata: si de iis agi dicant, quæ non sunt revelata divinitus, sed unius, aut alterius doctoris auctoritatem in se tantum habent; tunc amplius quæstio non erit de articulis fidei, sed de privatis opinionibus, quorum alias esse fundamentales, alias non item, nemo unquam somniavit. De iis ergo, quæ sunt revelata divinitus, hic sermonem esse, sicuti revera faciunt, oportet, ut fateantur. Quapropter ita contra eos argumentor: per id, quod omnino æqualiter est commune duobus, unum ab altero distingui non potest; sed quod divinitus revelati sint, omnes fidei articuli æqualiter habent; alioquin fidei articuli non essent: ergo articuli fidei nullo modo per hoc inter se distingui possunt, quod divinitus revelati sint: ergo Divina Revelatio haberi non potest uti quædam nota peculiaris, per quam articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguantur.

Deinde quæ divinitus revelata sunt, ejusdem ponderis esse debent, quia omnia Divinæ auctoritati, atque infallibilitati æqualiter innituntur: ergo ex eo quod divinitus revelata sunt, non solum nullum inter ea discrimen esse potest, sed etiam tantum abest, per Divinam Revelationem articulos fundamentales distingui a non fundamentalibus, quin potius ex hac quoque parte manifeste constat, nihil magis ineptum, & futile ea distinctione esse, quam inter articulos fundamentales, & non fundamentales reponunt Protestantes.

Neque minus absurdum est, quod Protestantes affirmant de maxima utilitate, atque gravitate, quas uti certam notam haberi volunt, per quam articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguantur. Quandoquidem quisnam unquam definire poterit, in hoc articulo majorem utilitatem inesse, quam in alio? quisnam constituere hunc articulum propter sui utilitatem ad fidei essentiam pertinere, non vero alium, quia æqualem utilitatem non habet? quisnam determinare, licet plura eodem modo æque divinitus revelata sint, & sub

eodem

eodem præcepto credenda proponantur ; tamen aliqua eorum propter sui utilitatem ad fidei essentiam pertinere, aliqua non item? Profecto nulla datur apud Protestantes hujusmodi auctoritas, qua hac de re certo constituatur, quia unusquisque affirmandi jus æque habet, hunc articulum esse magnæ utilitatis, non vero illum ; contra alter illum, & non alium hanc utilitatem in se continere ; alius demum diversa ratione opinari poterit, atque ita nunquam possibile erit, ut ab ipsa eorum utilitate articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguantur.

Deinde in quo tandem consistat hæc utilitas, quæ fundamentalium articulorum propria est, oportet ut determinent. An fortasse in eo reponenda est, quod fides illorum ducit ad vitam æternam? At qua tandem ratione non omnia æqualiter ad vitam æternam ducunt, si Christus sub comminatione æternæ damnationis ea omnia credenda esse præcepit, quæ divinitus revelata sunt [a]? At vero quænam major utilitas esse, aut excogitari potest, quam quæ in eo articulo inest, quo credimus, nos sumere Christi corpus, & sanguinem in Eucharistiæ Sacramento, per quam sumptionem, sicuti Christus testatus fuit, & ipse in nobis manet, & nos in eo manemus [b]? Aut qua majori verborum claritate, & perspicuitate res proponi poterat, quam quibus verbis proposita a Christo est? Et tamen Protestantes Christi corpus, & sanguinem realiter in Eucharistia esse negant. Ergo dum utilitatem pro nota articulorum fundamentalium statuunt ; secum ipsis pugnant, & notas ipsi suas convellunt, & funditus destruunt.

Tandem rei cujusvis utilitas ex fine potissimum æstimanda est : quousque ergo Protestantes non evicerint ; quod sane nunquam facient, unum non esse finem omnium articulorum divinitus revelatorum, de eorum maxima absurditate opinionis semper constabit.

Quod autem de utilitate diximus, etiam de gravitate ob eamdem rationem affirmari potest. Hæc ergo quoque nota gravitatis inepte frustraque confingitur ad distinguendos articulos fundamentales a non fundamentalibus.

Hoc vero idem sentiendum est de eo, quod superaddunt de colligatione quarumdam veritatum cum ipso fine Religionis ; hoc est cum gloria Dei, & sanctificatione hominum. Nam ab iisdem primo quærimus, unde noverint, unde definiant, unde tandem constituant, has, & non illas veritates cum fine ipso Religionis connexionem habere ; istas, non vero alias ad gloriam Dei sanctificationemque hominum conferre? Quia istæ sunt revelatæ divinitus, non vero illæ, id vero affirmare non possunt : nam æque omnes sunt revelatæ divinitus. Unde ergo hoc noverunt? Immo qua auctoritate, vel quo jure id stabilire præsumunt? Nam (quum enim propter absurditatem opinionis, quam tuentur, eodem semper defectu laborent, idem & nos quoque semper contra eos jure urgemus) qua ipsi ratione dicunt, has veritates cum fine Religionis esse connexas, id ab alio juxta principia eorum æquali jure negari potest. Velle autem ut pro certa quadam nota, atque regula quoad illa, quæ sunt Religionis, & ad ipsam essentiam Religionis spectant, id habeatur, quod si al-

(a) Vide testimonia Divinarum Scripturarum a nobis citata in articulo præcedenti, quibus contra Latitudinarios evicimus unius, aut alterius articuli fidem non sufficere ad salutem æternam consequendam, sed ad eam necesse esse, ut ea, quæ Deus revelavit, firmissime omnia credantur.

(b) *Joannis* 7. v. 57. & seq.

ter negaverit, æquo jure, suaque auctoritate usus negaverit, summæ imperitiæ ac levitatis, immo stultitiæ esse, nemo non videt.

Si deinde quispiam ab iis quærat, quænam illa sint, quæ cum majori Dei gloria, & sanctificatione animarum connexionem peculiarem habent, quid tandem reponere poterunt? Quid vero facient, si eisdem quispiam objiciat, Sacramenta ab ipso Christo instituta, sicuti ex Sacra Scriptura evidenter constat, ab eis vel omnino e medio tolli, vel quæ in ipsis revera inest, efficaciam non admitti, quamvis nihil iisdem salubrius ad sanctificationem hominum, nihil aptius ad immensam Dei bonitatem, atque misericordiam erga nos manifestandam, ad ineffabilem, & omnino Divinum Christi amorem declarandum, esse, aut excogitari possit? Quid ad hæc? Non me latet esse dicturos, quæ de necessitate, atque efficacia Sacramentorum circumferuntur, in Sacra Scriptura tradita non esse, & iccirco neque etiam ad illud genus veritatum pertinere posse, quod cum Dei majori gloria, & sanctificatione animarum peculiarem connexionem habent. Verum quascumque tandem, atque cujusvis generis veritates ipsi tales, hoc est divinitus traditas esse voluerint; tamen in systemate eorum semper alter, atque etiam quilibet de plebe homo, reponere poterit, neque etiam eas in Sacra Scriptura esse traditas. Tantum ergo abest, ut per hanc notam majoris connexionis cum fine Religionis articuli fundamentales a non fundamentalibus distingui possint, quin potius, ea non obstante, semper tum de articulis fundamentalibus, tum de tota Divina Revelatione semper dubitandum erit.

At enim, inquiunt, articuli fundamentales saltem inde cognoscuntur, quia propter sui majestatem, sublimitatem, atque antiquitatem, obsequium naturaliter sibi vindicant. Ita ne vero? Majestatem, sublimitatem, atque antiquitatem, fundamentales, ut vocant, articuli fidei unde nam tandem habent? Profecto nonnisi a Divina Revelatione habere, ne Protestantes quidem negare possunt. At vero a Divina Revelatione quum omnes articuli fidei æque procedant, omnes quoque majestatem, sublimitatem, atque antiquitatem ab ea æqualiter habere debent: ergo majestas, sublimitas, atque antiquitas non est propria nota articulorum fundamentalium, sicuti requireretur, ut per eas isti a ceteris omnibus distinguerentur. Quid? (idem enim semper urgendum est:) anne per hoc quod uni Protestantium plurimum majestatis, sublimitatis, atque antiquitatis inesse videatur in uno articulo, idem quoque ab omnibus sentiendum erit, & non potius juxta principia eorum, unusquisque suo judicio stare poterit, quum eadem sit in singulis Sacras Scripturas interpretandi potestas? Quum unus ergo in aliquo articulo majestatem, sublimitatem, atque antiquitatem inesse; contra alter non in eodem, sed in alio articulo hæc omnia contineri, æquo jure in systemate Protestantium existimare possit, atque ita penes omnes sit eadem arbitrii potestas; inde sequitur, ut ex hoc quoque capite nulla certa nota articulorum fundamentalium determinari possit.

Quicumque autem sint articuli fidei, Protestantibus nunquam dabimus, quod ii fidei obsequium sibi naturaliter pariant. Nam *fides*, ut ait Apostolus *Hebræorum* 11. v. 1., est *sperandarum substantia rerum*, *argumentum non apparentium*. „ Per hoc enim (ita apposite ad rem nostram S. Thomas 2. 2. quæst. „ 4. art. 1.), quod dicitur *argumentum* distinguitur fides ab opinione, suspi„ cione, & dubitatione, per quæ non est prima adhæsio intellectus firma ad „ ali-

„ aliquid. Per hoc autem quod dicitur: *non apparentium*, distinguitur fides „ a scientia, & intellectu, per quæ aliquid fit apparens. Per hoc autem quod „ dicitur: *substantia sperandarum rerum*, distinguitur virtus fidei a fide com- „ muniter sumpta, quæ non ordinatur ad beatitudinem speratam „. Ex hisce vero omnibus illud constat, nihil absurdius dici posse, quam articulos fidei naturaliter obsequium sibi parere, quasi naturaliter eadem ratione, qua alicui veritati ex suis principiis vel naturaliter, vel per ratiocinium deductæ, etiam fidei articulis assentiremur. (a)

Saltem ergo erit certa nota articulorum fundamentalium consensus generalis omnium Christianorum. Minime vero gentium. Articuli fundamentales pertinent ad essentiam fidei, uti ipsi Protestantes tradunt: ergo sine fide eorum nemo vere fidelis esse potest: ergo unuiqui que eos nosse, & credere debet, ut sit revera fidelis: ergo unicuique, ut sit revera fidelis, ea ratio perspecta esse debet, qua articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguuntur. Quotusquisque vero est, qui videre possit, num fides aliquorum articulorum apud omnes Christianos generalem consensionem obtinuerit? qui vero ad id pertingent, quantum laboris prius insumere debent? quantum impendere temporis? quare & plerique in eorum ignoratione versabuntur, quæ pertinent ad essentiam fidei, & valde pauci post longum tempus diuturnosque labores tandem assequentur, quæ ad fidei essentiam pertinent.

At vero hac quoque in re Protestantes pro suo more sibi contradicunt: nam & aliquod in Ecclesia judicium certum, atque infallibile esse volunt, per quod unusquisque dirigatur in iis, quæ ad fidei essentiam pertinent; & nullum hujusmodi judicium esse statuunt. Volunt quidem certum, & infallibile judicium in Ecclesia esse, quia propter generalem consensionem omnium Christiano-

(a) Ut evincant Protestantes mysteria Trinitatis, & Incarnationis, uti fundamentalia naturaliter cognosci posse ita habent, uti apud Bossuetum legere est in *Monitis* ad *Protestantes Monito* 5. par. 3. num. 51. Homo sentit peccatum, indeque etiam sentit Deum contra se iratum esse, & juste expetere mortem ejus: sentit ergo necesse esse, ut Divinæ justitiæ perfecte satisfiat: ergo mediante infinito merito: ergo per infinitam personam: ergo per Deum hominem: ergo in Deo necesse est esse plusquam unam personam: ergo homo ob ipsam necessitatem, in qua est, Trinitatem, & incarnationem cognoscit, et hæc mysteria necessaria esse suæ saluti, atque iccirco fundamentalia. Ita ne vero? Nihil sane hoc parallogismo ineptius fingi potest. Quid? detur tantisper Protestantibus, sentire homines naturaliter, opem sibi esse Deo homine, qui satisfaciat pro peccatis eorum, anne inde consequitur, ut veniatur in cognitionem secundæ, & tertiæ Divinæ Personæ? Nam Personam, qua nos indigere sentiremus, unde constaret esse secundam a prima genitam, ei coæqualem, atque consubstantialem? Tertia vero Persona a prima, & secunda procedens unde nam tandem innotesceret? Mysterium ergo Trinitatis tantum abest, ut homines naturaliter sentire possint, quamvis advertant ad eam necessitatem, in qua sunt, quin contra illud a cognitione eorum remotum omnino est. Idem vero dicendum est etiam de mysterio Incarnationis. Nam ut certo cognoscatur, necesse fuisse Dei filium incarnari ad redimenda peccata nostra, illud quoque simul compertum esse deberet, nos a Deo salvari, aut nostra peccata nobis remitti non posse, nisi hac ratione. Deinde voluisse Deum, ut hac, vel illa ratione nostra peccata redimerentur, unde nam alicui naturaliter perspectum esse poterit? Unde nam cognitum, supposita etiam humana redemptione a Persona Divina peracta, duas præterea esse debere in Trinitate Personas? Nam Filius non secus ac Patri, & Spiritui Sancto, sibi quoque ipsi satisfecit pro peccatis nostris: unde una quoque Persona secundum humanam naturam assumptam sibi satisfacere poterat, quatenus Divinitatem habebat. Quis ergo non videat, ut multa alia omittam, nihil ineptius confingi posse, quam homines sentire naturaliter mysterium Trinitatis, & Incarnationis.

ftianorum in aliquem articulum fidei, illum articulum fundamentalem esse, & ad fidei essentiam pertinere decernunt. Nullum autem hujusmodi judicium esse volunt, tum quia Sacrarum traditionum nullam rationem habendam esse effutiunt, tum quia unumquemque, uti jam sæpe observavimus, habere facultatem interpretandi Sacram Scripturam, tuentur, neminemque propterea obligatum esse sese accommodare interpretationi, & judicio aliorum, quicumque tandem, cujusvis numeri, atque conditionis ii sint. Quocumque ergo Protestantes sese vertant, ut inveniant, unde notas articulorum fundamentalium constituant, in graves scopulos semper impingunt.

Tandem expendamus quod ultimo loco tradunt ad discernendas veritates fundamentales a non fundamentalibus. Ajunt ergo aliquem errorem non esse in eo damnabilem (& iccirco veritatem oppositam haberi non debere uti fundamentalem) qui amat veritatem, de ea diligenter inquirit, qui in eligendis opinionibus non consulit carnem, aut sanguinem, sed Deum ipsum, atque rationem. Aliquam fortasse speciem veri hæc in se habere, licet imperito de plebe homini videri possit; revera tamen in se talia sunt, ut iisdem nihil absurdius confingi valeat. Semper enim contra Protestantes, uti supra fecimus, illud urgere possumus, ex hoc futurum esse, ut & hominum maxima pars ignoret, quinam articuli sint fundamentales, atque ad fidei essentiam spectant, & siqui ad eos cognoscendos pervenient, nonnisi post longum laborem, diuturnum tempus, assiduamque diligentiam perveniant. Quandoquidem nonne maxima multitudo vel propter incapacitatem, vel propter certi cuispiam muneris occupationes in hujusmodi res non solum diligentius non intendet, sed ne leviter quidem inquiret? nonne qui id facere aggrediuntur, multum laboris, temporis, atque diligentiæ in hujusmodi examine insumant oportet? quinam ergo sint articuli fundamentales, & valde pauci cognoscent, & qui cognoscent, nonnisi post longum laborem, diuturnum tempus, assiduamque diligentiam cognoscent. Bella sane fides hæc est, & eorum ingenio digna, qui Ecclesiam se reformare velle audacter effutiunt! Verum pressius jam contra eosdem agamus.

Illud ergo quærimus, qua ratione articuli fundamentales dici debeant, an relate ad fidem, an vero relate ad ipsos credentes. Profecto nemo unquam dixerit, articulos fundamentales dici tales relate ad credentes, & revera ne ipsi quidem Protestantes dicunt, quum asserant articulos fundamentales pertinere ad essentiam fidei. Inde enim consequeretur, talem diversitatem in articulis fundamentalibus admittendam esse, qualis est in ipsis credentibus, habita ratione eorum omnium, propter quæ unusquisque diverso modo ab aliis sese habet; sicque nulli articuli essent amplius fundamentales, & ad fidei essentiam pertinerent. Nam ad fidei essentiam quomodo pertinebunt, si quot homines, tot diversi articuli fundamentales esse poterunt, nullusque erit, qui ab uno fundamentalis, ab altero autem non fundamentalis haberi non possit? Illud quoque accedit, aliquam veritatem dici fundamentalem, non quia ab uno, vel altero ut talis habeatur, sed quia in se spectata est fundamentum ceterarum. Dicendum ergo est articulos dici fundamentales relate ad fidem, & quidem etiam secundum principia Protestantium. At vero semel ac dicatur, aliquem errorem non esse damnabilem, ideoque oppositam veritatem non esse fundamentalem, quia quispiam fuit de inquirenda veritate sollicitus, & debitam diligen-

ligentiam adhibuit ; contra vero alterum errorem esse damnabilem, ideoque oppositam veritatem esse fundamentalem, quia quispiam non fuit de inquirenda veritate sollicitus, & debitam diligentiam non adhibuit; veritates dicuntur fundamentales relate ad credentes, non vero ad ipsam fidem: ergo dum Protestantes ad illud medium confugiunt, & pervertunt notionem, quam ipsi quoque tradunt, veritatum fundamentalium, & ipsam Revelatam Religionem omnino de medio tollunt. De priori constat ex demonstratis; alterum vero mox confirmaturi sumus: & hoc sane est, ut nemo non videt, quod evincere potissimum constituimus, licet ad praecludenda omnia effugia Protestantium, ab eo nos parumper digressi fuisse videamur.

Hoc ergo semel posito, quod aliquis in errore damnabili non versetur hoc ipso quod veritatem diligenter inquisierit, rationemque consuluerit, prout a se faciendum esse putabat; contendo Deistam etiam suam caussam apud Protestantes facile obtinere posse, immo debere. Quid? Ea ratione, Deista dicere potest, qua a me faciendum esse putavi, de ipsa Divina Revelatione, data opera, & diligenter inquisivi; post longum tamen examen tanta, tamque multa esse perspexi, propter quae nullam a Deo Revelationem aliquando hominibus factam esse persuasum mihi fuit, ut in hac ego opinione citra meam culpam persistendum esse ducam. Nam, uti vos dicitis, semel ac quispiam fuerit de veritate sollicitus, inque eam inquisierit, prout a se faciendum esse putabat, non consuluerit carnem, & sanguinem, sed ipsam rationem, & Deum; si in aliquo erret, citra sui damnationem errat. Non est ergo, cur me condemnetis, quum haec omnia praestiterim, & tamen in mea opinione persistendum a me esse videam. Sicut itaque vos damnari non vultis; ita & ego quoque, vobis ipsis auctoribus, damnari non debeo. Deinde (ita Deista ulterius urgere potest) nullum certum, & infallibile judicium secundum vos habetur, quo cognoscatur, num haec, vel illa sint revelata divinitus; immo num aliquando Deus nonnulla revelaverit hominibus; tam ergo quoad revelata, quam quoad ipsam Revelationem in ancipiti dubitatione versamur: quum itaque, adhibito diligenti examine, quod per me poterat, tum de ipsis revelatis, tum de ipsa Divina Revelatione, si admittere nolitis, quod contra utrumque firmissimam persuasionem habeam, saltem quod dubius adhuc, atque anceps haeream negare non poteritis, ideoque cur tandem errorem meum damnabilem esse constituitis?

Neque Protestantes Deistas inde refellere possunt, quia Revelatio suae divinitatis argumenta manifestissima in se habet, quae ignorari a nemine possunt, si non carnem, & sanguinem, sed rectam rationem consuluerit. Quamvis enim de argumentis Divinae Revelationis evidentissime constet, manifestumque etiam aeque sit, integram servatam esse eam Divinam Revelationem, quae a Deo hominibus semel facta fuit, quemadmodum quoad Revelationem Veteris Testamenti in libro 2. nostrae *Theologiae Revelatae*, quoad Revelationem autem Novi Testamenti in hoc 3. libro evidenter evicimus; tamen semel posito, quod nullus errori damnabili sit locus, semel ac quispiam, uti dicunt Protestantes, in veritatem diligenter inquisierit, & non carnem, atque sanguinem, sed rationem, & Deum ipsum consuluerit, semper Deistam suam caussam apud Protestantes tueri posse contendo. Nam evidentissima quidem sunt argumenta Divinae Revelationis, eaque non perspicere nemo potest,

test, si rectam rationem consuluerit, atque etiam Divinam Revelationem semel factam usque modo servatam esse, certo constat: verum enim vero secundum ipsa principia Protestantium id semper habebunt Deistæ, quo adversus eos se tueantur. Nam quo jure Protestans affirmat, se in veritatem, qua par est ratione, inquisivisse, & non consuluisse carnem, & sanguinem, sed Deum, & ipsam rationem ab eo sibi datam, eodem jure quoque Deista rem eamdem de se affirmabit: si ergo Protestans propter hoc non versatur in errore damnabili, ne se quidem versari ob eamdem rationem semper Deista reponere poterit.

Illud ergo Protestantibus superesset, ne eamdem sui, & Deistarum caussam esse fateri cogerentur, ut Deistas accusarent, quod non omnem, quam debebant, quoad rem istam diligentiam adhibuerint, neque, sicuti requirebatur, fuerint de veritate solliciti. At num jure huc sese recipere possint, modo videamus. Quod ergo Deista ea qua par est ratione quoad rem istam fuerit de veritate sollicitus, & in eam dum inquireret, non consuluerit carnem, & sanguinem, sed Deum ipsum, atque rationem, vel ab ipsius Deistæ judicio pendet, vel a judicio aliorum: si pendeat a judicio ipsius Deistæ; semel ac iste affirmet, quoad rem istam adhibuisse se omnem diligentiam, quam debebat, ei fides adhibenda erit, & icciro secundum principia Protestantium putandum hujusmodi Deistam in errore damnabili non esse: ut ergo Protestans contra Deistam urgere possit, quoad rem istam non omnem, quam debebat, ab eo diligentiam adhibitam esse, hoc judicium non ad ipsum Deistam, sed ad alios spectet, necesse est. At rem istam pendere a judicio aliorum, Protestantes contendere non possunt: 1. Quia secundum principia, quæ tuentur, nullus homo, immo nullus cœtus quorumcumque hominum est judex infallibilis eorum, quæ ad fidem spectant, & icciro unusquisque æque suum, ac aliorum judicium sequi potest, quum utrumque æque fallibile sit. 2. Quia sicuti Protestantes in suscipionem Deistas vocare possunt, quod non omnem diligentiam adhibuerint, ideoque errorem eorum damnabilem esse; ita quoque ipsi aliis suspecti esse possunt, & revera sunt; immo non suspecti, sed convicti de eodem defectu. 3. Quum quæ unus suo ingenio, industria, atque diligentia possit, alter plerumque ignoret; inde quoque est, ut judicium rei illius, in qua de ea diligentia agitur, quæ in inquirenda veritate adhibita fuerit, vel non fuerit, ad judicium alterius tunc potissimum spectare non possit, quando quæstio de iis est, quæ lumine rationis absque ullis doctrinæ præceptis cognoscuntur. Quare num Deista in inquirenda veritate debitam diligentiam adhibuerit, vel non adhibuerit, Protestantes nullo modo judices esse possunt; immo hoc sibi judicium secundum ipsa principia, quæ sequuntur, sibi tribuere non debent. Semel ac ergo Deista affirmet, debitam in inquirenda veritate diligentiam sese adhibuisse, consuluisseque rationem, non vero carnem, & sanguinem, ejus errorem damnabilem non esse, Protestantes concedant oportet. Hoc autem semel dato, omnem Divinam Revelationem e medio tolli, quis non videat?

Ultimo tandem ex iis, quæ in Woolstoni caussa contigerunt, demonstrandum aggredimur, omnem Divinam Revelationem e medio tolli, semel ac principia Protestantium vera esse ponantur. Woolstonum ergo, quem ut impiissimum omnium hominum, qui extiterunt, supra confutavimus, statuto nunc

præ-

præcipuo Protestantium principio defendendum suscipimus, atque injuste damnatum fuisse tuemur. Woolstonus itaque in Apologia, quam in sui defensionen. scripsit, antequam damnaretur, contra Smalbrokium Episcopum Londinensem, graviter conquestus fuit, se omnino immerito ab eo traductum esse uti blasphematorem, incredulum, & apostatam, & contra eam libertatem peccatum esse, quæ secundum regni leges unicuique permittitur: reposuit quoque id discriminis inter se ceterosque Christianos interesse, quod ipse in Christum crederet secundum sensum spiritualem, & allegoricum, alii Christiani secundum litteralem: addidit etiam se magis blasphemum non esse, quia sensum litteralem rejiceret, quam alii forent, si allegoricum non admitterent: tandem conclusit, tolerantiam universalem quoad ea, quæ sunt Religionis, sese constituere voluisse [a]. Hæc Woolstonus in suæ caussæ defensionem. Fuit ergo ipse Woolstonus, uti inquiebam, revera blasphemus, incredulus & apostata; verum enim vero, semel positis principiis Protestantium, hoc est nullum esse Sacræ Scripturæ judicem infallibilem, & unumquemque per se habere spiritum interpretandi Sacram Scripturam, eamque, prout ipse putaverit, interpretari posse, neque ut blasphematorem, neque ut incredulum, neque ut apostatam habendum fuisse, hoc vero est, quod modo contendo. Et primo quidem illud expendamus, num ad libertatem regni in suæ caussæ defensionem Woolstonus æquo jure recurrere potuerit, recteque recurrerit. Æquo ego jure eum juxta Protestantium principia ad eam recurrere potuisse contendo, ut reipsa recurrit. Hoc autem ab unoquoque perspici facile poterit, si advertatur, quid Smalbrokius Woolstono supradicta sibi objicienti reposuerit „. Magnum, *reposuit*, intercedere discrimen inter moderatam libertatem, & effrænem in re sacra licentiam, quarum illam tolerent leges, hanc, quoniam ad evertenda societatis fundamenta tendit, prohibeant „. [b]. Verum ipsius Woolstoni difficultati inde satisfactum non esse, quis non videat? Nam 1. Woolstonus semper quærere poterat, quid intercedat inter moderatam libertatem, & effrænem licentiam? 2. quinam sint limites hujusce libertatis, extra quos nemo progredi posset? 3. cujusnam. auctoritate ii constituti essent? 4. an secundum regni leges eos sequi ipse deberet, semel ac constituti essent? 5. demum anne sui ceterorumque omnium secundum regni leges una, atque eadem conditio esse deberet? Quid ad hæc Smalbrokius? Omnia profecto contra ipsum faciunt. Quandoquidem semel ac interpretandi Sacram Scripturam unusquisque facultatem revera habeat, ea si utatur, prout ipse putaverit, nemini injuriam facit, atque suo jure utitur; atqui etiam consentiente Smalbrokio secundum principia suæ sectæ, unusquisque hujusmodi auctoritatem habet, eaque pro suo jure uti potest, prout ipse voluerit: ergo quum Woolstonus ea facultate, quam secundum principia suæ sectæ revera habebat, usus fuerit, prout ipse putavit, suo jure usus fuit, & nemini injuriam fecit. ergo Woolstonus affirmare poterat, inepte a suis adversariis appellari ad illud

(a) Ita woolstonus in sua Apologia, quam pro se scripsit, antequam damnaretur, inscripta: *Defense des Discours de Mr. VVoolston sur les Miracles de Notre Sauveur contre l'Evéque de St. David, & de Londres, & contre ses autres Adversaires* par. 1. Vide le Moine *Dissert. Historique sur les Ecrits de Mr. VVoolston*.

(b) Vide Joecheri *Supplementum Historiæ litium Thomæ VVolstoni* §. 3., quod idem auctor apposuit suæ 3. dissertationi inscriptæ: *Thomæ VVolstoni de miraculis Christi Paralogismorum Examen*.

discrimen, quod inter moderatam libertatem, & effrænem licentiam intercedit.

Et re quidem vera quando duo jure sibi concesso utuntur, prout patitur ipsum jus, falsum est, unum eorum uti moderata libertate, alterum vero effrænis licentiæ reum esse; sed Woolstonus, non secus ac omnes Protestantes, suo jure utebatur, prout ferebat ipsum jus: ergo de effrænis licentia injuste accusatus fuit. Prob. min. Woolstonus, non secus ac omnes Protestantes, habebat potestatem interpretandi Sacram Scripturam, propter quam potestatem, cujusvis alterius, aut quorumcumque etiam judicii, utpote fallibilis, nulla habita ratione, easdem eo sensu accipere poterat, quo secundum spiritum sibi proprium accipienda esse putabat: ergo dum contendebat Woolstonus (a) „ Quod in littera de miraculis Christi neque sensus, neque veritas „ contineatur, sed quod ista omnia typica sint, futurorum figuræ, signa, & „ emblemata „ suo jure, æque ac omnes Protestantes utebatur, prout ipsum jus ferebat: ergo si quando duo eodem jure sibi dato æqua ratione utuntur, prout patitur ipsum jus, unum eorum moderata libertate uti, alterum autem effrænis licentiæ reum esse, dici non potest; etiam Woolstonus effrænis licentiæ accusari non poterat: ergo Smalbrokius uti talem cum injuste traduxit.

Quando autem unus ab alio accusatur, quod sibi concessæ facultatis limites excesserit, qui accusatur, a suo accusatore æquo jure exigere potest, ut constituat sibi limites, intra quos cum se continere par erat; atqui Smalbrokius nullos hujusmodi limites constituit, neque etiam constituere poterat, quia, ut modo dicebamus, Woolstonus suo jure, æque ac alii Protestantes, utebatur, prout ipsum jus ferebat: ergo semper verum est, Woolstonum recte conquestum de sibi præscriptis limitibus a suo adversario, nihilque illum habuisse, quod contra reponere potuerit.

Quia vero judicium certum, & infallibile requiritur, quando constituitur de iis, quæ ad fidei essentiam spectant, & ejusmodi sunt, ut si quis ea non teneat, in errore damnabili sit; inde quoque est, ut Woolstonus contra eos appellare potuerit, quorum auctoritate quoad rem istam certos sibi limites determinatos esse prætendebatur. Quandoquidem suum æque judicium, ac ceterorum omnium falli posse, concludere poterat, quia cujusvis hominis, immo quorumcumque hominum ad res fidei definiendas congregatorum judicium secundum principia Protestantium neque certum, neque infallibile est, & iccirco non esse, cur cum tanto supercilio sui adversarii limites sibi præfigere contenderent, extra quos ipse progredi non posset. Et re quidem vera certum esse non potest, errorem aliquem damnabilem esse, si certum non sit illud judicium, quo errorem damnabilem esse decernitur: semel ac ergo secundum principia Protestantium constet, nullius judicium certum esse, æquo jure Woolstonus contra judicium suorum adversariorum appellare poterat.

Ex hisce vero omnibus illud quoque constat, quodcumque tandem contra Woolstonum judicium a Protestantibus latum fuerit, rideri, & contemni, & quidem secundum regni leges, ab eo potuisse. Nam si una eademque facultas quoad rem eamdem omnibus æque tribuatur, quispiam ridere alterum, & contemnere potest, si hujusmodi facultate is alter alteri antistare contendat; atqui secundum regni leges una, atque eadem quoad ea, quæ fidei sunt, omnibus

(a) Vide citatum Joecheri Supplementum.

nibus est concessa libertas, aliundeque secundum principia Protestantium nullius judicium infallibile est, & unusquisque Sacram Scripturam interpretandi eamdem facultatem habet: ergo secundum regni leges Woolstonus suorum adversariorum judicium ridere poterat. Quid? anne etiam non clamare, vim ab adversariis sibi inferri contra ipsius regni leges? Profecto conscientiæ libertas secundum regni leges omnibus eadem ratione concessa erat: quousque hæc conscientiæ libertas pertingere poterat, nullibi definitum erat secundum regni leges, nullumque certum, & infallibile judicium secundum principia Protestantium reperiri poterat, per quod res ista definiretur: ergo Woolstonus contra suos adversarios vim sibi inferri etiam cum aperto contemptu legum ipsius regni semper clamare poterat. Quare æquo jure Woolstonus conquestus fuit, se immerito traductum a Smalbrokio uti blasphematorem, incredulum, & apostatam, eumque recte accusavit esse violatorem ejus libertatis, quæ secundum leges regni omnibus concedebatur.

Quæ autem Woolstonus reposuit de fide, quam in Christum se habere profitebatur secundum sensum spiritualem, & allegoricum, quum alii christiani haberent secundum sensum litteralem, caussam illius apud Protestantes æque juvant. A Protestantibus enim ego quæro, unde nam tandem, vel cujusnam auctoritate constitui debeat, quænam litterali, quænam metaphorico sensu accipienda sint? Profecto, si sibi contradicere non volunt, eo privato spiritu, quem unusquisque habet, eaque privata auctoritate, quæ est in omnibus, rem istam decernendam esse, necessitate systematis concedere debent. Quo ergo ipsi privato spiritu, atque privata auctoritate censent, litterali sensu accipienda ea esse, quæ Woolstonus metaphorico accipi debere putabat; eodem modo Woolstonus metaphorico sensu accipienda esse existimavit, quæ ipsi litterali accipi debere arbitrantur. Si ergo quo ipsi jure, & auctoritate pugnant pro sensu litterali, eodem quoque jure, eademque auctoritate pro metaphorico Woolstonus pugnabat, nonne præter omnes justitiæ leges Woolstonus damnatus fuit, quia Christi miracula metaphorice accipienda esse tuebatur?

Ac Woolstoni quidem caussa contra Protestantes inde etiam defendi potest, quia eadem libertate, qua Woolstonus usus fuit, ipsi quoque utuntur. Nonne enim si de reali præsentia corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ contra eos agatur, & evidentissima Sacræ Scripturæ testimonia eis afferantur, ob quæ de hujusmodi reali præsentia nullus dubitandi locus esse potest, ut sunt illa: *Hoc est corpus meum: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Qui manducat meam carnem &c.* aliaque multa hisce similia, nonne, inquam, reponunt, metaphorice accipienda ea esse, non autem litterali sensu? Ita sane. Qua ergo ipsi auctoritate contra communem fidem omnium temporum, omniumque seculorum, hæc testimonia sensu metaphorico accipienda esse statuunt, eadem etiam Woolstonus affirmavit, metaphorice accipienda esse alia quoque omnia, quæ spectant ad miracula Christi: Quamvis ergo hac una tantum in re Protestantes errarent, metaphorice accipi volentes, quod litterali sensu accipiendum est, semper tamen Woolstonus absolvi deberet: nam quo ipsi jure ad sensum metaphoricum recurrere potuisse arbitrantur, eodem quoque Woolstonus metaphorice accipi debere contendet, quæ ad Christi miracula spectant.

Si vero dicant, ideo a se metaphorice accipi, quæ de Christi corpore, &

& ſanguine in Euchariſtia exiſtentibus in Sacra Scriptura leguntur, ne ſit prodigiis inuſitatis locus, ne lex naturæ pervertatur, ne eſſentia rerum perturbetur (a); & ſibi contradicunt, & tantum abeſt, ut ſe adverſus Woolſtonum defendant, quin potius ipſi Woolſtono dant, unde ſe adverſus eos tueatur. Sibi, inquam, contradicunt: rogati enim qua ratione diſpoſiti interius ſint quoad ea myſteria, quæ ipſa ratio aſſequi non poteſt, ſine dubitatione reſpondent: ſe ſacrificare Deo, qui eſt prima veritas, omnes oppoſitiones, quæ ab ipſa ratione fiant, Divinamque Revelationem habere loco ſupremæ rationis (b). Subjectam ergo eſſe volunt rationem ipſi Revelationi, & non ſubjectam, ſacrificatas ei eſſe volunt omnes oppoſitiones, quas ratio proponat, & non ſacrificatas. Et re quidem vera in hanc contradictionem vi ſui ſyſtematis neceſſe eſt, ut labantur. Quum enim tueantur, quoſdam fidei articulos eſſe fundamentales, & errorem illorum damnabilem; inde neceſſario conſequitur, ut rationem Deo revelanti ſubjiciendam eſſe, ipſi quoque fateantur. Nam hi etiam articuli quum ſint ſupra rationem, oportet ut quoad eos ratio noſtra Deo revelanti ſubjiciatur. Tale ergo eſt ſyſtema eorum, ut turpi contradictione implicari debeant.

Videamus nunc, quod ſane ad rem noſtram pertinet, num Proteſtantes hujuſmodi prætextibus ſe adverſus Woolſtonum defendant, an potius ipſi Woolſtono anſam præbeant tuendæ impietatis. Suam profecto cauſſam adverſus Woolſtonum non defendunt: nam ſicuti ipſi quoad rem iſtam ad ſenſum allegoricum recurrendum eſſe eſſutiunt, ne prodigiis inuſitatis aliquis ſit futurus locus, ne naturæ lex pervertatur, ne eſſentiæ rerum immutentur; ita etiam Woolſtonus ad eumdem ſenſum recurrendum eſſe dictitabit quoad ea omnia, quæ ad Chriſti miracula ſpectant, quia quum ſupernaturalia ſint, atque ſupra rationem, eis ſemel admiſſis ſecundum litteralem ſenſum, inuſitatis prodigiis locus futurus eſſet, lex naturæ perverteretur, rerumque eſſentiæ immutarentur. Deinde nonne ſemel poſito, ad ſenſum metaphoricum recurrendum eſſe in iis, quæ ſunt ſupra rationem, Woolſtono datur, unde ſe adverſus Proteſtantes defendat? Quid? Anne quæ Chriſtus miraculoſe geſſit, non ſunt ſupra naturam, rationis noſtræ vires non excedunt, conſuetum naturæ ordinem non prætergrediuntur? ergo quoad iſta ad ſenſum metaphoricum æquo jure ſe recurriſſe adverſus Proteſtantes concludere poterat. Woolſtoni ergo cauſſa per ea juvatur, quæ Proteſtantes in ſui defenſionem obtrudunt.

Tandem ſi Proteſtantes, uti revera faciunt, (c) eo confugiant, ut dicant hæc etiam: *Ego ſum vinea: Ego ſum janua: Petra erat Chriſtus*, metaphorice accipienda eſſe, proindeque etiam iſta alia: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*, metaphorice accipi debere; tunc ſane Woolſtonus cauſſam ſe adverſus eos obtinuiſſe magis magiſque gloriari poterit. Si enim quia ſunt nonnulla, quæ metaphorice accipi debent, hæc quoque alia: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*, metaphorice accipi debere ipſi autumant; cur & Woolſtonus quoque ob eamdem rationem inferre non poterit, quæ ipſe metaphorico ſenſu explicavit, revera explicari poſſe? Profecto ovum ovo tam ſimile non

(a) Hæc ſane inter alios Jureus reponit Vide Boſſuetum *Avertiſſemus aux Proteſtans Avertiſſe. 6*. par. 3. nu. 30.

(b) Ita idem Jureus uti apud citatum Boſſuetum legere eſt num 27.

(c) Vide citatum Boſſuetum nu. 31., Auctoreſque Polemicos, qui contra eos ſcripſerunt.

non est, quam Protestantium, & Woolstoni sunt similes caussæ quoad rem istam. Woolstonus ergo apud Protestantes nullius culpæ reus haberi debebat per hoc, quod affirmaret, se credere in Christum secundum sensum allegoricum.

Quod vero in sui defensionem superaddidit Woolstonus, hoc est, se magis blasphemum non esse, quia sensum litteralem rejiceret, quam adversarii forent, si allegoricum non admitterent, si non juvat caussam ejus, tamen tum ipsius, tum Protestantium eamdem doctrinæ absurditatem, & impietatem esse evincunt. Quandoquidem sicuti Woolstonus blasphemus inde fuit, quia quæ litteraliter accipienda erant, metaphorice accepit; ita etiam quum Protestantes tale systema habeant, ut putare possint litteraliter accipi debere, quæ metaphorice accipienda sunt; & metaphorice quæ litteraliter, vi sui systematis habent, ut æque ac Woolstonus blasphemi esse possint. Nam semel posito, quod, prout ipsi voluerint, interpretandi Sacras Scripturas auctoritatem habeant, sicut non sine evidenti falsitate, & impietate metaphorice accipiunt, quæ litteraliter accipi debent; ita quoque litteraliter accipere possunt, quæ metaphorice accipienda sunt. Quum ergo æque impia, atque omnino absurda consequantur, tam si metaphorice accipiantur, quæ litteraliter accipi debent, quam si accipiantur litteraliter, quæ metaphorice accipienda sunt; ideo habita ratione principiorum, quæ sequuntur, eadem tum Protestantium, tum Woolstoni est doctrinæ absurditas, atque impietas.

At vero nonne & illud quoque Woolstonus contendere poterat, eodem jure, quo ipse a suis adversariis uti blasphemus traducebatur, quia litteralem sensum rejiciebat, quem illi admittebant, a se quoque suos adversarios uti blasphemos traduci posse, quia rejiciebant sensum metaphoricum, quem ipse propugnabat? Profecto secundum principia Protestantium æque Woolstonus, ac omnes Protestantes, nullum supra se judicium positum habebant, quod suspicere, & venerari deberet: quæ erat Protestantibus Sacras Scripturas interpretandi auctoritas, atque potestas, Woolstono quoque esse debebat: id denique quod requiritur ad assequendum sensum Divinarum Scripturarum, nemo Protestantium sibi vindicare, Woolstono autem denegare poterat: ergo quo jure Woolstonus uti blasphemus ab ipsis Protestantibus traducebatur, ex eo quod sensum litteralem rejiceret, eodem quoque Woolstonus ipsos Protestantes uti blasphemos traducere poterat, quia quem ipse tuebatur, sensum allegoricum illi repudiarent. Uti enim supra dicebamus, & ipsa naturali ratione unicuique perspicuum est, semel ac par auctoritas quoad rem eamdem in duobus sit, idem quoad rem illam uterque potest: ergo, si, quamvis Woolstono quoad interpretationem Divinarum Scripturarum par esset auctoritas, ac Protestantibus, tamen Protestantes Woolstonum uti blasphemum traduxerunt, quia aliter, ac ipsi, sentiebat quoad interpretationem Divinarum Scripturarum; ita etiam Woolstonus Protestantes uti blasphemos traducere potuisset, quia quoad eamdem interpretationem Divinarum Scripturarum aliter, ac ipse, sentirent: blasphemiæ ergo nota, quam Protestantes Woolstono inusserunt, aut injusta fuit, aut ipsis quoque a Woolstono inuri poterat, semel ac quem ipse tuebatur, sensum allegoricum negarent: negabant autem: ergo blasphemiæ notam eis inurere Woolstonus potuit. Quanta itaque sit absurditas eorum principiorum, quæ Protestantes defendunt, semper magis magisque constat: iis enim principiis neque quæ falsa sunt, refelli, neque quæ vera defendi possunt.

 Ut

Ut autem omnino perspectum sit, num Woolstonus contra omne jus, impudenter, atque temere in sui defensionem affirmaret, se Tolerantiam universalem quoad ea, quæ sunt Religionis, constituere voluisse; illud videndum est, quænam secundum principia Protestantium in sui defensionem afferre poterat. Et primo quidem quo jure ipsi Protestantes constituissent, quædam tolerari posse, quædam non posse, quosdam articulos esse fundamentales, quosdam non fundamentales, nonnullos errores esse damnabiles, non item alios, Woolstonus ab eis quærere potuisset. Woolstono autem de eorum agendi ratione ita quærenti, quid tandem Protestantes habuissent, quod reponerent, si secundum eos nullius judicium infallibile est, si omnibus æque convenit ex Sacra Scriptura interpretari ea, quæ fidei sunt, si ipsa Sacra Scriptura unicuique per se sola est regula fidei? Reliquum ergo erat, ut negarent, ausos se fuisse uti certa definire quæ non poterant, quoniam neque auctoritatem definiendi habebant, & principia, quæ sequuntur, repugnabant. Quo ergo ore se uti impium, & blasphemum accusarent, tunc Woolstonus reponere potuisset; dum, quo se crimine auctoritatis per summam impudentiam usurpatæ accusabant, eodem & ipsi quoque quam maxime laborarent?

Deinde quæ fidei sunt, undenam suam originem, & auctoritatem haberent, Woolstonus si quæsiisset, quidnam Protestantes reponere poterant, immo debebant? Profecto ea a Deo revelante suam originem, suamque auctoritatem habere, ipsos fateri oportebat: ergo, tunc sane Woolstonus ita eos urgere poterat: vel nulla omnino sunt, quorum error tolerari possit, semel ac ea in Divina Revelatione habeantur, vel universalis tolerantia quoad omnia hujus generis admitti potest: nam vel nunquam omnino contemni potest Divina auctoritas, vel qua ratione quoad ista, illa, & alia, etiam quoad cetera omnia contemni potest: ergo vel nulla tolerantia quoad aliquos ejusmodi errores induci potest; vel si induci potest quoad aliquos ejusmodi errores, etiam quoad omnes admitti potest; sed vos quoad aliqua induci posse putatis, eamque æquo jure a vobis inductam esse censetis: ergo eodem jure universalis a me induci potuit. Hanc autem Woolstoni argumentationem evidenti ratione concludere semper magis constabit, si advertatur, uti sæpius monuimus, quæ erat in Protestantibus quoad rem istam auctoritas, eamdem quoque secundum ipsa Principia Protestantium in Woolstono omnino fuisse.

Ex hisce autem omnibus quod contra Protestantes volumus, abunde confectum remanet; hoc est, secundum principia Protestantium omnem Christianam Religionem e medio tolli, viamque latissimam ad Deismum aperiri. Nam Woolstonum sua opinandi licentia Christianam Religionem e medio sustulisse, nemo negaverit. Si ergo Woolstonus, uti jam evicimus, principiis Protestantium semel positis, uti impius damnari non poterat, evidenti argumento id esse debet, Deismum principiis Protestantium non solum aliquo modo non opponi, sed omnino conformem esse.

Verum enim vero tam manifesta res ista est, ut initio Reformationis non defuerint, qui futurum esse prædixerint, ut ad ipsam Reformationem indifferentia Religionis consequeretur (a). Nec eventus refellit. Non solum enim ob libidinem opinandi, quæ secundum principia Reformationis admittitur, multi Reformatorum eo usque processerunt, ut neminem baptizatorum non tolerandum

(a) Vide Bossuetum *Avertissemens aux Protestans Avertisse. 6.* par. 6. nu. 3.

dum esse statuerint, sed etiam tradiderunt, e charitatis officio esse, ut Paganismus, atque Idololatria toleretur (a).

Dices. Ea, quam Protestantes admittunt, articulorum fundamentalium distinctione semel posita, sua semper remanet Sacris Scripturis auctoritas; & hæc distinctio poni debet etiam secundum Catholicos: falso ergo dicitur systema Protestantium tale esse, ut per illud Divina Revelatio e medio omnino tollatur. Ant. constat: nam saltem quoad articulos fundamentales semper subsistet auctoritas Sacrarum Scripturarum. Deinde. Ecclesiæ quoque Catholicæ doctrina est, aliquos articulos esse fundamentales, aliquos non fundamentales: ergo.

R. dist. ant., eo sensu, quo Protestantes admittunt, neg., diverso sensu, con. Catholici ergo nonnullos articulos ideo fundamentales vocant, quia ab omnibus explicite credi debent, ita ut nullus salutem æternam consequi possit, nisi explicite crediderit, quæ in eisdem continetur: alios autem vocant non fundamentales, quia non requiritur, ut omnes eorumdem fidem explicitam habeant, sed satis est, ita esse animo comparatos, ut istos quoque explicite credituri sint, si eis proponerentur, atque interim illos fide implicita teneant, quatenus ea omnia se firmissime tenere profiteantur, quæ Ecclesia Catholica docet, atque tradit. Quis ergo non videat hac in re Catholicorum, & Protestantium diversam toto cælo rationem esse? Quapropter Catholici neque in suam communionem recipiunt, neque credere quod ad fidei essentiam requiritur, eum statuunt, qui fundamentales articulos credit, non fundamentales autem rejicit; & a sua communione æque expellunt tam eum, qui fundamentalem articulum negaverit, quam alium, qui aliquem articulum non fundamentalem rejecerit. Firmissimum namque dogma est Ecclesiæ Catholicæ, fidei fundamentum everti, tollique id, supra quod innititur credentium fides, semel ac aliquid rejiciatur, cujusvis tandem generis illud sit, quod divinitus revelatum esse constet. Patet ergo Protestantes suam absurditatem opinionis exemplo, & auctoritate Catholicorum per summam imperitiam tueri velle [b].

Non minus quoque imperite aut falluntur, aut alios fallere contendunt, dum affirmant, etiam apud Catholicos non deesse multos, qui indifferentiam Religionis profiteantur [c]. Sibi conflatam invidiam, & absurditatem suorum principiorum hac ratione saltem extenuare, & minuere vellent: at irrito prorsus conatu, atque præter omnem rationem. Et primo quidem ubinam tandem apud Catholicos Indifferentismi publica professio fit? ubinam Indifferentismus promovetur, sicuti apud Protestantes contigit? Verum unum alteri magis contrarium esse non potest, quam sit Indifferentismus Catholicæ Religioni. Profecto ea Religio, quæ pro certissimo fundamento habet, extra se nullam neque vitam, neque salutem esse posse; quæ pro firmissima regula suæ fidei tenet, hodie credendum, quod etiam heri creditum fuit; quæ pro certo habet, eamdem, quæ heri, & hodie fuit, etiam seculis præteritis fidem fuisse, atque subsequentibus semper futuram esse; quæ non dubitat veritatem in sua communione sine intermissione esse duraturam; quæ firmissimam promissionem habet, ob quam hac de re nullus dubitandi locus ei superesse potest;

(a) Consulatur citatus Bossuetus num. 8, & seq., ac num. 100. & seq.

(b) Jureus sane id contendit, uti apud Bossuetum legere est *Avertiss. aux Protestans Avertisse.* 6. par. 3. nu. 66.

(c) Inter alios idem Jureus hoc quoque suadere conatus fuit apud citatum Bossuetum num. 16.

potest; Religio, inquam, quæ hæc omnia habet, quis non videat, ob suum ipsum systema nullas novitates eam pati posse, eoque magis Indifferentismo opponi, quo magis ipse Indifferentismus omni securitati, certitudini, immutabilitati, atque infallibilitati Religionis, quævis tandem ea sit, prorsus adversatur? Contra, uti jam sæpe diximus, semel ac admittatur, sicuti a Protestantibus admittitur, quædam ad fidei essentiam non pertinere, quamvis divinitus revelata ea sint, jam omnino nutat auctoritas Divinæ Revelationis, parumque interesse inde æquo jure colligitur, num Divina Revelatio admittatur, vel non admittatur.

Simili quoque ratione semel ac ponatur, uti ponunt Protestantes, jam a multis seculis idololatriam, & errorem in Ecclesia regnare, nullum in ea infallibile judicium esse, unumquemque habere spiritum interpretandi Sacram Scripturam, eoque contra quamcumque auctoritatem uti posse, inde futurum esse nemo non videt, ut quilibet ea fidei dogmata tenere, vel rejicere possit, quæ sibi visum fuerit, unusque alterum damnare non poterit, licet aliter hac, vel illa, immo quavis in re ab ipso sentiat, quia quo ipse jure ista, & non illa, eodem quoque alius illa, & non ista admittenda esse, existimare poterit. Iste autem si non sit purus putusque Indifferentismus, quo putatur omnes, qui Religionem Christianam profitentur, quæcumque tandem dogmata teneant, salutem esse consequuturos, quisnam alius esse possit, sane non video. Manifestum ergo est, quod in hac nostra propositione pluribus jam evicimus, tale esse systema Protestantium, ut ex eo uterque Indifferentismus consequatur, tum ille, quo etiam iis in altera vita bene futurum esse promittitur, qui nullam Divinam Revelationem admiserint, tum alter Indifferentismus, quo nullis Christianis salus æterna denegatur, quævis tandem sint dogmata Religionis, quæ admiserint, vel rejecerint: utrumque vero Indifferentismi genus Catholicæ Religioni adversari, quantum quidvis alteri adversari potest.

COROLLARIUM.

Infallibilis auctoritas quoad ea, quæ ad fidem spectant, certum & unicum remedium est, quo Religionum indifferentia destruatur.

Uti enim constat ex iis, quæ usque modo disseruimus, semel ac unusquisque potestatem habeat interpretandi Sacram Scripturam, nullumque supra se judicium infallibile agnoscat, quod suscipere, atque revereri debeat; inde sequitur, ut Divina Revelatio vel omnino contemnatur, vel singuli contendere, & quidem æquo jure, possint, se recte sentire juxta Divinam Revelationem, licet quoad dogmata non solum diversa, sed etiam omnino contraria eorum fidei ratio sit. Hoc autem utrumque malum per infallibilem auctoritatem, cui omnes subjiciantur, certo tolli posse per se constat. Nam, ea semel posita, & quæ haberi debeant uti revelata divinitus, & qua ratione accipi ea debeant, certissime constat, atque infallibiliter: ergo, ea admissa, sibi amplius non licere unusquisque videt, ut vel omnem Divinam Revelationem non suscipiat, atque veneretur, quæ hujusmodi infallibili auctoritate sibi proponitur, vel quæ divinitus revelata sunt, eo sensu singula non admittat, quo admittenda esse eadem infallibili auctoritate constituitur: ergo infal-

infallibili auctoritate simul posita, tum de ipsa Divina Revelatione, tum de sensu illius certissime constat. Infallibilis ergo auctoritas certum remedium est, quo Divina Revelatio nec ab ullo contemnatur, nec eo sensu accipiatur, quo quisque voluerit; ex quibus sane duobus vel universalis, vel peculiaris indifferentia Religionis consequitur.

Est etiam infallibilitas hujuscemodi auctoritatis unicum remedium, quo Religionis indifferentia tollatur. Nam tunc solum dubitare non possumus, quin erremus, si nostram opinionem sequamur, quando eam contra aliorum infallibile judicium sequimur: ceterum si judicium singulorum æque fallibile fuerit; tunc semper quispiam contra sentire poterit absque certitudine, quod ipse decipiatur. Nam qua ipsum ratione falli possibile fuit, eadem quoque fieri potuisse, ut unusquisque alius falleretur, reponere semper poterit. Quid? nonne infallibile judicium illud est, cui omnes sese submittere debent, & quo sublato, necesse non est ut omnes idem sentiant? Postremo sola unitas multiplicitati directe opponitur; sed judicii infallibilitas una est: ergo aliorum judiciorum multiplicitatem excludit: ergo nulla diversa judicia patitur: ergo judicii infallibilitate admissa quoad ea, quæ sunt Religionis, una tantum Religio uti vera, & certa inducitur: ergo infallibilis auctoritas unicum medium est, quo Religionum indifferentia tollatur (a).

SCHOLION I.

Ipsa quoque ratio evincit, aliquam judicii infallibilitatem quoad ea dari debere, quæ divinitus revelata sunt.

Eam conditionem hominum esse, ut propter varias multiplicesque caussas non una omnium de re eadem opinio, atque sententia sit, nec esse possit, nullus sane negaverit. Id autem quamvis contingat etiam in iis, quæ aliquam evidentiam habent, potissimum tamen usuvenisse ipsa experientia novimus, quando de aliqua lege agitur, quæ obligationem inducat, deque iis interpretandis, quæ in eadem lege continentur. Tunc profecto quot fere capita sunt, tot etiam variæ diversæque sententiæ circumferuntur; indeque est, ut si quoad ista nullius judicium certum, atque infallibile sit, nec esse possit, in magna semper fluctuatione quisque versetur. Multa quidem nobis divinitus revelata fuisse, argumenta evidentissima suadent; attamen & quænam singillatim saltem quoad omnes suas partes revelata sint, quænam vero non sint, quo sensu singula quæque accipi debeant, quo autem non debeant, eadem ratione manifestum non est. Quo fit, ut si nullum infallibile judicium sit, quo de utroque doctrinæ capite certe, & absque errandi periculo constituatur, & multa esse sequatur de quibus homines dubii sint, num ad Divinam Revelationem pertineant; & quæ divinitus revelata esse constat, quo sensu infallibiliter accipi debeant, quo autem non debeant, perpetuo hæreant. Quum ergo Deus sua maxima

(a) Adeo manifesta res ista est, ut eam etiam celebriores Protestantes agnoverint, suisque scriptis confessi fuerint, uti apud citatum Bossuetum nu. 105. & seq. legere est. Inde enim eorum multi propugnarunt, neminem, qui Sacram Scripturam receperit, quamvis alia ac alia ratione intelligat, uti hæreticum habendum esse, quia nullum de Sacræ Scripturæ intelligentia infallibile judicium habetur, adeoque judicii infallibilitate sublata, omnes Christianas Religiones tolerandas esse concesserunt.

xima beneficentia, atque bonitate erga nos usus divinitus nobis revelaverit, quæ credere, & facere deberemus; nulla profecto ratio patitur, ut putemus, nullum infallibile judicium ab eo constitutum, quo tam errare non possemus circa singula quæque, quæ divinitus revelata sunt, quam circa sensum, & acceptionem eorum, quæ divinitus revelata esse constat. Nam, hoc infallibili judicio sublato, consequeretur omnino ut irritus saltem maxima ex parte is finis evaderet, quem Deus sibi proposuit, quando suam Divinam Revelationem nobis communicavit. Quapropter si Divina sapientia, atque bonitate factum fuit, ut per Divinam Revelationem nobis ea innotescerent, quæ a nobis cognosci oportebat, quæque sine eadem Divina Revelatione cognosci non poterant, quemadmodum jam abunde confecimus; ejusdem quoque Divinæ sapientiæ, atque bonitatis esse debuit, ut infallibile judicium haberemus, quo & de rebus divinitus revelatis, & de intelligentia earum firmissime certissimeque constare posset, ut ex iis, quæ revelata sunt, debitam utilitatem capere possemus.

Deinde si nullum sit infallibile judicium, quo certo cognoscantur singula quæque, quæ divinitus revelata sunt, & quo perspicuus fiat sensus, quo accipi debeant; quoad utrumque ea tantum ratione unusquisque ab errore sibi cavere poterit, ut ipse per se, longo, & diligentiori examine adhibito, videat, atque assequatur singula singillatim, quæ divinitus revelata sint, & quinam singulorum verus, & legitimus sensus esse debeat. Quam pauci autem ii sunt, qui hujusmodi examen instituere possint, vel licet possint, ea, qua par est, diligentia velint? anne qui suis manibus victum quærere debent, qui agris excolendis operam dare, ceteraque omnia curare, quæ ad agriculturam pertinent, qui mercaturæ, militiæ, rei familiari, publicis officiis, sexcentisque aliis muneribus, sine quibus humanæ vitæ societas non subsistit, incumbant oportet, in hæc intendere, atque inquirere possunt? mulieres autem omnes, immo vero vix ullæ, an suam huic rei operam navare poterunt? ergo maximam partem hominum, immo fere omnes homines versari necesse erit in perpetua ignoratione tum singillatim singulorum, quæ divinitus revelata sunt, tum veri, & legitimi sensus, quo Sacra Scriptura accipi debet. Ii vero, qui ad tale examen instituendum idonei sunt, illudque instituere propter sui officii rationem possunt; qui sane præ ceteris omnibus quam pauci sint, nemo non videt, qua tandem ætate utrumque assequi poterunt? quid non sustinere laboris prius debebunt? quam multa expendere, invicem conferre, atque ad diligentius examen antea revocare oportebit? Ætate ergo solummodo provectiori didicisse aliquo modo poterunt, quænam singillatim divinitus revelata sint, & sensum eorum, quæ divinitus revelata sunt. Quid quod hi ipsi quoad utrumque semper dubii remanere debebunt? semel ac enim suo proprio judicio fidant, quum illud infallibile non sit, sed omnino incertum, multiplicibusque erroribus obnoxium, consequens inde fit, ut semper dubii esse debeant, num veritatem assequuti fuerint. Ex hisce vero omnibus illud manifeste constat, Divinam Revelationem quoad maximam partem hominum omnino inutilem evasuram, quoad paucos habituram parum utilitatis, quoad omnes vero incertitudinem, & dubitationem, si, adhibito examine, vel nosci deberent, quæ singillatim divinitus revelata sunt, vel eorum, quæ divinitus revelata sunt, sensus investigandus esset. Pugnat ergo cum ipsa natura Divinæ Revelationis, quam

quam a Deo ob utilitatem hominum factam fuisse constat, nullum e jusdem judicium infallibile esse, quod omnes absque errandi periculo sequi possint.

Scholion II.

Protestantes, quod spectat istud de infallibilitate judicium, sibi contradicunt.

Pro certa enim regula habent, solam Sacræ Scripturæ auctoritatem admittendam esse: ipsis ergo sentientibus, nullam certam auctoritatem habere possunt fidei professiones, quas emiserunt, nullam, quæ in suis conciliabulis ipsi constituerunt, nullam demum quæ contra quoscumque alios decrevere; sed & fidei professiones ediderunt, & in suis conciliabulis nonnulla uti necessaria ad fidem constituere, & quædam sanxerunt contra alios, ut ea apud suos auctoritatem haberent, alioquin quoad rem illam non solum inepte, sed etiam per summam insipientiam sese gessissent: ergo in sententia Protestantium sola Divinæ Scripturæ auctoritas uti regula fidei admitti debet, & non sola admitti debet: ergo quoad illud de infallibilitate judicium sibi contradicunt; quia nullius hominis, immo nullorum hominum judicium infallibile, & certum esse volunt, & tamen hanc certitudinem, & infallibilitatem sibi tribuunt, alioquin non esset, cur aliquid tamquam certum definirent (a).

Et re quidem vera illud judicium infallibile esse putatur, quo ab æterna salute excludendum eum esse decernitur, qui hæc, vel *illa* dogmata non tenuerit, atque professus fuerit; sed tale est judicium, quod Protestantes sæpe tulerunt: ergo illud judicium infallibilitatis, quod omnibus denegant, vel nolentes apud se esse constituunt. Major propositio constat: nam si hujusmodi judicium infallibile non esse putaretur, neque etiam per illud decerni posset de æterna damnatione aliquorum, qui aliqua dogmata non admitterent. Prob. mi. 1. Aliquos articulos esse fundamentales, aliquos non fundamentales, illos ad fidei essentiam pertinere, non vero illos, contendunt Protestantes; ergo quoad rem illam infallibile judicium, quod tamen apud neminem esse volunt, Protestantes sibi vindicant. 2. Protestantes a sua communione excludunt Socinianos, atque Arminianos, damnantque uti intollerabiliter errantes in iis, quæ veræ fidei sunt: ergo supra alios tale judicium sibi vindicant, quo de eorum æterna salute simpliciter decernant; sed nemo de aliorum æterna salute simpliciter decernit, nisi certum de ea judicium se ferre posse arbitretur: ergo Protestantes certum, atque infallibile judicium sibi vindicant. 3. Qui alios a consortio Ecclesiæ ejicit ex eo quod nonnulla ad fidem spectantia suscipere, & profiteri recusent, certum, & infallibile judicium de iis sibi tribuit, quæ ad fidem spectant; atqui Protestantes anathema dixerunt illis, qui profitebantur doctrinam contrariam fidei professionibus cathechisticisque institutionibus, quas ipsi ediderant, atque apud eos in usu erant (b): ergo semper magis magisque constat, infallibile judicium quoad res fidei Protestantes sibi tribuisse. Turpiter ergo sibi contradicunt, dum nullius judicium certum, & infallibile esse constituunt. Et

(a) De fidei formulis a Protestantibus editis, de decretis latis contra alios, qui ab ipsis diffidebant, deque rebus ad fidem necessariis, quas in suis conciliis ipsi constituerunt, consulatur Bossuetus *Avertissemens aux Protestans Avertiss. 6.*

(b) Citatus Bossuetus consulatur.

Et re quidem vera ut legant Sacram Scripturam, omnibus suadent, atque ex lectione ejus futurum esse promittunt, ut quique per se intelligant, quæ ad salutem necessaria fuerint. Quandoquidem, uti ipsi, quemadmodum supra observavimus, habent, ut veritas perspecta fiat, nullum examen adhibendum est, sed attentione, & applicatione veritatis ad ipsum spiritum fides inducitur in fidelibus. Sicut enim sensibile lumen, inquiunt ipsi, oculos perstringit; ita etiam veritas, quæ est lumen mundi intelligibilis, spiritum afficit; & iccirco ipsa veritas, quæ se habet ad intellectum, sicuti ad oculos sensibile lumen, fidem producit in hominibus. Aperte quidem falsa hæc omnia sunt, sicuti jam evicimus, ejusmodi tamen ut per ea nullus dubitandi locus superfit, Protestantes quoad illud de infallibilitate principium in manifesta contradictione esse. Nam, si horum principiorum ratio habeatur, semel ac aliquis Sacram Scripturam admittat, a consortio aliorum fidelium a nemine rejici potest, quamvis ex Sacra Scriptura ea non eruat, quæ alius eruenda esse putat; atqui Protestantes a sua communione hujusmodi homines rejiciunt: ergo contra sua principia agunt, contraque ea quoddam Infallibile judicium sibi tribuunt.

FINIS.

INDEX
AUCTORUM, ET RERUM QUARUMDAM NOTABILIUM.

Nota Romana Tomum, Arabica ejus Tomi paginas, Litteræ adnotationes indicant.

A

braicas cum Mahometanis. I. 238. *a.* Contra Mosaycam historiam temere opponit antiquitatem Sinensium, & Ægyptiorum I. 199. *a.* Et auctoritatem Manethonis, atque Chæremonis. I. 211. *a. b.* Contra universale diluvium insipienter pugnat. I. 206. *a.* Per Noachi posteros genus humanum propagari non potuisse effutit. I. 210. *a.* Et circumcisionem suam originem habuisse ab Ægyptiis. I. 214. *b.* Et verum non esse Hebræis aquam e petra per miraculum fluxisse. I. 116. *a.* Et Moysem elevare intendisse gloriam suæ nationis. I. 218. *b.* Et suspectam esse historiam Moysis, quia Judaici populi mentio peculiaris in ea fit. I. 219. *a.* Pro Latitudinarismo impie pugnat. II. 360. *a.*

Auctor *Epistolarum Judaicarum* (vulgo idem M. D' Argens) effutit homines effici inertes per Christianam Religionem. II. 19. *c.* Sibi contradicens extollit præcepta Christianæ Religionis. Ib.

Auctor *Epistolarum Persicarum* (vulgo M. De Montesquieu) Christianam Religionem cum Mahometana impie comparat. II. 19. *e.* Falso supponit Josephi operibus insertum quod in iis de Christo legitur. II. 178. *b.* Inepte obtrudit falsa miracula ad vera tollenda. II. 186. *a.* Miracula inde falso negat, quia nobis non sunt perspectæ omnes leges naturæ. I. 54. *a.*

Auctor *Epistolarum Philosophicarum*. Vide Voltæreus.

Auctor epistolarum inscriptarum *Lettres sur la Religion Essentielle à l'homme* epist 13. Mysteria ideo revelata non esse effutit, quia sunt supra cognitionem humanam. I. 8. *a.* Confundit quod evidenter manifestum est cum eo, quod evidenter revelatum est. Ibid. Et nulla mysteria proponenda blaterat in quavis Religione. Ibid.

Auctor Opusculi inscripti: *Pensées Philosoph*: impie affirmat ignorantiam, & pravas cupiditates eo modo esse partes humanæ naturæ, quo sunt oculi, aures &c. I. 23. Audacter negat veritatem miraculorum. I. 46. Impie effutit aliquem induci posse ad credendum Deum non esse per ea, quæ in Novo Testamento leguntur. II. 6. *a.* Falso dolet sublata scripta eorum, qui Religionem Christianam oppugnabant. II. 7. *a.* Temere affirmat in Sacris libris ea contineri, quibus variæ sectæ contra se pugnent. II. 8. *a.* Christianam Religionem uti humanæ societati adversam impie deprimit. II. 14. *a.* Obtrudit per Legem Evangelicam non recte institui homines quoad civilem societatem. II. 35. *a* 36. *a.* Et effici insensatos. II. 44, *b.* Et solam rationem caussam esse debere fidei nostræ. II. 59. *a.* Audacter eas pœnas improbat, quas aliqui sustinere sibi elegerunt. II. 45. *a.* Impie effutit Divinitatem Evangelicæ Legis pendere a testimonio Paganorum. II. 59. Et Religionem non comprobandam miraculis, sed ratione. II. 61. Et miracula efficacia non esse ad demonstrandam Divinam virtutem II. 146. *a.* Et ad miraculi veritatem adstruendam requiri etiam testimonium eorum, qui fuerint alterius Religionis. II. 150. Inepte contendit in rebus facti ad rationem attendendum. Ibidem. Et sensibus fidem non adhibendam. II. 153. *d.* Contra veritatem Resurrectionis Christi aliqua exempla impie obtrudit. II. 169. Et Sacram Scripturam fuisse corruptam II. 297. *a.*

Auctor libelli inscripti: *Discours sur la vie heureuse* impie affirmat ignorantiam, & pravas cupiditates eo modo esse partes humanæ naturæ, quo sunt oculi, aures &c. I. 23.

Auctor libelli inscripti: *Traité de la Raison Humaine* Divinum Verbum antiquis philosophis haud incognitum fuisse effutit. I. 32. *b.*

Auctor libri inscripti: *Les Oracles de la Raison* necessitatem Divinæ Revelationis inde falso negat, quia, ea posita, non omnibus semper æque prospectum fuisset. I. 39. *a.*

Auctor libelli inscripti *Examen de la Religion* inepte obtrudit in Sacris litteris ea quoque Deo tribui, quæ conveniunt

merito quæri rationem eorum, quæ divinitus facta sunt. II. 78. Tradit Christum invitatum accubuisse nuptiis, ut earum honestatem confirmaret. II. 99. Et non esse stupori locum in eo miraculo, quo Christus aquam in vinum vertit. II. 100. Explicat cur Christus matri dixerit: *Quid mihi, & tibi est mulier*. II. 101. In curatione languidi ad piscinam Christum quid magnum non fecisse observat, si ad potestatem, & benignitatem ejus attendatur. II. 105. Et per miracula a Christo facta manifestari Divinitatem ejus. II. 142 Commemorat miraculum a Christo factum in filia Archisynagogi. II. 73. *a*. Quoad faciendi virtutem miracula Christi omnibus aliis majora fuisse tradit. II. 151. Tria Christi miracula commemorat, quæ in se spectata superant omnia alia. Ibidem. Veritatem resurrectionis Christi evidenti ratione adstruit. II. 164. Determinat quibusnam miraculis credendum. II. 144. Quædam inusitata refert, quæ in quodam presbytero contingebant. II. 145.

Prophetiæ varios modos recenset, quibus homines afficiuntur. I. 77. *a*. Evincit maximam efficaciam in prophetia inesse ad firmandam fidem nostram in Deum. I. 79. Et prophetias esse præcipuum Christianæ fidei fundamentum. I. 182. Explicat qua ratione prophetiis firmetur fides nostra in Deum. I. 79. Et quæ potissimum prophetare Sancti Dei viri solliciti fuerint. I. 85. Et in quo differat prophetia Sanctorum prophetarum a prophetia malorum. I. 93. Tradit fieri posse ut Deus aliquid divinationis malignis Spiritibus impertiatur. I. 70. Tripertita esse tradit eloquia prophetarum. I. 163. Et ea non insinuata concertationibus argumentorum, ut Divina esse magis pateret. Ibidem. Explicat quare Deus Cainum interrogavit. I. 171. Et in quo sit posita allegoria. I. 179. Et omnia dicta, & facta Veteris Testamenti per allegoriam referri ad Christum. I. 176. Utilitatem allegoriæ exponit. I. 177. Quæ tamen spectant ad fidem, spem, & charitatem expressa esse tradit in Sacra Scriptura. I. 180. Evincit credendum Sacræ Scripturæ narranti præterita, quæ prædixit futura jam adimpleta. I. 102. Explicat quomodo multa eorum, quæ Christus prædixit, etiam ad successores Apostolorum pertineant. II. 197. Christum divinitus prænovisse tradit, quæ Samaritanæ dixit. II. 92. Ostendit qua ratione Christus fructus ex ficulnea quæsiverit. II. 96. Moysem prophetam fuisse testatur. I. 190. *g*. Eum vindicat a Fausti calumniis. I. 218. Probat non multos a Moyse in sua historia nominari debuisse. I. 220.

Explicat quandonam Angeli a Deo creati fuerint. I. 110. Cur a Deo permissum, ut Eva per serpentem a diabolo tentaretur. Ibidem. Et quinam habitaverint civitatem a Caino conditam. I. 122. Abrahamum a quovis crimine purgat. I. 116. Et etiam Isaceum. I. 117. Tradit concubitum Lothi cum filiabus & prophetiam, & flagitium fuisse. I. 118. Et peccata hominum relata in Sacris litteris non obesse Divinitati earum. II. 276. *a*. Jacobo non vertit vitio, quod quatuor uxores habuerit. Ibidem. Et non peccasse Moysem tradit, quando spoliavit Ægyptios. I. 119. Et bella, Deo auctore gesta, recte gesta esse. Ibidem. Et Oseam duxisse in uxorem meretricem emendatam. Ibidem. Refellit Ethnicos ponentes contra auctoritatem Veteris Testamenti maximam seriem annorum. I. 102. Aliquem librum Chaldæorum, aut Ægyptiorum designari putat per librum *Bellorum Domini*. I. 193. Veram Religionem a Deo inspirari tradit. I. 91. Et paucis ea omnia complectitur, quibus constat de Divina Revelatione Veteris Testamenti. I. 94.

Evangelium excellere tradit inter omnes Sacras litteras. II. 206. Faustum Matthæi Evangelium rejicientem Apostolica traditione confutat. II. 208. Recenset ordinem, quo Evangelistæ scripserunt. II. 209. Et eum ordinem non sine peculiari ratione servatum tradit. Ibidem. Et passiones per legem Evangeli-

Bæ-

B

C

Et

van-

Et

F

G

S. Igna-

K

L

M

N

O

Rea-

V

FINIS.

ERRATA *Tom. I.* CORRIGE

ERRATA	CORRIGE
Pag. 16. Lin. 14. Deligionem	Religionem .
p. 18. lin. 33. colamas	colamus .
p. 39. b. lin. 8. prin.ipia	in principiis ,
p. 50. lin. 19. demptitate	idemtitate ,
p. 56. lin. 18. rurfum	furfum .
p 80. lin. 12. magnum	magum .
p. 97. lin. 1. vera	veræ .
p. 14. lin. 3. circumftantibs	circumftantias .
p. 192. lin. 19. Emanuntem	Emmauntem .
p. 201. lin. 25. cultum	cultam .
p. 215. lin. 9. populum	populo .
p. 220. lin. 34. hones	homines .
p. 242. lin. 7. repaffe	reparaffe .

ERRATA *Tom. II.* CORRIGE

ERRATA	CORRIGE
Pag. 9. Lin. 33. comprehendim	comprehendi .
p. 10. lin. 4. babetis	habebis .
p. 19. lin. 2. examende	Examen .
p. 38. lin. 6. adulterio	adulteria .
p. 73. lin. 26. in	ita .
p. 87. lin. 9. ullius	nullius .
p. 134. lin. 23. habuiffer	habuifsent .
p. 137. lin. 36. fateamus	fateamur .
p. 138. b. lin. 2. atio Difsert.	difsertatio .
p. 146. lin. 37. renditegrare	redintegrare .
p. 153. lin. 15. deftituit	deftituti .
p. 192. lin. ult. veriptas	veritas .
p. 263. lin. 3. contingi	confingi .

Cetera , quæ aut minoris momenti funt , aut noftram fortaffe diligentiam fugerunt , ipfe per fe Lector deprehendet , & corriget .

